B.V.n°. 26

EVCHARISTICON

IAC. SIRMONDO

S. I. P.

pro Aduentoria.

DE REGIONIB. ET ECCLESIIS SVBVRBICARIIS.

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus HIERONYMI DROVART,
via Iacobea sub Scuto Solari.

M. DC. XXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

LECTORI.

PAVLO plus quam biennium est, quum amico per litteras quærenti quid sentirem de superbissima Sirmondi Iesuitæ Censura quæ tum recens prodierat, magna cum animi libertate pariter ac simplicitate sententiam super ea re meam ostendi. Nos enim Burgundiones, sicut olim Macedones, τὰ σῦκα σῦκα nuncupamus, nec speciosa magis quam res sunt, nomina rebus imponimus. Epistolam illam, quæ Censuræ quodammodo censura fuit, cum paucos intra dies, ac multas inter occupationes fudissem magis quam scripsissem, non in eam spem, nec eo voto me dedisse profiteor vt ederetur. Sed quando aliter illi visum, ad quem missa est, nihil est cur magnopere vel me scriptionis, vel amicum pænitere debeat editionis. Nam & nobilissimæ obscurissimæque quæstioni quæ tum maxime inter doctos ventilabatur, haud parum lucis, omnium iudicio, contulit: multos præstantissimos viros ab

ã ij

errore in quo versabantur deduxit: fastuosi præterea, quod præcipuum erat, censoris pædagogicum supercilium ita retudit, vt per longum deinceps temporis spacium mutire non ausus, tandem tamen cum rabiosum silentium diu satis intra se volutatum rosisset, vbi diutius continere non potuit, derepente quasi rupta nube, displosa quantum vesica sonat, inani fulgure ac fragore, brutoque fulmine detonuit. An erat ferendus ille, an non erat feriendus, qui censuram nullo sibi suffragio delatam ita arripuisset, vt dictatorem potius quam censorem agere decreuisse diceres; ita vero egisset vt censoris egeret ipse maxime, dum in paucis ac leuibus castigandis peccatis, sexcentos grauissimos, eaque quam gestat scutica dignissimos committit errores? Quemadmodum autem arrogantiam eius non tuleramus, sic libertatem ille nostram tolerare non potuit, & ad innoxios ac titillatorios illos aculeos quibus amice pungebatur, vt ab errore redire vellet in viam, adeo efferatus est, vt non presbyterum modo, sodalemque Iesus eiurauerit, sed hominem penitus exuerit, sed pæne statu mentis exciderit. Qua in re si quem alium fallere potuit, me certe non fefellit, qui eum semper, & eo quidem modo Epistolæ responsurum speraui. Nihil reponet, dicebat ex amicis quidam, nihil enim habet quod contra

posit opponere: nec in eos iterum se laqueos induet, quibus illum semel irretitum tam male accepisti. Non committet, inquiebat alter, vt iterum vapulet, ac veteres suas potius linget plagas, quam de nouis accipiendis cogitabit. Etiam canis frigidã timet qui calida aliquando aspersus fuit. Longe aliter ego sentiebam qui contumaciam hominis peruicaciamque, & veris cedere nescium pectus probe noueram. Nihil igitur hoc in negotio præter expectationem meam accidit, nihil etiam præter votum. Quid enim mihi poterat optatius contingere, quam me maledicentiæ crimine, vel eius ipsius opera absolutum videre, cui maledixisse videri poteram nisi respondisset? Nunc si quæ in illum acerbius dixi, ex vero dicta esse omnia, nec maledictorum loco haberi posse fidem ipse fecit Aduentoria sua. Nam si impostorem, si sycophantam, si cauillatorem, si sophistam Epistola compellauit, haud renuo quin habear ipse talis, qualem eum haberi volui, nisi manifestis rebus apertisque pignoribus hunc se esse probauerit in Aduentoria. In qua dedolanda, descobinãdaque cum annum integrum & pæne alterum contriuerit, vt eam commodum mihi in hanc vrbem aduenienti offerret, quid illi misellæ factum esset nisi venissem? Profecto misere periisset, aut meliorem saltem sui partem, tituli scilicet

elegantiam, perdidisset. Ergo venisse vel ob hanc maxime causam gaudeo, ne quid absolutissimo elaboratissimoque operi deperiret. Sed cur illud opus tamdiu traxit? cur in aduentum meum distulit? cur non citius edidit? Habui fautores qui cum factum mihi vellent, hoc ab illo contenderunt ne faceret. Cur quod semel in se receperat atque illis meis fautoribus promiserat, postea mutauit, nec pollicitis stetit? Habuit ipse amicos qui exegerunt vt faceret. o perplexum negotium! o duram ac miserandam hominis conditionem, inter inimici sui fautores, & amicos suos fluctuantis, & incerti quibus obsequeretur, vel quos potius sequeretur! An mirum si tam lenta materies hæc fuit? Quis non istic hæsisset? quis mature hinc sese potuisset expedire, & has oras euoluere tam cito? iamdudum, Lector, ridere te sentio. An adeo iocosum ac ridiculum hoc tibi videtur? Non parua tunc in consilio res erat, aut quæ sine longa consultatione peragi posset. Id apud Sirmondum agebatur, vtrum male suadentibus amicis auscultare, an recte consulentes inimicos audire præstaret: nam qui certiores inimici, quam inimicorum fautores? Amici tandem explicuere dubitantem, pendentemque impulere. Vide quid sit malos amicos habere. Cum meliora videret ipse probaretque, peiora vt sequi

mallet, illi euicerunt. Dedit hoc eorum precibus, vt ad hūc scopulum naufragio semel famæ facto, iterum mare tentare vellet, iterūque naufragium facere, & iacturā nominis, noua sed maiore ignominia, expiare. Hæccine quam dico, an illa quam dicit, causa morarum fuit, quæ huic elephantino partui Lucinam tamdiu propitiam negauit, lucemque tamdiu ne videret, inuidit? Adeo verebatur ne parum sui similis esset, ac ne non satis Sirmondus videretur, vt non aliam dixerit, quam quæ vera non fuit. Quod enim tantulum libellum tam longo tempore fouit, ἀμηχανία id fecit & ἀπορίας frigus: quod vero tandem exclusit & extudit, pudor iraque mentem duplici calore præcipitauerunt. Vrebat hominem gloriosum, & vindictæ cupidum, cum tam male acceptus fuisset, sine malo tamen vindicari non posse. Quid faceret, aut quid consilij captaret in re adeo ancipiti? Vltionem potuit vel morte pacisci. Generosam itaque & nobilem sumpsit in animo confidentiam, vt sexcentis nouis plagis obnoxium tergus mallet reddere, quam non veteris vnius, & iam in cicatricem coeuntis vulneris iniuriam vlcisci. Atque ita plane fecit. Inde tāquam læsus pugnat, sed tanquam iure cæsus frustra calces iactat. Diceres ἀπ' ὄνυ repente καταπεσόντα in hanc arenam præcipitem potius nescio quo fato deci-

disse, quam certo consilio iudicioque descendisse. Hinc Andabatarum more dimicat: quam in partem feratur nescit, quem feriat ignorat: modo parietibus incurrit, modo ventum & auras verberat, sæpius cum vmbra sua litigat: nihil videt nisi quod non est; quod videt, si quid videt, hoc se non videre fingit; quæ manifesta sunt & omnibus in confesso negat, ac dubia pro indubitatis sumit: quæ nec in mente habui vt dicerem me dixisse mentitur: errores erroribus cumulat, & dum veteres protegit, subinde nouos detegit: quod destruere vult, adstruit; quod adstruere conatur, destruit: in multis sibi contradicit, in plerisque nugatur, in omnibus hallucinatur: alicubi miserandum, est vbi mirandum, vbique ridendum se propinat. Ad summam qui luto vndique collitus erat, vt nitidus ac pulcher emergeret, totum cœno se abluit: facitque etiam quod perditi, & ære alieno mersi solent debitores, qui vt vnum difficile nomen expediant, difficiliori se impediunt, & versura soluunt. Hunc exitum fecit infelix Aduentoria: sane vt debuit infelicem, qualemque merebatur auctor. cui nihil respondere primo decreueram; ita mihi & omnibus risu potius ac commiseratione, quam censura vel castigatione digna visa est. Sed ne ingratum me, aut beneficij immemorem iure posset arguere, cuius

ius aduentum in hanc vrbem adeo benigne & humane excepisset, statui tandem hanc illi εὐ-χαριστικὴν *pro Aduentoria remittere, qua tam prolixæ eius humanitati, & inusitatæ beneuolentiæ gratias agerem, si pro virtutibus eius parum gratas, pro viribus sane meis abunde magnas. Qui quod potuit fecit, vtique satis fecit. Tamen his puto quales quales sunt, contẽtus erit, nec de me conqueri poterit, quasi par pari non retulerim: plus etiam reddere quam acceperam studui, iuxta illud* Ἡσιόδειον,

αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον αἴκε δύνηαι.

Quod etiam heic me præstitisse arbitror, saltem fateor debuisse, vel hoc maxime nomine, quod imputat mihi Sirmondus multa quæ castigari poterant sese mihi condonasse, plurima in mei gratiam prætermisisse. An non hoc magni beneficij instar est? Sane tantum est, vt valde verear, ne fidem non poßit etiam penes penitus credulos inuenire. Quis hoc enim de Sirmondo speraret, aut expectaret? An cuiquam verisimile fiet, Sirmondum mihi pepercisse? pudori meo consultum voluisse? ne erubescerem timuisse? Hoc scripsit nec erubuit ipse? Vnde iste porro nobis ex illo grege tam humanus, tam misericors, tam συγγνωμονικός? *An qui sincerum corium vbique proscindit ac lacerat, a scabioso putamus*

vngues abstinere potuisse? Vendibilis ista non amplius merx est: ne apud Indos quidem nudos illos & rudes & minime malos populos pro bona posset extrudi. Has artes omnes iam nouimus. Quod non possunt, hoc se noluisse fingunt. Si alius diceret, aut de alio diceretur, credulitatem illi meam commodare facile possem. Cum Sirmondus hoc ipse de se prædicet, cras credam fortasse, hodie non possum. Sed quocunque tandem ille animo multa prætermiserit quæ reprehendere poterat, nec enim dubito quin similiter potuerit omnia, nam quæ redarguit, arguunt eum nihil nisi quod rectum erat corrigere voluisse; exemplum hoc imitari mihi non placuit, nec enim quidquam fere omisi in eius Aduentoria, quin atro carbone notauerim. Vna quidem litura poterat πάντα ἰάσασθαι, sed singulas lineas libuit totidem lituris operire, vt per partes ac singillatim omnia eius aperirem errata, quorum maior pæne numerus quam verborum fuit. Sic dum minimis maximisque castigandis immoror, dum singula persequor, pro epistola liber exijt grandis, & longior fui quam volebam. Quis istic breuitatem sibi censor posset imperare, vbi qui carpitur, nullum peccandi modum sibi videtur statuisse? Retundendus etiam fuit, ac veris reuincendus, cui veritas

nulla perſuaderi ratione potuit. Vno ictu malaxare tam durum ſinciput facile non erat. Sic qui duram ſpiſſamque materiam ſerra ſecandam ſumpſere, per eamdem lineam multos reciprocos trahunt retrahuntque ductus, donec euicta tandem ſuccumbat. nam nec prius ferro cedit, quam tota cæſa ſit. Volui præterea facere, quod fieri paucis non potuit, vt vel pueri intelligerent, quam puer ſit in illis ipſis in quibus magnum virum ſe facit. Hæc omnia vt moleſtiam meam, ſic libri molem auxere. Si quid autem parabit reponere, quod non ſuſpicor, ſi quid tamen, ne in longa & vaga epiſtola qualem priorem fuiſſe dicit, vagandum habeat, placuit in iſta quam nunc damus, eum vbique κατὰ πόδα ſequi, calcemque calce premere, ac ſingulis capitibus prout ab eo diſtincta ſunt, totidem opponere capita. Sic faciliorem illi futuram, ſi vlla futura eſt, concinnauimus reſponſionem. Quod enim pauca e noſtris excerpſit quæ carperet, vixque dimidiam Epiſtolæ partem impugnandam arripuit, idque vt pudori meo conſuleret, conſulto conſilio ſe feciſſe iactat, profecto ſuo melius conſuluiſſet ipſe, ſi mutus eſſe maluiſſet. Sed quoniam hoc habent proſerpentes ac bilingues beſtiæ, vt niſi toto capite pariter & corpore contuſæ conciſæque, nec mouere ſe deſinant, nec ſibilare deſiſtant, nunc

ne aut ista mutire, aut caudam motare poßit amplius, curauimus. Post Epistolam tacere debuit, post Eucharisticum tacebit.

PERIOCHE SINGVLORVM CAPITVM ADVENTORIÆ IAC. SIRMONDI.

PARTIS PRIORIS

De regionibus suburbicarijs.

CAPVT I.

REGIO Romana pro tractu, qui extra vrbem Romam centesimo lapide circumscribitur, nusquam vsurpata. Nolanæ inscriptionis vera interpretatio. Territorium vrbis Romæ ad centesimum vsque lapidem non porrigebatur, sed agri Romani finibus, hoc est paucis ab vrbe millibus claudebatur. quo etiam spatio terminabatur Præfecti vrbis propria iurisdictio.

CAP. II.

Italiæ in vrbicarias & annonarias regiones diuisio reiecta. Trebellij locus a causidico perperam expositus. Enumerari a Trebellio regiones omnes Italiæ, etiam quæ intra centesimum. Nec Italiam proprie dictam omnia complecti, quæ sunt extra centesimum, nec suburbicarias eas tantum quæ intra centesimum. Annonariarum Etymum refellitur.

CAP. III.

Suburbicarias recte dici prouincias quæ ab vrbis Vicario regebantur. Cur solum Picenum in Notitia suburbicarij nomen gerat. Causidicus suo ipsius argumento reuincitur. Sicilia item cur interdum seorsim ab vrbicarijs nominetur, veram in Censura causam esse allatam. Sicilia eadem alibi vrbicariarum nomine comprehensa. Quare ab illis minime diuersa.

CAP. IV.

Specialis Italia non amplius quam septem prouincias complexa,

quæ a Vicario Italiæ administrabantur. Ideo ab Italia Campaniam, Apuliam, Calabriam secludunt cum Athanasio Sardicensis & Arelatensis. Diluuntur ridiculæ Causidici obiectiones, idemque αἰπολογίας conuincitur.

CAP. V.

Suburbicariæ omnes non sunt intra centesimum. Secum pugnat Causidicus, qui Vmbriam suburbicariam esse negat, quæ tamen est intra centesimum. Latina regio inter prouincias nunquam habita, Valeria vltimis tantum temporibus. Prouinciæ omnes vrbi vicinæ non ad præfecti sed ad Vicarij vrbis administrationem pertinebant.

PARTIS POSTERIORIS

De Ecclesijs suburbicarijs.

CAPVT I.

SVBVRBICARII notio pro rerum ad quas refertur varietate laxior vel angustior. Quare falsum, Ecclesias suburbicarias latius patere non posse quam prouincias. Suburbicariæ Ecclesiæ quænam essent Rufini ætate notum erat. Synodus Nicena Episcopi Alexandrini diœcesim definiuit, non Romani. Ægypti vox non minus anceps quam suburbicarij.

CAP. II.

Synodus Chalcedonensis quatuor Episcoporum gradus manifeste distinguit. Exarchos appellat non Metropolitas aut Patriarchas, sed eos qui gradu inter vtrosque interiecto diœceses integras regebant. Et Exarchorum nominis varia vsurpatio. Exarchi præter legitimos quidam adsciticij & honorarij.

CAP. III.

Patriarchæ proprie dicti non plures quam quinque. Patriarcharum nomen aliquando commune fuit etiam exarchis: postea primarijs tantum sedibus tributum. Semper tamen inter hos gradus fuit discrimen. Quare merito distinguuntur. Exarchorum in Oriente iura ad Constantinopolitanam sedem fere translata.

CAP. IV.

Sedes & θρόνοι proprie dicti quinque Patriarcharum. Primatis nomen ex aduersarij placitis Pontifici Max. non negandum. discrimen

ciuilium & Eccleſiaſticarum adminiſtrationum. Africa olim vnica prouincia, poſt multæ, quarum primas Epiſcopus Carthaginenſis. Primates in Occidente appellati etiam interdum Patriarchæ. Omnes tamen diuerſi ordinis, & longo ſemper interuallo poſt Romanum.

CAP. V.

Patriarcha in Occidente κατ᾽ ἐξοχὴν ſolus Pontifex. Specialis eius diœceſis Occidens, pars vniuerſalis. Suburbicariæ & Romanæ, & occidentis Eccleſiæ, cum de Patriarchatu Romano agitur, eadem ſunt. Græci ante ſchiſma ſupremam in vniuerſa Eccleſia poteſtatem agnouerunt.

PERIOCHE CAPITVM EVCHARISTICI QVÆ SINGVLIS ADVENTORIÆ capitibus ordine reſpondent.

PARTIS I.

De regionibus ſuburbicarijs.

CAPVT I.

REGIONEM Romanam pro tractu qui extra vrbem Romam centeſimo lapide includitur ſemper vſurpatam fuiſſe. Ita accipiendam in Nolana inſcriptione, & apud Vopiſcum in vita Probi. Romanam regionem eamdem cum Vrbicaria, & eamdem vtramque cum Romana Prouincia, cuius metropolitanus fuit Epiſcopus vrbis Romæ. Territorium vrbicum & vrbicariam regionem eſſe idem. Territorium vrbis & vrbicæ præfecturæ vſque ad centeſimum excucurriſſe. Eo vſque territorij ius habuiſſe præfectum vrbi & intra eos fines iuriſdictionem ſuam ſemper exercuiſſe. Agri Romani fines, alios alijs temporibus fuiſſe. Agrum Romanum de tota Italia aliquando dictum. Præfectum vrbi de omnibus criminibus tam in vrbe, quam intra centeſimum admiſſis cognouiſſe. Eamdem in vrbe & extra vrbem vſque ad centeſimum iuriſdictionem Præfecto vrbi competiſſe. Quid ſit propria iuriſdictio, quid lege conceſſa, & quatenus inter ſe differunt.

CAP. II.

Italiæ diuiſionem in ſuburbicarias & annonarias regiones rectam eſſe. Trebellij locum in Epiſtola ad Amicum recte expoſitum. Annonariam regionem opponi vrbicariæ. Vrbicariam omnes ſuburbicarias vrbicariaſue intra cente-

simum sitas comprehendisse: Annonariam reliquas extra centesimum positas. Italiam speciali appellatione dictam eam Italiæ partem quæ extra centesimum. Omnem annonariam regionem, & totam Italiam apud Trebellium esse idem. Non omnes annonarias sub Vicario Italiæ, nec solas suburbicarias sub Vicario vrbis fuisse. Vmbros & Vilumbros vna cum Sabinorum regione Piceno adiunctos, Piceni suburbicarij nomine venisse. Annonarias appellari ad distinctionem suburbicariarum, & contra. Annonarij suburbicarijque distinctionem & appellationem ante Constantini Magni tempora natam & notam fuisse. Annonarias dictas ab annona quam soluebant. Solas Italiæ prouincias extra centesimum huic olim functioni fuisse obnoxias. Hinc annonariæ vrbicariæque regionis discrimen. Hoc discrimen etiam durasse postquam Italia tota, intra & extra centesimum annonariam præstationem agnoscere cœpit.

CAP. III.

Suburbicarias dici prouincias suburbanas, & sub vrbe sitas, non autem sub vicario vrbis positas. Suburbicarium & suburbanum esse idem, vt vrbicarium & vrbanum. Suburbicarias & suburbanas regiones in Cod. Theod. easdem passim appellari. Suburbanum agrum intra Italiam opponi longinquo, & verumque transmarino qui extra Italiam. Italiam suburbanam, vel suburbicariam Romanamque regionem prorsus eamdem esse. Suburbicariarum vel suburbanarum regionum originem & appellationem male ab vrbis Vicarijs repeti, quos instituit Constantinus. Suburbicarias vt & Annonarias regiones ante Constantinum de nomine cognitas fuisse. Cur solum Picenum in Notitia suburbicarium cognominetur. Ex decem prouincijs quæ sub vrbis erant Vicario, solas quattuor suburbicarias fuisse. Italiam non duas, sed vnicam fuisse diœcesim. De Italia specialiter & relatiue sumpta.

CAP. IV.

Italiam cum relatiue sumitur, pro rerum ac personarum varietate ad quas refertur, modo plures, modo pauciores, interdum vnam duntaxat prouinciam, comprehendere. Cum simpliciter & absolute ponitur, alias totam Italiam cum vrbicarijs regionibus, alias Italiam tantum quæ extra centesimum posita est significare. Hoc posteriore sensu Italiam passim in Cod. Theod. accipi cum ab vrbicarijs regionibus distinguitur. Quo sensu ἁπάσης Ἰταλίας *dixerit cum Synodo Sardicensi Athanasius, item D. Hieronymus in Chronico. Italiæ partem illam, in qua olim Gallia Togata, specialiter aliquando Italiam dictam esse. Sic appellatam ante Constantinum fuisse. Hinc vicarium Italiæ dictum qui eam partem Italiæ regendam accepit. De Italia mediterranea & Transpadana. Hanc prouinciam Italiæ veteribus dictam. De prouincia Episcopi Mediolanensis. Iterum de suburbicarijs vt probentur esse suburbanæ, & centesimo comprehensæ. Canalis Italiæ quid sit.*

CAP.

CAP. V.

De numero suburbicariarum, nihil certius esse quam quatuor eas fuisse. Hoc probari ex leg. 1. Cod. Theod. de calcis coctoribus, quæ non plures numerat. Omnes intra centesimum ab vrbe fuisse comprehensas. Quidquid Vmbriæ intra centesimum erat, Piceno attributum, Piceni suburbicarij nomine venisse. Latinam regionem siue Latinam Campaniam vtrumque Latium complexam in suburbicariarum numerum recte relatam ab auctore Epistolæ. Cur in descriptione prouinciarum Italiæ Latina regio vel Latium locum non habeat, inter Italiæ prouincias. Ex duabus Italiæ prouinciarum descriptionibus, antiquam pro recentiore, & vice versa quæ recens est, pro vetusta perperam laudari ab auctore Aduentoriæ. Quatuor suburbicarias has fuisse, Tusciam suburbicariam, Picenum suburbicarium, Valeriam & Latinam regionem. Valeriam a via Valeria denominatam, antiquam esse prouinciam. Intra quatuor harum regionum fines centesimo circumscriptos iurisdictionem habuisse præfectum vrbi. De præfecturæ vrbicæ terminis contraria & pugnantia scripsisse Sirmondum in Censura & in Aduentoria. De iurisdictione Vicarij vrbis. Symmachi Epistolæ recta expositio.

PARTIS II.

De Ecclesijs suburbicarijs.

CAPVT I.

SVBVRBICARIAS Ecclesias non alias dici posse, quam quæ in suburbicarijs regionibus erant Ecclesiæ. Suburbicarias quum a situ & loco nomen habeant, certos quoque habere fines, nec pro rerum varietate ad quas referuntur, notionem earum esse diuersam. Ægypti vocem non magis ambiguam esse quam suburbicarij. Suburbicarijs locis & Ecclesijs Metropolitanam Episcopi Romani prouinciam olim fuisse determinatam. De hac prouincia Rufinum Synodi Nicenæ sextum Canonem accepisse, vt & Vaticanum & Arabem eiusdem canonis interpretes. Aristinum & Symeonem Magistrum Græcos canonum collectores non aliter exposuisse. Nicenam Synodum eo canone de solis metropolitanis Ecclesijs agere, earumque iura ac priuilegia, ad metropolitanæ Romanæ prouinciæ exemplar constituere ac confirmare.

CAP. II.

Tres tantum Episcoporum gradus fuisse, Patriarchas, metropolitas & Episcopos. Non plures agnoscere Synodum Chalcedonensem. Exarchum diœceseos nono eius canone, & septimo decimo Patriarcham diœceseos significare. Græcis incognitum esse genus illud exarchorum quod inter Patriarchas & metropoli-

tanos interiectum sit. Patriarchas qui diœceses regebant, diœceseon exarchos ita fuisse dictos vt prouinciarum exarchi dicebantur, qui prouincias regebant metropolitani. De varijs Patriarcharum priuilegijs & honoribus. De diœcesibus Orientis & Occidentis, & primis quibusque singularum diœceseon prouincijs. Qui primæ per vnamquamque diœcesim prouinciæ præerant, exarchos & patriarchas illius diœceseos vulgo dictos esse. Exarchos Ponticæ, Asianæ & Thracicæ diœceseon, nec ante quam sedi Constantinopolitanæ subijcerentur, nec posteaquam eidem subiecti sunt, quicquam iuris in alios metropolitanos habuisse. Meros ipsos ac veros tantum suarum semper extitisse prouinciarum metropolitas, eoque de metropolitarum quos non ordinabant causis cognoscere non potuisse. De metropolitanis Patriarchæ Constantinopolitano subiectis, quinam eorum ἔξαρχοι dicti fuerint, & qui ἐξαρχίας habuerint. Nullos honorarios & sine re exarchos fuisse. De varijs Exarchis. alia multa.

CAP. III.

Patriarchas dictos esse plures quam quinque. Primarios & præcipuos quinque tantum fuisse Patriarchas, sed non solos. Patriarcharum & Exarchorum diœceseon, vt vnum idemque nomen fuit, sic vnus idemque gradus. Inter primarum quinque sedium Patriarchas, & reliquos eiusdem nominis, differentiam aliquam honoris & auctoritatis fuisse, nullam ordinis. Quinque etiam summos illos Patriarchas, non parem omnes dignitatem habuisse, & tamen eumdem gradum constituisse. Quum tres olim primæ sedes fuerint, postea quinque factas. Vnde Patriarchæ appellati. Ante Iustinianum & post Iustinianum tres tãtum gradus Episcoporum numeratos esse. Exarchum diœceseos in Chalcedonensi canone Patriarcham esse cuiusque diœceseos. Iurisdictionem in Metropolitanos neminem habere, qui non habeat & eorumdem ordinationem. Exarchos Ponticæ & Asianæ & Thracicæ diœceseon nullam tempore Concilij Chalcedonensis habuisse iurisdictionem, & iam tum Patriarchæ CP. subiectos fuisse. De Catholicis Archiepiscopis, quod eiusdem gradus & ordinis fuerint cum Patriarchis.

CAP. IV.

Sedes & θρόνους κατ' ἐξοχὴν quidem dictos esse quinque Patriarcharum, sed non proprie: nec enim minus proprie Episcoporum metropolitarumque sedes appellatas. Episcopum Romanum primatem fuisse suæ prouinciæ metropolitanæ. Eodem sensu primatem etiam dici potuisse Episcopum Mediolanensem, prouinciæ nempe suæ metropolitam. Episcopum Romanum nullius diœceseos quæ plures Ecclesiasticas prouincias complectatur, Primatem extitisse, vel Patriarcham dictum esse. Diœcesim interdum pro metropolitæ prouincia, tam apud Græcos quam Latinos accipi. Primates non eos solum qui multas prouincias Ecclesiasticas regerent, sed & qui singulas, fuisse dictos. Primum & primatem eumdem esse. Metropolitam qui suæ prouinciæ primus est Episcopus, eiusdem prouinciæ recte primatem appellari. Sic Græci πρώτους metropolitanos vocant, hoc est primos vel primates. Primam sedem prouinciæ de metropolitani sede, &

primam sedem diœceseos de Patriarchæ dictam. Hinc primates siue primæ sedis Episcopos tam Patriarchas, quam metropolitas appellatos. In Africa sex prouincias Ecclesiasticas fuisse, & singularum metropolitas, primates vocatos esse. Primates in Gallijs non qui singulis prouincijs præessent, sed qui primas quasque singularum diœceseon prouincias regerent, fuisse, & patriarchas eosdem nuncupatos. Tres gradus in Occidente semper numeratos esse, primates diœceseon, qui & Patriarchæ: Primates prouinciarum, qui metropolitæ: & Episcopos ciuitatum.

CAP. V.

Etiam si daretur Episcopum Romanum Occidentis fuisse Patriarcham, non tamen Ecclesias suburbicarias apud Rufinum de omnibus Occidentalibus accipi posse. De metropolitana prouincia Episcopi vrbis Romæ, non de vlla diœcesi Patriarchali sextum Nicenum canonem, quem Rufinus interpretatus est, exponi debere. Vrbicariam siue Romanam regionem sub præfecto vrbis omnes suburbicarias comprehendisse, & οὐρβικαρίας ἐπαρχίας in veteri Notitia appellari. Hanc eamdem vrbicariam siue Romanam prouinciam sub Episcopo vrbis omnes suburbicarias Ecclesias complexam esse. Solam hanc fuisse specialem diœcesim Papæ. Occidentem non specialem diœcesim eius esse, sed partem vniuersalis, vt Ægyptus pars erat Ægyptiacæ diœceseos, non specialis prouincia Episcopi Alexandrini. Suburbicarias & Romanas Ecclesias easdem esse, sed Occidentis totius Ecclesias eo nomine non designari. Romanæ Ecclesiæ nomine specialem semper intellectam, quæ Romanæ prouinciæ finibus continebatur, Ecclesiam; eamque ab Italicis, & ceteris Occidentalibus distinctam. Latinam Ecclesiam à Romana diuersam omnes Occidentis Ecclesias comprehendisse quæ Latina lingua vtebantur. Romanam porro Ecclesiam non Latinarum tantum & Occidentalium caput extitisse, sed omnium. Græcos ante schisma, quum primatum eius ac principatum agnouerint, post schisma suo Patriarchæ illum vindicasse. In summa non Patriarcham Occidentis, sed caput & principem Patriarcharum Papam esse, & vniuersæ Ecclesiæ primatem Episcopum.

SVMMA PRIVILEGII.

Autum est auctoritate Regis, nequis *Eucharisticum ad Iacobum Sirmundum*, *Pro Aduentoria*, absque Hieronymi Droüart Bibliopolæ Parisiensis permissu intra sexennium imprimat aut diuendat : publicationis exemplarium, si quis secus fecerit, multa indicta, pro vt amplius in ipso Diplomate continetur. Lutetiæ Parisiorum 19. Iunij 1621.

Sic signatum,

Per Consilium,

DE HVMERY.

EVCHA-

EVCHARISTICI AD ADVENTORIAM PARS PRIOR

DE REGIONIBVS SVBVRBICARIIS.

CAPVT I.

REGIONEM *Romanam pro tractu qui extra vrbem Romam centesimo lapide includitur, semper vsurpatam esse. Ita accipiendam in Nolana inscriptione, & apud Vopiscum in vita Probi. Romanam regionem eamdem cum vrbicaria regione, & eamdem vtramque cum Romana prouincia, cuius metropolitanus fuit Episcopus vrbis Romæ. Territorium quoque vrbicum, & vrbicariam regionem esse idem. Territorium vrbis, & vrbica præfecturæ vsque ad centesimum lapidem excucurrisse. Eo vsque territorij ius habuisse præfectum vrbis, & intra eos fines iurisdictionem suam semper exercuisse. Agri Romani fines, alios aliis temporibus fuisse. Agrum Romanum de tota Italia dictum. Præfectum vrbi de omnibus criminibus tam in vrbe, quam intra centesimum admissis cognouisse. Eandem in vrbe & extra vrbem intra centesimum, iurisdictionem præfecto vrbi competisse. Quid sit propria iurisdictio, quid lege concessa, & quatenus inter se differant.*

DOLENDVM est, Sirmonde, te tuam operam causis agendis in foro non addixisse: nemo melius rabulariam fecisset: ita versutus es, ac nigra in candidum vertere callidus, & colores reperire doctus. Qui

tantus poteras euadere caufidicus, te talem non extitiffe, nec eo impulfum effe, quo natura tua te tam feliciter trahebat, valde miror. Sed caufidicina fortaffe nimis tibi vifa vilis eft: ludimagifter effe maluifti. Laudo iudicium, nimium bene fcifti eligere. Nam vt alias magifteriæ iftius veftræ in ludo poteftatis vtilitates ac prærogatiuas omittam, vos qui pueris inftituendis ftudium veftrum dicauiftis, foli femper dicitis, foli docetis: quodlibet effutientes nemo refutat. Caufidicis non licet effe tam difertis. Hæc magna miferia eft, vbi dixeris habere qui contra dicat. Hoc fato viuunt, qui operam foro nauant. Optimus fuiffes aduocatus, fateor, fed vt vinceres, folus femper audiendus eras. Nam fi partis aduerfæ patronus, vt mos eft, etiam auditus effet, tum væ tibi caufidice, nunquam tenuiffes, fed victus femper, & multa infuper feriendus difceffiffes. fic in hac de fuburbicariis tractatione, fi quis te folum legeret, fecundum te fortaffis vt pronuntiaret, induci facile poffet. viciffes certiffimo, fi contra nemo dixiffet. fed malo tuo præfto funt, qui lectorem docere poffint quam ftulte ftolideque fis pertinax malæ caufæ defenfor. De illis ego vnus fum quem tu vis caufidicum effe Diuionenfem. Sim fane quod libet, & quod volueris cunque, dum tibi fimilis ne fim. Ego caufidicus Diuionenfis, tu rector Claromontanus ex ludimagiftro. Age ergo ne tempus perdamus, protinus in rem ingrediamur, & tecum propius tanquam ad lineam dimicantes, congrediamur.

Vrbicariam præfecti vrbis administrationem & iurisdictionem ad centesimum vsque lapidem excucurrisse, & quattuor regiones siue prouincias suburbicarias complexam fuisse, friuolum tibi commentum videtur. atque hoc te probasse iactas in censura tua, vbi ostendisse te ais præfectum vrbis, vrbicum fuisse magistratum, non prouincialem. Profecto facile tibi fuit id probare de quo dubitabat nemo: id ostendere, quod omnes videbant. aliud habes nihil quod dicas? At quis vnquam tibi negauit præfectum vrbis vrbanum fuisse magistratum? quis vnquam prouincialem fuisse affirmauit? de furfure ipse tibi, ac de luto monstra fingis, quæ facile debelles, luteus & furfuraceus Hercules. *Administrationi eius*, inquis, *vrbs vrbisque termini, non diœceses competunt, aut prouinciæ.* Si hoc tibi confiteamur, quid litigandum habebis? vt te pacatiore tandem vtamur, totum istud tibi concedatur. Sed vicissim, si homo es, nobis illud des oportet, suburbicaria loca, suburbicarias partes, suburbicarias denique regiones, iurisdictioni eius competisse. an & hoc negabis? tam præfractum te esse, ac tam perfrictæ frontis non puto. loca illa, quæ intra iurisdictionis vrbicæ terminos sita erant, quo nomine appellata, aut appellanda fuisse censes, si non suburbicaria, vel vrbicaria, vel suburbana denique, quod idem est, fuere dicta? potin es facere vt audiamus aliquando te verum confiteri? nunquam facies, nisi coactus. Sed si bene te noui, ne coactus quidem facies. nam nulla ratio potest

te cogere, nulla veritas vincere. Scire porro de te nimium velim, an nullas putes fuisse regiones sub vrbana præfectura? atqui singularum etiam coloniarum ac municipiorum magistratibus suæ fuere regiones attributæ, intra quarum fines liberam iurisdicendi coercendique potestatem haberent. Sæculus Flaccus de conditionibus agrorum: *Regiones dicimus, intra quarum fines singularum coloniarum, aut muncipiorum magistratibus, ius dicendi coercendique est libera potestas.* Hoc eodem sensu vocabulum ῥεγεῶνα retinuerunt recentiores Græci. in actis Concilij Chalcedonensis, act. XIII. ἐγὼ δὲ δείκνυμι Βασιλινούπολιν ἀεὶ ὑπὸ Νικαίαν γενομένην. καὶ γὰρ ῥεγεὼν ἦν αὐτῆς. ταῦτα τὰ βουλευτήρια οἶδε καὶ εἴποι ὑπό τινα ἦν Βασιλινούπολις, εἰ μὴ ῥεγεὼν ἦν Νικαίας. & paulo post: ὥσπερ Ταττάϊος καὶ Δωρεὶς ῥεγεῶνές εἰσιν ὑπὸ τὴν Νίκαιαν, οὕτως ἦν πρὸ τούτου καὶ Βασιλινούπολις ὑπὸ τὴν Νίκαιαν. βασιλεύς τις Ἰουλιανός, ἢ οὐκ οἶδα τίς πρὸ αὐτοῦ, ἐποίησεν αὐτὴν πόλιν, καὶ λαβὼν ἀπὸ Νικαίας πραγματευομένους κατέστησεν ἐκεῖ. καὶ τὸ ἔθος ἀπὸ τότε ἕως νῦν τοῦτο κρατεῖ· ἐὰν λείψῃ ἐν Βασιλινουπόλει πραγματευόμενος, ἀπὸ Νικαίας πέμπεται ἐκεῖ. καὶ πάλιν ἀπὸ Βασιλινουπόλεως μεθίσταται ἐν Νικαίᾳ. καὶ ἡ πρότερον οὖσα ῥεγεὼν, πάλιν μετὰ ταῦτα ἐγένετο πόλις. Basilinopolis quæ prius erat territorij Niceni regio, vrbs postea facta est. Sic regiones circa vrbem & sub vrbe, quarum intra fines ius dicendi coercendique potestatem habebat præfectus vrbis, vrbicariæ dicebantur, & suburbicariæ, hoc est suburbanæ. Si regiones sub se habuit vrbana præfectura, habuit vtique & pro-

uincias. nam regio & prouincia idem: præcipue postquam regiones illæ intra præfecturæ vrbicæ terminos consistentes, prouinciæ factæ sunt, & suos singulæ habere cœperunt præsides & consulares. hinc & suburbicariæ prouiuciæ, & suburbicariæ regiones eædem passim appellatæ reperiuntur. Nec propterea tamen præfectum vrbis prouincialem fuisse magistratum dicendum est, quod de omnibus criminibus intra regiones illas admissis cognosceret, & ad centesimum vsque quo prouinciæ suburbicariæ cohibebantur, iurisdictionem suam extenderet. De cæteris Italiæ regionibus, quas prouincias ante Constantini tempora dictasfuisse inCensura tua negabas, quia nunc non negas, & satis hoc tibi probatum est in epistola ad amicum, nunc nihil dicam. Possem tamen si adhuc negare pertenderes, idem tibi confirmare ex Suetonio, & Frontino de coloniis, aliisque passim scriptoribus qui ante Constantinum vixerunt.

Quemadmodum igitur in coloniis & municipiis regiones dicebantur quæ territorium coloniæ constituebant, intra quarum fines, coloniarum municipiorumque magistratibus ius dicendi coercendique libera potestas erat: sic plane suburbicariæ regiones appellabantur, quæ totum illum vrbicarium tractum circa vrbem & sub vrbe intra centesimum milliare comprehensum complectebantur, intra cuius finespræfecturæ vrbicæ iurisdictio conclusa fuit ac terminata.

Totus autem ille tractus suburbicarius, spatium,

inquam, illud omne terrarum quod circa vrbem erat, & intra centesimum ab vrbe cohibebatur, *regionis* etiam *vrbicariæ* nomine veniebat, vt ostendimus in epistola. Huius vrbicariæ regionis mentio fit in leg. III. Cod. Theod. tit. *tributa in ipsis speciebus inferri.* verba legis hæc sunt: *vinum quod sollemnis expressio popularibus commodis ex prouincialium collectione desiderat, illico suscipiatur aduectum, vt erogationis pro tempore cura præstetur, vt ea vina populi vsibus erogentur, quæ natura sua processum temporis ferre non possunt: quod peræque in omni vino quod ex vrbicaria regione confertur, obseruandum esse censemus.* Dic nobis ac nos doce quænam illa sit vrbicaria regio, si non ea est quam diximus? quod si aliam esse docere non potes, quid aliud tibi restat, quam vt tacere discas?

Vrbicariam hanc regionem, Romanam etiam fuisse dictam in eadem epistola multis probauimus. Nam vt Roma, & vrbs idem, sic Romanam regionem & vrbicariam eamdem fuisse, necesse est, quæ & Romana prouincia in Ecclesiasticis dicebatur, cuius vel a primis nascentis Ecclesiæ temporibus metropolita fuit Episcopus vrbis Romæ. Romanam istam regionem, tu qui tantus es Romanæ fidei defensor, ac Romanæ sedis assertor, & Romanarum omnium rerum protector ac propugnator, subito nescio qua de causa miseram nullo suo merito euertendam suscepisti. quid illa mali tibi fecit? cur eam sic odisse cœpisti, qui alia omnia Romana sic amas? Sed omissis aliis argumentis ac testimoniis, quibus eam regionem adstruebam, tu

illam vt conuelleres, vnicam inſcriptionem veterem arripuiſti, quæ Romanæ regionis meminit, verum alio ſenſu, vt quidem tibi placet, & ſerio affirmas. mirarer ſi quidquam tibi placere poſſet, quod rectum eſſet, aut ſi aliquid adfirmares, quod confirmare poſſes. Sed ſi hoc haberes, nondum tamen omnia quæ vis haberes, necdum illa Regio Romana, quam cum vrbicaria regione eamdem fecimus, nulla eſſet, niſi Nolana. ſtat quippe adhuc multis aliis tam teſtimoniis, quam argumentis quibus eam ſubfulſimus, quæ deſtrui non poſſe cum videres, ideo ne tentaſti quidem. Quam Romanam autem eſſe non vis, ego Nolanam eſſe nolo. vter noſtrum rectius id velit nolitve, ipſa inſcriptio fidem faciet, quam hîc iterum totam & integram producemus:

POLLIO IVLIO CLEMENTIANO
SVBVENTORI CIVIVM
NECESSITATIS AVRARIÆ
DEFENSORI LIBERTATIS
REDONATORI VIÆ POPVLI
OMNIVM MVNERVM RECREATORI,
VNIVERSA REGIO ROMANA
STATVAM COLLOCAVIT
CVRANTE CL. PLOTIANO.

Nolæ & Nolano ciui poſitam hanc inſcriptionem me non ignorare dicis, me ex te didiciſſe clamas, atque ita paratragœdias: *Vnde hanc inſcriptionem mutuatus es niſi a Gruttero? vnde Grutterus niſi a Sirmondo? Sirmondus ergo eſt qui vidit: Sirmondus eſt qui legit:*

Sirmondus est qui exscripsit. Parce arteriis bone vir. rauim tibi cauendam censeo. quid frustra pulmonem agitas? hæc singula confiteor. Sed Sirmondus non est qui intellexit: aut sane Sirmondus est, qui non intellexit. pro tuis illis vtrumuis horum tibi reddo, & vtrumque certe verum est. Nam licet illam inscriptionem ipse videris, legeris, exscripseris, tamen in ea quid esset regio Romana te minime intellexisse, id cuiuis vbi monstrauero, patebit. Nolæ posita hæc statua, & Nolano ciui. quid inde sequitur? Romanam regionem, quæ statuam illam collocandam curauit, fuisse vnam ex regionibus Nolanæ vrbis? Hoc tu vis? istud tibi placet? sed quis tibi de hoc assensurus est? quo enim auctore id probas? quo argumento firmas? vnde porro regio Romana Nolæ, aut quare sic dicta? an quia Romani ciues in illa regione Nolanæ vrbis degebant? Hoc non dicis, & ridiculum esset. collocata illa statua & inscriptio post Constantinum: quod *auraria* vox quæ ibi legitur, satis indicat. quo tempore non solum tota Italia Romana, sed etiam totus orbis Romanus, hoc est Romana ciuitate donatus. Quod autem affers de porta Romana quæ Cularone fuit, hoc est Gratianopoli, quid ad rem facit, aut quid simile habet cum regione Romana Nolæ? Porta Romana Cularone dicebatur, qua Romam ibatur, vt Viennensis qua Viennam. quam in multis porro vrbibus hoc idem vsu venisse probabile est, vt portæ Romanæ in iis dicerentur per quas exeuntibus Romam iter erat? de sex regionibus

bus Nolæ, quis tibi concedet harum vnam Romanam fuisse dictam, & eamdem hanc esse cum Iouia regione cuius altera inscriptio meminit in eiusdem statuæ basi posita? quis hoc tibi indicauit? a quo didicisti? vnde tibi hæc ἀποκάλυψις? probabile istud aut verisimile existimas, vt duæ diuersæ inscriptiones vnam eamdemque regionem, modo Iouiam appellent, modo Romanam? vbi mens tibi erat cum hæc scriberes? Enimuero etsi nesciamus quænam illa Iouia regio fuerit, & vnde sic appellata, de Romana tamen hoc vere tibi possumus affirmare, Romanam ibi regionem, non de aliqua Nolanæ vrbis regione, sed de regione vrbicaria esse accipiendam, quæ tam in ciuilibus, quam in ecclesiasticis Romana prouincia, & regio Romana vocabatur.

Quæris ex me, porro, si Nolæ Nolano ciui posita statua est, quonam beneficio Romanos, Etruscos, Vmbros, Samnites, & quotquot centesimo lapide perstringuntur, a Nolano ciue affectos censeam, vt statuam ab vniuersis mereretur? Hoc quod me rogas, statuam ipsam interroga. ipsa litterata est, & ex ea disces, nisi ipse statua es, vt subuentori ciuium, libertatis redonatori, necessitatis aurariæ defensori, & omnium munerum recreatori, vt patrono suo denique inimitabili hanc statuam decretam fuisse ab vniuersa regione Romana. Nolæ autem potius quam in alia vrbe Romanæ regionis ideo censuisse collocandam, quia Nolanus scilicet erat ciuis, idcirco in vrbe, ex qua erat oriun-

dus, hunc illi ſtatuæ honorem præcipue decretum: quod alias in his monumentis ponendis vſitatum fuiſſe ſcimus, & ipſe quoque ſcis, niſi diſſimulare vis.

Non neſcias etiam illud oportet, niſi omnia neſcire vis, patronos olim non ſolum ab vrbibus ac ciuitatibus, ſed etiam ab integris prouinciis adoptari ſolitos, qui legationibus fungerentur, & cauſas omnes illius vrbis aut prouinciæ a qua adoptati eſſent, tuerentur ac defenderent apud principem aut præfectos eius, aut etiam ſenatum. Secundum illum morem videtur vniuerſa Romana regio Clementianum iſtum patronum ſibi cooptaſſe, & pro meritis eius ac benefactis quæ in inſcriptione ſupra ſcripta recenſentur, ſtatuam eidem cenſuiſſe, & quia Nolanus erat ciuis, in vrbe Nolana ponendam curauiſſe. Horum autem patronorum qui olim ab vrbibus & prouinciis adoptabantur, mentionem paſſim extare reperies, cum in veterum libris, tum monumentis antiquis.

Ridiculum vero illud ac pluſquam puerile, quod minime animaduertiſti, *vniuerſam regionem*, de vna aliqua regione vrbis Nolæ tua interpretatione dici, quod de ipſa vrbe tota vix dici potuerit. magnum ſcilicet illud fuit, tanto patrono, ac tam bene de ciuibus omnibus merito, non totam vrbem, quod par erat, ſed vnam paruæ vrbis regionem ſtatuam cenſuiſſe, & dicere hanc ei ſtatuam ab vniuerſa illa regione poſitam. Valde ſane hoc honorificum, & amplum, quod illa pars vrbis vni-

uersa, & non pars aliqua partis hunc illi honorem decreuit. Videris ipse an vox *uniuersa* conueniat parti alicui vrbis non magnæ. mihi nequaquam conuenire videtur. & ineptum prorsus est. quare distædet me tuarum ineptiarum, quarum quia te non pudet, ideo profecto me tui pudet. Atque hæc cum ita sint, audes etiam monere nos, ac cauere iubes, aliud deinceps quam Nolanæ vrbis partem intelligamus, cum in Nolanis monimentis Romanam regionem legemus. o vanitatem! quasi vlla vspiam extent alia monumenta Nolana, in quibus mentio fiat Romanæ regionis, præter illam inscriptionem, quam supra produximus. Sed quid si alibi quam in monumentis Nolanis mentio eius regionis occurrerit, quid censebis domine Rector? vtrum de Nolanæ vrbis parte accipiemus, an non? ex tuis verbis coniecturam facio existimare te Romanam regionem, tunc Nolanam tantum esse intelligendam, cum in Nolanis monumentis habebitur eius mentio. abi, laudo te: sapisti plus quam putabam. recte subodoratus es alibi etiam posse, quam in Nolanis saxis, huiusce Romanæ regionis vestigia reperiri. qua in re bonum ac sagacem te habuisse nasum fateor, & res ipsa indicabit. Auctorem enim tibi dabo non Nolanum, nec de Nolanis rebus loquentem, qui tamen Romanæ regionis meminit. quo sensu aut qua significatione, tu indicabis ipse.

Vopiscus in vita Probi circa finem ita scribit: *Posteri Probi vel odio inuidiæ vel timore, Romanam rem*

fugerunt , & *in Italia circa Veronam* , *&* *Benacum &* *Larium,& in his regionibus larem locauerunt*. manifesta vitij tenetur hæc lectio. quî enim rem Romanam fugere poterant illi posteri Probi, lares in Italia locando circa Benacum & Larium? Res quippe Romana non per Italiam tantum, sed per totum orbem Romanum diffusa fuit, nec in vrbe sola Romana hæsit. Salmasius qui notas in illos Historiæ Augustæ scriptores nuper edidit, obseruat eo loci manu exaratos codices ita legere: *vel odio inuidiæ vel timore Romanam refugerunt*. & hanc scripturam asserit veram. nam *Romana* ibi ἐλλειπτικῶς ponitur pro Romana regione, more loquendi Latinis auctoribus non incognito. sic enim idem Vopiscus ibidem *Veronensem*, posuit absolute pro Veronensi regione: *cum imago Probi in Veronensi ita fulmine icta esset, vt prætexta eius coloris mutaret*. Sic apud Plinium passim, in *Narbonensi*, in *Viennensi*, in *Lugdunensi*, legere est. eodem plane modo Varro *Venetam* dixit pro Veneta regione. ita enim apud illum recte legitur ex scriptis codicibus de re Rust. lib. II. cap. 15. *Hoc etiam in Veneta factum accepi*. Salmasio ego hac in re assentior. posset tamen etiam ita videri scriptum in exemplaribus antiquis fuisse: *Romanam reg. fugerunt*. Hoc est, Romanam regionem fugerunt. nam REG. in Notis est *regio*. vtut sit certum est in illo Vopisci loco non de Romana re sed de regione Romana agi, atque ita Vopiscum debere intelligi. Nunc quæro quid censeas? an ibi Romana regio erit Nolana? nihil tam absurdum est, quod a te di-

ci poſſe non putem. Hoc tamen certo ſcio te non eſſe dicturum. inſignis plane,& auro contra carus ille Vopiſci locus. ex quo diſcimus Romanam regionem ab Italia diſtinctam, & Romanam regionem eam fuiſſe dictam quæ centeſimo lapide claudebatur & ad iuriſdictionem præfecturæ vrbanæ pertinebat. Hæc eadem & vrbicaria regio dicebatur,vt ſupra oſtendimus. Poſteri igitur Probi imperatoris,eo occiſo vel odio inuidiæ vel metu,non vrbe tantum exceſſerunt,ſed etiam vltra centeſimum receſſerunt,& Romanam regionem refugerunt,atque in Italia circa Veronam & Benacum ſedes locarunt. Romana igitur illa regio apud Vopiſcum ſic ab Italia diſtinguitur,quemadmodum cẽteſimus ab Italia ſeparatur in leg. 11. cod. Theod. *de in integrum reſtitutione*. & ſuburbicariæ regiones ab eadem Italia paſſim diſcernuntur,tam in cod. Theod. quam in Notitia imperij. Nam illa Romana, ſiue vrbicaria regio, ſuburbicarias intra ſe regiones continebat,& ipſa intra centeſimum ab vrbe lapidem continebatur. ſic *vniuerſa Romana regio* in Nolana inſcriptione pro vniuerſo illo tractu accipienda eſt,qui intra centeſimum comprehendebatur,quique ſuburbicaria omnia loca quoquo verſum ad centeſimum vſque procurrentia comprehendebat.

Quæ autem ἐν τοῖς κοσμικοῖς Romana regio vocabatur,idem quoque nomen habuit,&eoſdem fines ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς. Nam prouincia Metropolitana Epiſcopi vrbis Romæ,etiam Romana appellata eſt,

& iisdem limitibus continebatur, quibus Romana regio, cuius finibus iurisdictio præfecti vrbis limitata fuit. Et certe certissimum est Metropolitanam prouinciam Episcopi Romani, vel ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis ad formam ac typum administrationis ciuilis fuisse constitutam. quod etsi in omnibus non obtinuit, in plerisque tamen hoc seruatum est, vt Ecclesiasticæ prouinciæ ad normam ciuilium exigerentur & constituerentur. in prouincia vero Metropolitana Episcopi Romani quin ad eum modulum fuerit formata, nemini dubium potest esse, nisi qui solem meridie non lucere, iurare sit paratus. Episcopus igitur vrbis eamdem quam præfectus vrbis, & iisdem cancellis terminatam sub se regionem habuit siue prouinciam. vtraque prouincia Romana & regio Romana dicta est. vtraque easdem suburbicarias regiones & Ecclesias ambitu suo complexa est. qua de re infra pluribus erit agendum.

Constatne iam, an non constat tibi de Romana regione siue prouincia? oculis quæso tandem tuis vtere, ac mentis vsum quem videris amisisse, per me recipe. despero id te facturum. nulli quippe peiore conditione, aut maiore periculo cæci sunt, quam qui cæci esse volunt. de illorum numero cæcorum ac genere tu es, τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματα. Sed his latius explicatis de vrbicaria siue Romana regione, nihil amplius dubitationis aut magnæ difficultatis habitura confido quæ de territorio vrbis Romæ in Epistola ad amicum disseruimus. Quemadmodum

enim in colonijs & municipijs territorium diceba-
tur illud omne agri ſpatium, cuius intra fines co-
loniæ municipijve magiſtratui iuriſdictio coerci-
tioque conceſſa erat:ſic cum ad centeſimum ab vr-
be Roma lapidem præfecti vrbici iuriſdictio ſeſe
porrigeret,totum illum regionum tractum cente-
ſimo lapide concluſum,vrbicariæ regionis nomi-
ne dictum docuimus,ac proinde territorium quo-
que vrbicum vel vrbicarium vocitari poſſe dixi-
mus. Ad illa quid nunc opponis Sirmonde? nugas
& deliramenta, meramque inſcitiam. a primo do-
ctum acutumque hominem te credidi. ſed cum ni-
hil dignum acuto doctoque facias ac dicas, mutare
nunc cogor ſententiam. impoſuerunt mihi qui te
talem eſſe perſuaſerant. Iuriſdictionem præfecti
vrbis ad centeſimum vſque milliare exporrigi tu
in cenſura tua fatebaris. cur nunc hoc ſuſtines ne-
gare? quis te mutauit tantus Deus? aut ibi errabas,
aut heic nugaris. Male omnino ratiocinari eos
contendis qui ex magiſtratus oppidi cuiuſque po-
teſtate de territorij ambitu conijciunt,cum ex ter-
ritorij potius finibus,quoad ſe magiſtratus pote-
ſtas ac iura extendant,colligi debeat. Hæc tua ra-
tiocinatio eſt,in qua multum te fugit ratio. ἄλογον
heic te λογικὴν recognoſce. Dic igitur mihi, ſed
bona fide,ſi potes Sirmonde,ſi ex territorij finibus
certo ſemper colligi poteſt magiſtratus poteſtas,
& iuriſdictio quoad ſe exporrigit,ſi nunquam vl-
tra territorij fines magiſtratus oppidani iuriſdictio
egreditur,nonne tam bene ratiocinabitur ille,qui

ex magiſtratus oppidi cuiuſque iuriſdictione, de territoriali ambitu, quantus ſit conijcit, quam qui de territorij terminis quo vſque ſe promouet magiſtratus poteſtas, colligere vult? nonne hæc inuicem conuertuntur? Magiſtratus oppidani iuriſdictio territorium vrbis non excedit: ergo neceſſe eſt, quo vſque iuriſdictio magiſtratus extenditur, eo vſque extendi quoque territorij fines. Quod ſi igitur præfecti vrbani iuriſdictionem vſque ad centeſimum proceſſiſſe certum eſt, nonne etiam conſtabit, territorium vrbis, hoc eſt vrbicariam regionem, eoſdem habuiſſe fines? ſed negas eouſque iuriſdictionem vrbicæ præfecturæ procurriſſe, & illis argumentis id probas, quorum ἀσυλλογιστίαν modo probauimus. ſed ea de re paulo poſt viderimus. nunc pulchram illam ratiocinationem tuam, vel ἀλογιστίαν potius diſpiciamus ac diſcutiamus. Quod enim ex territorialibus terminis colligi debere ſtatuis quos vſque ad fines iuriſdictio magiſtratus extendatur, id tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum. certum quippe eſt multas colonias ac municipia, territorium habuiſſe ſine iuriſdictione, alias autem etiam iuriſdictionem in alienis territorijs habuiſſe. quod in tuam gratiam quia id ignoras, & aliorum quos in errorem confidentia iſta tua poteras inducere, paulo fuſius explicandum, ex Hygino alijsque qui de agrorum conditionibus ſcripſerunt, eadem opera locos aliquot ex eorum ſcriptis illuſtrabimus & emendabimus.

Monent igitur ijdem auctores, quoties de iuriſ-

dictione coloniarum aut municipiorum agitur, ſemper reſpiciendas eſſe leges quæ colonijs aut municipijs datæ ſunt,& videndum nunquid poſt leges datas,aliquid per commentarios aut epiſtolas aut edicta principum, adiectum eiſdem vel ablatum ſit. Hoc enim ſæpenumero fiebat,cum ex voluntate & arbitrio principis tota hæc res penderet, qui territoria coloniarum pro libito ſuo, modo imminuebat,modo ampliabat. in colonijs deducendis cum ex alieno territorio aſſignandus ager ſumeretur,ita vt plurimum in legibus inſcribi ſolebat: QVOS. AGROS. QVÆ. LOCA. QVÆVE. ÆDIFICIA. INTRA. FINES. ILLOS. INTRA. FLVMEN. ILLVD. INTRA. VIAM. ILLAM. DEDERO. ASSIGNAVERO. IN. EIS. AGRIS. IVRISDICTIO. ESTO. COLONIÆ. ILLIVS. CVIVS. CIVIBVS. AGRI. ASSIGNABVNTVR. Hæc verba teſte Hygino ſic quidam interpretabantur,vt vellent,quidquid intra fines ſupra memoratos eſſet comprehenſum,id omne iuriſdictioni coloniæ accederet. ita accipi debere negat Hyginus: neque enim aliud defendi poſſe iuriſdictioni coloniæ, quam quod datum aſſignatumque fuerit. alioquin ſæpe intra dictos fines & oppidum aliquod poſſe occurrere, quod non in ſua conditione remaneret,nec idem eſſet in ipſo ius quod ante fuerit. Verba Hygini,quæ in editionibus corruptiſſima ſunt, ita legi debent: *alioquin ſæpe & intra fines dictos oppidum eſt aliquod, quod non in ſua conditione remaneret,nec idem eſſet in ipſo ius quod ante fuit. ſed nec fuiſſet,nec eſſet in legibus,nec ita*

complecti deberet : QVOS. AGROS. QVÆ.LOCA.QVÆVE. ÆDIFICIA, *si vniuersa regio quæ cancellata, coloniæ iurisdictioni accederet, dixisset enim :* INTRA. FINEM. ILLVM. ET. FLVMEN. ILLVD. ET. VIAM. ILLAM. IVRISDICTIO. COERCITIOQVE. ESTO. COLONIÆ. ILLIVS. quod si ita conceptæ leges fuissent, sine dubio vniuersitas agrorum quæ centuriata erat, iurisdictioni coloniæ accessisset. sed quum ita in legibus scriptum erat, QVOS. AGROS. QVÆ. LOCA. QVÆVE. ÆDIFICIA, omnino excipiebatur id quod non erat assignatum, vocabaturque subsiciuum. sic in eos agros qui redditi erant veteribus possessoribus, iurisdictio non erat eius coloniæ, cuius ciues agros assignatos accipiebant. Ceteri enim omnes possessores qui suis agris expulsi non erant, aut quibus agri sui reddebantur, conditionem non mutabant, sed in eodem iure, quo ante assignationem fuerant, manebant. sic autem apud eumdem Hyginum scribendum est : *alioquin cum ceteros possessores expelleret, & pararet agros quos diuideret, quos dominos in possessionibus suis remanere passus est, eorum conditionem mutasse non videtur, neque ciues coloniæ accedere iussit.* perperam hodie legitur : *namque ciues coloniæ accedere iussit.* quod contrarium plane sensum efficit Hygini menti. soli igitur illi quorum agri diuidebantur, quique possessionibus suis expellebantur, conditionem mutabant, & iurisdictioni eius coloniæ accedebant, cuius coloniæ ciuibus agri dati erant & assignati; ceteri qui in suis possessionibus remanebant, aut quibus agri sui redde-

bantur, iurisdictionem sub qua prius fuerant, non mutabant. Plerumque tamen etiam moris erat, vt quum ex alieno territorio agri assignandi sumebantur, proprietas quidem tantum daretur illi coloniæ cui agri assignabantur, territorij vero ius ac iurisdictio non auferretur eis, quibus ademptus erat ager. & hoc est quod ait idem Hyginus: *Hi autem quibus assignati sunt deducebantur intra centuriationem, & quæ superfuerant subsiciua eis concessa sunt, id est eorum reip. ex quorum territorio sumpserunt agros: ita vt in eos qui assignati erant agros, & in eos qui redditi erant veteribus possessoribus, iurisdictio salua esset eis ex quorum territorio sumpti erant agri.* Interdum igitur vniuersum territorium auferebatur sine iurisdictione, interdum cum iurisdictione: aliquando etiam aliquid agri eis quibus territorium abstulerant, relinquebant, quatinus iurisdictionem haberent. Sæculus Flaccus: *Ergo fit vt plura territoria confusa vnam faciem limitationis accipiant, aliquibus vero auctores diuisionis reliquerunt aliquid agri eis, quibus abstulerunt, quatinus haberent iurisdictionem: aliquos intra muros cohibuerunt.* Hyginus: *Non semper quidquid centuriatum erit, ad coloniam accedit, sed id tantum quod datum assignatumque fuerit. sunt nihilominus quædam municipia quibus extra murum nulla sit iurisdictio.* Atque illa erant municipia quibus totum territorium ablatum erat cum iurisdictione, aut qui territorij quidem proprietatem habebant, sed nullum ius territorij, hoc est nullam iurisdictionem in territorio. e contrario sæpe iurisdictionem, vt diximus, in eos agros

habebant, quorum proprietas ad alios pertinebat. Sæculus Flaccus sub finem: *præterea auctoris assignationis diuisionisque, non sufficientibus agris coloniarum quos ex alienis territorijs sumpsissent agros, assignauerunt quidem futuris ciuibus coloniarum, sed iurisdictio in eis agris qui assignati sunt, penes eos remansit ex quorum territorio sumpti erant. quod ipsum diligenter intuendum erit & leges respiciendæ.* Sic enim corrigendus est ille Sæculi locus. in alienis igitur territorijs multæ coloniæ iurisdictionem habebant: & loca illa siue regiones in alienis territorijs positæ, quarum iurisdictio ad aliam coloniam spectabat, præfecturæ vocabantur. Aggenus: *Coloniæ quoque loca quædam habent assignata in alienis finibus, quæ loca solemus præfecturas appellare.* Frontinus: *quidquid perticæ siue vniuersitati applicitum est ex alterius ciuitatis fine, prefectura appellatur.* Sæculus Flaccus: *illud præterea compertum, horum etiam agrorum qui ex vicinis populis sumpti sunt, proprias factas esse formas: id est, suis limitibus quæque regio diuisa est, & non ab vno puncto omnes limites facti sunt. sed vt supra dictum est, sua quæque regio formam habet, quæ singulæ præfecturæ appellantur, ideo quia singularum regionum diuersi atque alij præfecti erant, vel ex eo quod in diuersis regionibus magistratus coloniarum iurisdictionem mittere soliti sunt.* ita legendum in verbis Flacci, quæ insignia sunt, atque obiter explicanda. Plerumque regionum illarum quæ ex alienis territorijs sumptæ, coloniæ alicuius vniuersitati adplicabantur, diuersi fuere præfecti: quoties scilicet proprietas tantum ad coloniam transferebatur non etiam iuris-

dictio. ideoque præfecturæ illæ regiones appellabantur, quod diuersos singulæ haberent præfectos. interdum iurisdictio ipsa cum finibus coloniæ adtribuebatur. tunc magistratus eius coloniæ cui agri erant assignati ex alieno territorio, præfectos illo mittere solebant qui ius dicerent, atque inde præfecturæ dictæ. Ex his omnibus potest quiuis colligere, quam male ipse colligas, dum ex territorij finibus, quo vsque iurisdictio magistratus municipalis sese extenderit conijciendum arbitraris. ex his, inquam, quæ diximus, patet te tam malum esse coniectorem, quam collectorem, & pessimum insuper ratiocinatorem. vt videas tamen quam studiose gratiam tuam velim, potius quam te iratum habeam, condono tibi, & concedo id quod vis. do inquam te præclare ratiocinatum esse. ex territorij finibus debere colligi, quos vsque ad fines excurrat iurisdictio magistratus. Si quis hoc tibi concesserit, quid inde facies lucri? aut quid ex illa re boni efficies? more tuo meras nugas, & somnia, qualia videre solent imaginosi. Quæris si ex præfectura vrbis Romani territorij petenda sunt spatia, nullumne ante Augustum qui præfectos instituit, Romanæ vrbis territorium censeam fuisse? Quæro vicissim a te, si de territorio vrbis Romæ, aut agri Romani terminis agitur, eosne semper eosdem fuisse dices? Si ad antiquissima Romæ tempora te reuocem, videbis non solum angustissimos agri Romani fines, sed pæne fuisse nullos: *Quippe quum patrij soli gleba nulla, sed statim hostile po-*

mœrium, mediusque inter Latium & Tuscos, quasi in quodam biuio collocatus omnibus portis in hostem incurreret. Verba Flori sunt, qui de Romani soli limitibus loquitur, quales fuere sub primis consulibus. mansisse semper tales, nec te tam stultum fore putabam, vt putares. & tamen adeo præter opinionem meam ineptus es, vt eos non latiores aut ampliores Augusti æuo statuas fuisse, quam quales erant primis Romæ adhuc nouellæ temporibus. qua de re paulo post dicam. nunc quia te sequor, ordine quem sequeris, ibo.

Vt ex alio capite, quã ex iurisdictione præfecturæ vrbicæ, fines vrbici territorij cõstituas, ita argumẽtaris vel potius argutaris: *Si propterea*, inquis, *quod de criminibus quæ intra cẽtesimũ admissa eßẽt, præfectus vrbi iudicabat, ideo vrbis terminos ad cẽtesimum produci placet; cur nõ itidem quia de controuersijs senatorum, quæ per prouincias inferebantur, præfectus idem Valentiniani lege tertia*, cod. Theod. de iurisdictione, *cognoscebat, eosdem vrbis terminos & prouinciarum omnium fuisse decernamus? at hæc absurda sunt & insulsa.* immo tu absurdus & insulsus. nec hoc tantum. nam aut inscitiam tuam per hæc prodis, aut imposturam. siquidem te adeo imperitum fuisse non mihi persuadeo, vt differentiam non animaduerteres. nihil enim illo tuo simili dissimilius. sed offucias offundere voluisti. adeone penitus sedit hic tibi morbus, vt semper imponas? imponam quoque ego tibi, sed silentium & pudorem. Quod præfectus vrbis de omnibus criminibus tam in vrbe quam intra centesimum

admiſſis iudicabat, ex eo præfectum vrbis tam in vrbe quam intra centeſimum iuris dicundi coercendique poteſtatem habuiſſe nemo non decernat: ac proinde omne illud ſpatium, quod intra centeſimum iacet, fuiſſe iuriſdictionis eius diſtrictum, vt barbari loquerentur, & territorium. vrbicæ iuriſdictionis hi fines erant. vrbicæ quoque regionis, & territorij vrbicarij eoſdem fuiſſe terminos liquet. at quia idem præfectus de controuerſijs ſenatorum per prouincias cognoſceret, nemo poſſit ex ea re ſtatuere eumdem vrbis præfectum vllam habuiſſe iuriſdictionem in prouincias. at de ſenatorum controuerſijs iudicabat? hoc priuilegium fuerit ſenatorum, qui nullum alium iudicem agnoſcebant quam præfectum vrbis. ſed ne priuilegium quidem hoc fuit ſenatorum peculiare, ſed omnium reorum. perpetua regula iuris eſt, vt actor rei forum ſequatur. ſi ſenator prouinciali alicui controuerſiam intuliſſet, coram præſide prouinciæ res diſceptabatur. ſi vero prouincialis litem mouiſſet ſenatori, quia iudex ſenatorum pręfectus vrbis erat, ad præfectum vrbis ire debebat, vt ſenator qui reus erat, in foro ſuo litigare poſſet. præfectus vrbis, ſenatus princeps & præſul fuit teſte Caſſiodoro. Sed legem illam Valentiniani tertiam Cod. Theod. *de iuriſdictione*, quam laudaſti, recita, vt tibi per iugulum eat, ac te mutum reddat. *actor rei forum ſequitur: ita vt ſi ſenatores aliquid a prouincialibus poſcant, eo qui prouinciam regit, cognitore confligant: ſi vero prouincialis non ſuſcipiat, ſed inferat actiones, præfecto*

vrbis disceptante decertet. quid nunc tibi videtur Sirmonde? an vllam præfecti vrbis iurisdictionem per prouincias hæc tibi statuere aut stabilire visa est? qualis igitur hæc tua fuit argumentatio? quid inde volebas colligere? nonne pudet vanitatis & inscitiæ? nisi fucum facere voluisti, te sensu plane communi caruisse concedas oportet. elige vtrum de te malis dici. Sed vara vibiam sequitur.

Nam quæ de territorij Romani finibus, & agri Romani terminis disseris, indigna te sunt. imo te digna. talem enim te adhuc ostendisti vt nihil tam absurdum iam mihi videri possit, quin dignum censeam quod a te dicatur. ex agri Romani terminis, territorij Romani fines, hoc est districtum iurisdictionis vrbicæ cuius summa penes præfectum vrbis fuit, constituendos censes. *Romani autem agri fines*, inquis, *haud illi longinqui nec latissime patentes fuerunt.* immo enimuero si tua ratio vera est, non solum valde angustos Romani agri terminos, sed omnino nullos fuisse necesse est. Cum enim Ostiensem agrum, Ardeatem, Lanuuinum, Albanum, Tusculanum, Gabinum, Veientem, Cæritem, & si qui præterea interiecti aut vrbi viciniores, a Romano agro distinguas, non video quam late patens fuerit agri Romani modus, quinimmo nullum fuisse Romanum agrum oportet. Fateris ipse oppidorum supra scriptorum nullum esse quod viginti passuum millibus Roma distet, esse quæ decimum aut duodecimum non excedant. quo ex spatio si tantum agri detrahas quantum singula cuiusque

cuiuſque oppidi territoria occupabant, non ſolum, quod ais, modicos agri Romani fines fuiſſe comperies, ſed omnino pæne nullos. Latinus enim ager, & Etruſcus, & Sabinus alijque quibus vndiquaque Roma vallabatur, Romæ pomœrium tangebant. Roma ipſa in Latino agro poſita. Romanis igitur priuſquam populos illos deuiciſſent, patrij ſoli hoc eſt Romani gleba nulla fuit, ſed portas vrbis egreſſis ſtatim ager hoſtilis occurrebat. Florus: *Quippe quum patrij ſoli gleba nulla, ſed ſtatim hoſtile pomœrium, mediuſque inter Latium & Tuſcos quaſi in quodam biuio collocatus omnibus portis in hoſtem incurreret.* Hic modus agri Romani fuit ſub primis conſulibus. quod ſi idem fuit ſub Auguſto, quemadmodum velle videris, qui Tuſcum & Latinum agrum a Romano ſeparas, nullus omnino ager Romanus fuerit, nulla proinde extra muros vrbis, præfecti iuriſdictio: ſiquidem te iudice, præfecti vrbi propria & iure magiſtratus congruens adminiſtratio Romani territorij fines egreſſa non eſt. atqui territorium illud Romanum, de quo conſtituendo fruſtra laboras, ſi Latini Tuſcique agri terminis circumſcriptum fuit, nullum omnino fuit. Tota igitur ex tua ſententia præfecturæ vrbicæ iuriſdictio intra muros vrbis concluſa erat, ad eorum municipiorum formam, quibus extra murum nulla iuriſdictio. ſed vt alios nunc omittam, quid Caſſiodoro reſpondebis? hæc enim ille de præfecto vrbi: *Ditioni tuæ non ſolum Roma commiſſa eſt, quamuis in illa contineantur vniuerſa, verum etiam intra centeſimum mil-*

que excederent regionibus, postquam & illarum quoque Italiç regionum populi deuicti sunt, agroque multati. Et sane quis non videt, vt Romanæ vrbis termini non semper ijdem fuere, sic nec agri Romani semper eosdem extitisse terminos, sed processu temporis, vt vrbis sic & Romani agri fines fuisse dilatatos & ampliatos? ætate Romuli ager Romanus arcus formam reddidisse dicitur, cuius chordam efficiebat Tiberis. Reges qui Romulum sequuti sunt, variis temporibus fines eius protulerunt, hostibus qui in vicinia erant debellatis, & agro multatis, qui territorio vrbis subinde adiungebatur. Non solum igitur in suburbanis Romæ locis, sed etiam in longinquis, ager Romanus dicebatur, qua priuatus qua publicus, ex territorio populorum deuictorum sumptus, & ciuibus Romanis diuisus & assignatus, aut reip. adplicatus, & publicus factus, arandusque ciuibus Romanis datus. Hinc agrum Romanum etiam vltra Picenum ita appellatum apud Varronem legimus de re Rustica, qui ex Catone de Originibus hæc refert: *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim datus est vltra agrum Picenum.* montes Romani & ager Romanus vocabantur in Ascula Piceni, vt ex Frontino de Coloniis discimus. Hæc eius verba sunt in voce *Carseolis: Ita populo non debetur. vsque ad muros priuati possident. sunt etiam montes qui Romani appellantur, ea ratione qua in agro Asculano supra diximus.* in voce *Asculanus ager,* ita scribit: *agros in montibus Romani acceperunt familiariter, qui montes Romani*

appellantur. Asculum autem vltra centesimum fuisse situm non ignoras. Vides igitur agrum Romanum vltra centesimi milliaris fines positum. Ager quoque Romanus in Hernicis dicebatur. Scribit Liuius lib. XXVII. *Frusinone natus Androgynus. Haruspices eum extorrem agro Romano procul terræ contactu alto immergendum responderunt*. Frusinonis oppidum quinquaginta millibus passuum plus minus Roma distabat. vt fragmento veteri legis Agrariæ mentio sæpe occurrit, *agri publici populi Romani in terra Italia*. sic per totam Italiam ager Romanus passim apud auctores appellatur, qui populi Romani erat, aut a priuatis ciuibus Romanis colebatur. Hyginus Vrbicus de locis sacris: *in Italia autem densitas possessorum multum improbe facit, & lucos sacros occupant, quoniam solum indubitate populi Romani est, etiam si sit in finibus coloniarum aut municipiorum.* Frontinus de agrorum qualitate: *Est & ager similis subsiciuorum conditioni, extraclusus & non assignatus, qui si Reip. populi Romani aut ipsius coloniæ cuius fine circumdatur, siue peregrinæ vrbi, aut locis sacris æque ad populum pertinentibus, datus non est iure subsiciuorum, in eius qui assignare potuerit, remanet potestate.* ager itaque Romanus non solum in variis Italiæ locis extra centesimum, sed etiam tota Italia agri Romani nomine censebatur. Liuius alicubi scribit Dictatorem nisi in agro Romano creari non posse, agrum autem Romanum de tota Italia intelligi, & agri Romani fines Italiæ finibus terminari. Hyginus quoque fines Romanorum hoc est agri Roma-

ni, Italiæ finibus circumſcribit. de limitibus conſtituendis: *item dicitur in Germania in Tungris pes Druſianus qui habet monetalem pedem, & ſeſcunciam, ita vt vbicumque extra fines legeſque Romanorum, id eſt, vt ſollicitius perferam, vbicunque extra Italiam aliquid agitatur, inquirendum.* Et ſane ſubiugata iam tota Italia, nec hoc tantum, ſed etiam ciuitate Romana donata, quod lege Iulia illi datum eſt, a L. Iulio Cæſare conſule lata, nullus in Italia fuit ager niſi Romanus. nullus enim erat amplius peregrinus, nullus hoſticus. Peregrinus autem ager dicebatur, qui ciuitatis Romanæ ius non habebat. Feſtus: *Peregrinus ager eſt, qui neque Romanus neque hoſtilis cenſetur.* quæ differentia in Italia ſublata, lege illa Iulia qua ciuitas omnibus Italis data eſt. ſic poſtquam conſtitutione Antonini totus orbis qui Romanis parebat, ciuitate donatus eſt, & omnes qui ſub imperio Romano erant, ciues Romani effecti ſunt, *ager Romanus, & ſolum Romanum*, dicebatur, quidquid Romani imperij finibus contineretur. ſiue igitur agrum Romanum eo ſenſu dictum accipiamus, qui ciuitatis Romanæ iure fruebatur, ſiue ſimpliciter eum ſic appellatum volumus qui a Romanis cum priuato tum publico nomine poſſidebatur, conſtat ante Auguſtum, non tantum per totam Italiam agrum Romanum fuiſſe, ſed etiam Italiam ipſam vniuerſam agri Romani nomine cenſitam, quia nemo iam ſcilicet in Italia agros poſſideret, niſi ciuis Romanus.

Hæc cum ita ſint, tamen vt ſcias quam placide

tecum, & clementer agere cupiam, assentiri tibi volo, vsque ad Augusti tempora non alios fuisse agri Romani terminos, quam quos posuisti, nec latius patuisse, quam putauisti: quid fiet postea? an inde colliges & concludes præfecti vrbis qui ab Augusto primum institutus est iurisdictionem non vltra vicesimum processisse, quia Romanus ager non vltra illud spatium procurreret, nec latioribus finibus circumdaretur? scilicet non potuit Augustus cum præfectum vrbis crearet, & iurisdictionem illi vsque ad centesimum attribueret, eos vsque ad fines, vrbici territorij ambitum promouere, & sic terminos agri Romani dilatare? atqui iurisdictione præfecturæ vrbanæ, quum ad centesimi finem extenderet, censeri quoque omnino debuit, territorij vrbici ius eo vsque protendisse. ius enim territorij & iurisdictio idem. nec iurisdictio sine territorio potest esse. aliud ius territorij, aliud territorij proprietas. compluribus olim coloniis iurisdictio etiam in alieno territorio fuit concessa. tota plerumque & integra territoria multis coloniis adempta, seruato tamen illis territorij iure hoc est iurisdictione in eis agris quorum possessione expellebantur. Augusto Romæ licuisse non putas territorium vrbicum proferre, & iisdem finibus determinare quibus iurisdictionem vrbicæ præfecturæ terminauerat? licueritne hoc illi an non licuerit, nunc te non sollicito: sed quum satis constet iurisdictionem præfecti vrbis ad centesimum vsque, ab Augusto fuisse protensam, omnino

necessum fuit, & vsque ad illum terminum vrbici territorij fines promoueri, & vrbicum territorium dici vel vrbicariam regionem, cuius intra fines præfecto vrbi iurisdictio & coercitio adtributa est. Nam cum iurisdictio nulla sit sine territorio, nec extra territorium possit euagari, vrbicam iurisdictionem, & vrbicum territorium eosdem fines habuisse censendum est. Vt vt sit, ius territorij vsque ad centesimum lapidem præfecto vrbis fuisse omnino verum est. Sed dum iurisdictionis vrbicæ, & regionis vrbicariæ terminos coarctas, imperitiæ tuæ promoues, quæ nullis contenta finibus, passim vagatur, vt errores erroribus cumulet, & veteres nouis subinde tueatur. Nam vt probes legitimam præfecti vrbi potestatem vicesimo ab vrbe lapide fuisse terminatam, nec vltra hoc spatium patuisse fines agri Romani, hos quoque vrbis terminos Vlpiano dici contendis, quos præfectus cum exierit, potestatem non habet. leg. vltima, D. *de officio præfecti vrbi.* Scilicet hoc vnũ tibi restabat, vt quam malus & imperitus fueras agri Romani decempedator, tam malus esses terminorum vrbis limitator, & æqui imperitus Iurisconsultus. vbique profecto in illa tua Aduentoria magnam inscitiam ostendis, sed nusquam alibi quam in hoc loco maiorem. tu agri Romani fines cum vrbis terminis eosdem facis, & agrum cum vrbe confundis. Romani agri fines, tuo calculo vsque ad vicesimum ab vrbe lapidem extendebantur. eo vsque vrbis terminos hoc est muros promouebis? vrbem suis conuulsam

ſedibus, extra vrbem collocabis? & impune hoc feres? quis tam miſericor,qui hoc tibi queat ignoſcere? ſi ſtomachoſior eſſem vapulares. ſed pædagogicam iſtam cenſuram tibi rectori relinquamus. quod noſtrum eſt agamus. Iuriſconſultus dixit, *vrbem muris finiri.* leg. 1. D. *de verborum ſignificatione.* muri igitur ſunt vrbis termini. Romæ amplius aliquid dabatur. nam continentibus ædificiis Romam finiri ibidem docet idem Iuriſconſultus. Nunc velim mihi dicas an putes illa vrbis continentia ædificia vſque ad viceſimum milliarium, quos terminos agro Romano poſuiſti, excucurisſe? Hoc ſi feceris vt ſciamus, tum tibi non grauate concedemus,eoſdem fuiſſe vrbisatque agri Romani terminos, vnum atque idem fuiſſe ſacrificium amburbiale,& ambaruale, quo vrbis & agri Romani fines ſimul luſtrabantur.

Nunc ponenda, & exponenda lex illa vltima Vlpiani D. *de officio præfecti vrbi*, vt quid pro te faciat, quid contra, ſpectemus. ſic igitur ait illo loco Iuriſconſultus: *præfectus vrbi cum terminos vrbis exierit poteſtatem non habet, extra vrbem poteſt iubere iudicare.* in hac lege explicanda hæſit aqua magnis Iuriſconſultis. quo minus miror te ibi lapſum eſſe, vbi omnes greſſum non tenuere,cum ibi ſemper erres, vbi reliqui non peccant. alij igitur in expoſitione huius legis recta correxerunt, alij nihil recti dixerunt. magna pars in eo conſentit, *terminos vrbis* de centeſimo debere accipi, & *extra vrbem* idem eſſe, quod extra centeſimum.Pace virorum magnorum dixerim,

dixerim, nihil abſurdius. nam aliud vrbs, aliud centeſimus. alij fines centeſimi milliaris, alij vrbis termini. non iidem denique fines vrbanæ præfecturæ, & pomœrij vrbis. Præterea ſi vera eſſet hæc interpretatio, *extra vrbem* idem eſſe, quod *extra centeſimum*, ſequeretur inde, præfecto vrbi etiam extra iuriſdictionem fuiſſe. poter... enim iubere iudicare extra vrbem ex eadem lege. habebat ergo iuriſdictionem extra centeſimum. nemo autem poterat iubere iudicare, niſi qui magiſtratus erat, niſi qui iuriſdictionem habebat. leg. XIII. D. *de iuriſdictione*. Eum qui iudicare iubet magiſtratum eſſe oportet. & leg. III. eod. tit. *iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia*. ſed cum certum ſit nullam præfecto vrbi extra centeſimum fuiſſe iuriſdictionem, extra centeſimum non poterat iubere iudicare; quæ pars eſt iuriſdictionis. atqui extra vrbem idem iubendi iudicare poteſtatem habebat. *extra vrbem* igitur & *extra centeſimum* non idẽ erat. Duo igitur ſpectanda ſunt in hac lege, & in præfecto vrbi diſtinguenda, poteſtas & iuriſdictio. poteſtas eſt merum imperiũ, vel ius gladij, vel quælibet altera grauior coercitio lege vel Senatuſconſulto vel conſtitutione principum ſpecialiter conceſſa. iuriſdictio eſt notio quæ iure magiſtratus cõpetit. poteſtatis autem nomine merum imperium proprie veniſſe oſtendit lex tertia D. *de iuriſdictione*, his verbis: *merum eſt imperium habere gladij poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines, quæ poteſtas appellatur*. per eam poteſtatem præfectus vrbi, maius omnibus imperium in vrbe

E

habebat post principem, vt proconſules in prouincia ſua, & reliqui prouinciarum præſides quibus ius gladij conceſſum erat. ſed illam poteſtatem in vrbe tantum habebat præfectus vrbi, extra vrbem hoc eſt extra muros vrbis non habebat, ſed poterat iubere iudicare, quæ pars eſt illius iuriſdictionis, quæ magiſtratui competit iure magiſtratus. Græci non aliter illam legem videntur legiſſe aut intellexiſſe. ſic enim eam reddiderunt: ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος ἐν τῇ πόλει μείζων πάντων ἐστὶ μετὰ τὸν βασιλέα· ἐξελθὼν δὲ τοὺς ὅρους τῆς πόλεως ὅσον γε ἐπὶ τῇ ἐπαρχότητι ἐξουσίαν οὐκ ἔχει πλὴν τοῦ κελεύειν δικάζειν. nec ego aliter vnquam Iuriſconſulti verba ſum interpretatus. qua in opinione quoque eſſe doctiſſimum Aleandrum nuper magna cum voluptate legebam.

Ex his liquido poteſt conſtare, nullomodo tibi conſtitiſſe rationem, ſed longe a veri via aberraſſe te, quum aſſeruiſti præfecti vrbi propriam & iure magiſtratus competentem iuriſdictionem vrbis terminos egreſſam non eſſe, hoc eſt vt interpretaris, territorij Romani fines, qui viginti paſſuum millia ab vrbe non excedunt: quidquid autem præfecto extra hos cancellos intra centeſimum conceſſum eſſet, id illi non iure magiſtratus, ſed ſpeciali principum conſtitutione fuiſſe tributum. atqui merum illud imperium, ius inquam gladij, grauior illa delictorum coercitio, quæ lege aut conſtitutione principis magiſtratibus tribuebatur, præfecto vrbi in vrbe tantum conceſſa fuit. nam

extra vrbem ſolam eam iuriſdictionem habebat, quæ proprie & iure magiſtratus competit. qui contrarium igitur tibi dixerit, ille verum dixerit. & tu poſthac Iuriſconſultum agere, & quæ Iuriſconſultorum ſunt tractare audebis? abiſis, abi potius, καὶ κολοκύνθας γράφε, cum iſto tuo cucurbitaceo & ventoſo ſincipite.

Publicorum iudiciorum exercitationem, & grauiorem criminum omnium coercitionem, in qua gladij poteſtas erat poſita, quæ lege vel conſtitutione principis delegabatur, quæque merum imperium appellabatur, eam inquam poteſtatem præfecto vrbi intra centeſimum tantum & per prouincias tributam eſſe vis; iuriſdictionem vero propriam, & quæ magiſtratus iure competit, in vrbe duntaxat, & intra viceſimum ab vrbe eum habuiſſe defendis. Dic mihi, o Iuriſconſultorum margaritum, quis te hæc arcana iuris edocuit? a quo didiciſti de criminibus cognouiſſe per prouincias præfectum vrbi, & ius animaduertendi in facinoroſos eidem vltra centeſimum fuiſſe conceſſum? iuriſprudentiam fortaſſe aliam nouiſti quam ea quæ dicit leg. 1. D. de officio præfecti vrbi, *quidquid intra vrbem admittitur, ad præfectum vrbi videtur pertinere; ſed & ſi quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad præfectum vrbi pertinet. ſi vltra ipſum lapidem, egreſſum eſt eius notionem.* vltra centeſimum nulla erat præfecti vrbis iuriſdictio, nulla de criminibus & cauſis capitalibus cognitio, ac proinde nulla coercitio; tantum abeſt vt eam grauio-

rem puniendorum delictorum potestatem habuerit per prouincias, in quibus præsides maius imperium omnibus post principem habebant, & eamdem illam potestatem, quæ præfecto vrbis in vrbe data erat, atque intra centesimum.

Sed minime miror in iure te tam puerum videri. apud vos scientia iuris nec ediscitur nec edocetur: illud miror, te quæ nesciebas, sumpsisse tibi vt alios doceres, & Iurisconsultos huius ætatis maximos reprehenderes qui præfecti vrbi iurisdictionem non vrbis tantum terminis, sed etiam centesimi lapidis finibus circumscripserunt. Tu nouarum distinctionum repertor, ac noui iuris conditor, iurisdictionis illius vrbicariæ plures facis species, & diuersos limites statuis. Sic enim eas distinguis, vt alia fuerit eius in vrbe, & in agro Romano iurisdictio, alia intra centesimum & per prouincias. quare si recte sensum tuum assequor, videris eamdem facere iurisdictionem illam, quam in vrbe & agro Romano hoc est intra vicesimum habuit præfectus vrbi: eamdem autem illam quæ intra centesimum & per prouincias vltra centesimum positas speciali principum voluntate ei concessa fuit. Hoc vt probes, Vlpiano testimonium denuncias, qui apud legum Mosaicarum collatorem Tit. xiv. constitutionibus eo peruentum suo tempore obseruat, vt Romæ præfectus vrbi solus cognosceret si quid in legem Fabiam intra milliarium centesimum admissum esset. Quid est Sirmonde? quid tibi vis inde concedi? sane ex istis

tuis verbis te ſanam mentem habuiſſe tibi nemo concedet: conſtitutiones principum Vlpiani tempore hoc præfecto vrbi dederant, vt ſolus cognoſceret ſi quid in Fabiam commiſſum eſſet intra centeſimum. ergo vt Sirmondus argumentatur, quidquid intra centeſimum iuriſdictionis habuit præfectus vrbis, hoc illi ſpeciali principum voluntate conceſſum fuit, propria vero & iure magiſtratus competens eius iuriſdictio Romani territorij fines egreſſa non eſt, qui vltra vicesimum lapidem non patebant. bene miræ profecto res iſtæ ſunt. Sed velim mihi dicas, o Grammaticorum Iuriſconſultiſſime, per eaſdem conſtitutiones, nonne idem præfectus vrbi cognoſcere poterat ſi quid in vrbe & agri Romani tui finibus admiſſum eſſet? non expectabo dum reſpondeas. ſed ipſemet mihi dicam negari non poſſe quin cognoſceret. cum enim omnia omnino crimina ſibi vindicaret vrbana præfectura tam ea quæ in vrbe, quam quæ intra centeſimum admitterentur, poſtquam eidem præfecturæ lege hoc eſt conſtitutione principis, attributa quoque eſt legis Fabiæ cognitio, haud dubium eſt quin ſuper ea re cognouerit, non ſolum ſi intra centeſimum in Fabiam commiſſum eſſet, ſed etiam ſi in vrbe, & intra viceſimum illud tuum agri Romani. igitur ſi ſpeciali principum conſtitutione tributum fuit præfecto vrbi quod habuit iuriſdictionis intra centeſimum, etiam neceſſe eſt eam quæ in vrbe ipſi competebat, & intra fines agri Romani, beneficio ac voluntate principum

ſpecialiter fuiſſe conceſſam. nullam enim differentiam iuriſdictionis, aut diſparem cognitionis rationem in præfecto vrbis agnoſcit Iuriſconſultus, ſed ſimpliciter dicit omnia omnino crimina ſibi vindicaſſe præfectum vrbi, & ad eum pertinuiſſe non ſolum quidquid in vrbe, ſed etiam quidquid intra centeſimum admitteretur. quantamcunque igitur, & qualemcunque habuit iuriſdictionem præfectus vrbi, vt ad centeſimum vſque proceſſit, ſic centeſimum non exceſſit. Iuriſconſultus: *ſed & ſi quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad præfectum vrbi pertinet. ſi vltra ipſum lapidem, egreſſum eſt præfecti vrbi notionem.* ſic quum legis Fabiæ cognitio in eumdem tranſlata eſt conſtitutionibus principum, quam antea Romæ & in prouinciis vſurpabant procuratores Cæſaris, ita ſuper ea cognoſcebat, ſi quid intra centeſimum in eam legem commiſſum eſſet. nam vltra centeſimum præfecti prætorio erat cognitio. Vlpianus apud legum Moſaicarum collatorem Tit. XIV. *Frequens eſt legis Fabiæ cognitio in tribunalibus præſidum: quamquam eam quidam procuratores Cæſaris vſurpauerint tam Romæ quam in prouinciis. Sed enim iam eo peruentum eſt conſtitutionibus, vt Romæ quidem præfectus vrbi ſolus ſuper ea cognoſcat, ſi intra milliarium centeſimum ſit in Fabiam commiſſum. enimuero ſi vltra centeſimum, præfectorum prætorio erit cognitio.* pudet me in re nota tam multa verba perdere, ac tam certis probandis immorari. tu hoc facis, cui quod certum, incertum eſt. tantus enim tuus ſtupor eſt, aut tanta malignitas, vt vtrumque

pro merito satis mirari non possim. vt ex omni ponte constringaris, nec amplius mouere te possis, ad originem ipsam ascendamus, & institutionem præfecturæ vrbanæ quæ ex consensu omnium scriptorum ad Augustum debet referri.

Præfectum igitur vrbi Augustus instituit, cuius fidei vrbem committeret. hinc *custos vrbis* Iuuenali, & *villicus vrbis* dictus est præfectus vrbi. & Seuerus in epistola ad præfectum vrbi, apud Iurisconsultum: *cum fidei tuæ vrbem nostram commiserimus.* Hinc Dioni προεστάτης τῆς πόλεως dicitur. sic enim de præfecto vrbi: ἵνα τά τε ἄλλα τῆς πόλεως προεστατῇ. Hic præfectus ex consilio & præcepto Mæcenatis, & instituto Augusti, capitalium omnium caussarum paucis exceptis cognitionem habuit, & omnium criminum animaduersionem tam quæ in vrbe quam quæ extra vrbem vsque ad centesimum admitterentur, nec in eos tantum homines qui Romæ degebant, sed in omnes qui extra vrbem intra centesimum consistebant, iurisdictionem illam suam potestatemque exercuit & exeruit. Dio lib. LII. καὶ τὰς δίκας τοῦ θανάτου, τοῖς τε ἐν τῇ πόλει, πλὴν ὧν ἂν εἴπω, καὶ τοῖς ἔξω μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων οἰκοῦσι κρίνῃ. sic ille præfectus vrbi capitales omnes causas dijudicabat & de omnibus criminibus cognoscebat, non solum quæ in vrbe, sed etiam quæ extra vrbem vsque ad centesimum admittebantur. Vlpianus leg. 1. D. de officio præfecti vrbi: *omnia omnino crimina præfectura vrbis sibi vindicauit, nec tantum ea quæ intra vrbem admittuntur, verum*

ea quoque quæ extra vrbem intra Italiam epistola diui Seueri ad Fabium Cilonem præfectum vrbi missa declarat. verba illa, *verum ea quoque quæ extra vrbem intra Italiam*, nimis laxe concepta sunt: nec enim eorum criminum quæ vltra centesimum in tota Italia admittebantur, animaduersionem habuit præfectus vrbi, sed eorum tantum quæ intra centesimum. nam vltra ipsum lapidem quod erat, iurisdictionem eius & cognitionem egrediebatur. Suspicor igitur apud Vlpianum in illo singulari libro de offic. præf. vrbi, sic olim fuisse scriptum: *verum ea quoque quæ extra vrbem intra Italiæ c. m.* hoc est, *intra Italiæ centesimum milliarium.* quas notas vel singulares litteras cum minime Tribonianus intelligeret, aut etiam corrupta illius loci lectio tunc esset in libris Vlpiani, *Italiam* pro *Italiæ c. m.* lectum esse. nam certum est nihil in Italia notionis aut potestatis habuisse præfectum vrbi extra centesimum lapidem. magna autem ex parte præfecturæ vrbis iurisdictio criminalis fuit. ius enim animaduertendi, coercendi, & atrociter verberandi habuit, & de his præcipue cognoscebat, quæ maiorem animaduersionem exigebant. hinc tutores siue curatores, qui male in tutela siue cura versati, grauiori animaduersione indigebant, quam vt eis suspectorum infamia sufficeret, ad eum remittebantur. leg. I. D. *de officio præfecti vrbi.* propria igitur hæc eius iurisdictio fuit, maleficiorum grauior omnis coercitio, in qua merum imperium fuisse positum discimus ex lege VI. D. *de officio procons.* Hæc

grauior delictorum coercitio, hoc merum imperium, hæc denique gladij poteſtas præfecto vrbi conceſſa fuit, non tantum in homines qui Romæ habitabant, ſed in omnes etiam qui extra vrbem vſque ad centeſimum. nam omnium criminum cognitio quæ in vrbe, & quæ extra vrbem ad centeſimum vſque admittebantur, ad eum pertinebat. recte igitur Caſſiodorus dixit in formula præfecturæ vrbanæ, ditioni eius non ſolum Romam eſſe commiſſam, verum etiam intra centeſimum milliarium poteſtatem illum protendere antiqua iura voluiſſe, *ne tantæ ciuitatis iudicem muralis agger includeret, cum Roma omnia poſſideret*. Hoc tamen imperium poteſtatemque, vſque ad centeſimum milliare protenſam, quæ maior omnibus in vrbe poſt principem fuit, quæque illi lege hoc eſt conſtitutione principis data eſt, habebat tantum dum in vrbe erat; ſi vrbem hoc eſt vrbis terminos exceſſiſſet, eam non amplius habebat, leg. III. D. *de officio præfecti vrbi*, quam ſupra explicauimus. Poterat tamen extra vrbem iubere iudicare, hoc eſt iudicem dare. quod ex propria eius iuriſdictione, & quæ iure magiſtratus competit, dependebat. poteſtas enim, quæ in illa lege vocatur, hoc eſt, merum imperium, quod in grauiori criminum coercitione, & capitali animaduerſione poſitum eſt, lege dabatur, non iure magiſtratus competebat. iudicis vero dandi poteſtas, propriæ iuriſdictionis pars erat. Hoc enim proprium fuit prætoriæ poteſtatis, cui propter vim imperij more maiorum iudices

F

dare licebat. nam tota prætoris iurisdictio in his duobus erat posita, vt aut iudicaret ipse, aut iudicare iuberet. Cicero in Legibus: *iuris disceptator qui priuata iudicet, iudicari-ve iubeat, prætor esto.* Præfecto vrbi hoc idem concessum fuit propter vim imperij vt & ceteris vrbanis magistratibus, quibus id more datum erat. leg. XII. D. de iudiciis: *is quoque cui mandata est iurisdictio, iudicem dare potest, vt sunt legati proconsulum, item hi quibus id more concessum est propter vim imperij, sicut præfectus vrbi, ceterique Romæ magistratus.* hoc proprium igitur & iure magistratus habebat præfectus vrbi, ne posset iubere iudicari, vt & prætor, ceterique Romæ magistratus. iurisdictio autem erat etiam iudicis dandi licentia, vt constat ex leg. III. D. *de iurisdictione.* atqui hæc iurisdictio præfecto vrbi iure magistratus competebat, sicut & prætori, & ceteris vrbanis magistratibus: secus in prouincialibus, vt proconsulibus & prouinciarum præsidibus. iudicis enim dandi licentia non illis propria aut iure magistratus competebat. leg. XII. D. *de iudicijs: iudicem dare possunt quibus hoc lege vel constitutione vel Senatusconsulto conceditur, lege sicut proconsuli.* non igitur hanc propriam habebant potestatem, sed a lege datam. Præfectus vrbi propriam habebat, quæ & illi iure magistratus competebat, etiam vrbis terminos egresso, etiam agri Romani fines vsque ad centesimum. Vt hinc, nisi cæcus sis, facile videre possis quam imperite neges propriam & iure magistratus congruentem iurisdictionem præfecti vrbis, excessisse terminos agri

Romani qui vltra vicesimum ab vrbe lapidem ex sententia tua minime excurrebant: & quam imperitius asseueres potestatem illam, & merum imperium quod lege datur, & rerum capitalium cognitionem, non solum intra centesimum habuisse præfectum vrbi, sed etiam per prouincias. quo falsius aliquid, ne si falsitas ipsa quidem velit, fingere possit. Vt paucis concludam, capitalium causarum cognitio,& omnium criminum animaduersio, & grauior coercitio in vrbe, & extra vrbem ad centesimum vsque præfecto vrbi lege data erat: nam constitutiones principis etiam pro lege sunt, & legem esse constat, *quodcumque imperator per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit*. leg. 1. D. de constitutionibus principum. hanc potestatem præfectus vrbi habebat tantum cum in vrbe erat: si terminos vrbis exiisset, hoc est si extra vrbem fuisset, eam non amplius habebat; eam dico potestatem quæ lege datur, quæ merum imperium appellatur, quæ in capitali animaduersione, & grauiori coercitione consistit. extra vrbem tamen poterat iubere iudicare. quæ iurisdictio iure magistratus eidem competebat.

Ex his quæ diximus & fuse disputauimus, cuiuis potest constare qui Sirmondus non sit aut Sirmondianus, districtum iurisdictionis vrbicæ, cui præerat præfectus vrbi, centesimo ab vrbe lapide fuisse comprehensum: hoc territorium eius fuisse: regionem vniuersam quę illo ambitu claudebatur,

ad eius iurisdictionem pertinuisse, cum omnia omnino crimina, quæ intra regionis illius vrbicariæ terminum admitterentur, ad eius cognitionem coercitionemque spectarent. Hæc regio cuius intra fines vrbica præfectura iurisdictionem coercitionemque haberet, quin vrbicaria dicta sit negare iam nemo potest: quin territorium quoque vrbicum, vel vrbicarium dici potuerit, ne id quidem potest quisquam negare, nisi tu Sirmonde, quem semper honoris causa excipio. Nam quid aliud est territorium Pomponio leg. ccxxxix. *de verborum significatione*, quam vniuersitas agrorum intra fines cuiusque ciuitatis? *quod ab eo dictum*, inquit, *aiunt quidam quod magistratus eius loci intra eos fines tenendi hoc est submouendi ius habet*. quacunque igitur posset magistratus submoto incedere, id eius territorium vocabatur. *submoto incedere magistratum* dicebant veteres qui per turbam a lectoribus submotam incederet. quam loquutionem olim Liuio & Plinio restituimus. *per dimotum incedere* dixit Lactantius. territorium igitur cum id omne spatium appellaretur cuius intra fines iurisdicendi coercendique, ac terrendi, id est submouendi magistratui eius loci libera potestas esset, cuiquamne dubium est, quin vniuersa regio quæ centesimo ab vrbe lapide claudebatur, cuius intra fines præfectus vrbi iurisdictionem coercitionemque habebat, territorium vrbicum, aut quod idem est, regio vrbicaria siue Romana potuerit appellari? territorium Pomponius cum definiat

vniuersitatem agrorum intra cuiusque ciuitatis fines, *vniuersitas* etiam simpliciter dicebatur. Frontinus de limitibus agrorum: *solum autem quodcumque coloniæ est assignatum, id vniuersum pertica appellatur. quidquid enim huic vniuersitati applicatum est, ex alterius ciuitatis fine, siue solidum, siue cultellatum fuerit, præfectura appellatur.* idem alio loco: *huic enim vniuersitati limes finem non facit, etiamsi publico itineri seruiat.* alibi apud eosdem auctores de limitibus, *vniuersus ager* pro eodem dicitur: & *vniuersus agri modus;* & *vniuersum solum:* aliquando etiam *vniuersa regio*, vt apud Hyginum de limitib. constituendis: *Si vniuersa regio cancellata erat, coloniæ iurisdictioni accederet.* Hinc *vniuersa regio Romana* in inscriptione veteri quam supra exposuimus, non erit regio aliqua vrbis Nolæ, sed vniuersitas Romana, hoc est territorium vniuersum vrbicum, vel vniuersa regio vrbicaria centesimi lapidis finibus comprehensa, quæ ad iurisdictionem præfecturæ vrbicæ pertinebat. Neminem adeo puto futurum indocilem, quin ex his omnibus queat doceri, te in determinandis agri Romani finibus & iurisdictione præfecti vrbi definienda, non magis peritum fuisse mensorem quam iurisperitum. Ecquid te pudet in vno eoque primo capite tam multa eaque insignia peccasse? pæne me piget tam multa castigasse. ὦ κάθαρμα nunquamne verum dices! si nescis, cur doceri non vis? si didicisti, cur non vis fateri? Si quod Augiæ nunc stabulum esset, stercoribus eius exportandis delegatum me multo mallem quam expurgandæ

errorum tuorum cloacæ, quæ si vlla hoc nomine olim Romæ fuit, hæc certe maxima est.

CAPVT II.

ITALIÆ diuisionem in suburbicarias & annonarias regiones rectam esse. Trebellij locum in epistola ad amicum recte expositum. Annonariam regionem opponi vrbicariæ. Vrbicariam omnes suburbicarias intra centesimum sitas comprehendisse, annonariam reliquas extra centesimum positas. Italiam speciali appellatione dictam eam Italiæ partem, quæ extra centesimum. Omnem annonariam regionem, & totam Italiam apud Trebellium esse idem. Non omnes annonarias sub vicario Italiæ, nec solas suburbicarias sub vicario vrbis fuisse. Vmbros & Vilumbros vna cum Sabinorum regione, Piceno adiunctos, Piceni suburbicarij nomine venisse. Annonarias appellatas ad distinctionem suburbicariarũ, & contra. Annonarij & suburbicarij appellationem distinctionemque ante Constantini Magni tempora natam, & notam fuisse. Annonarias dictas ab annona quam soluerent. Solas Italiæ prouincias extra centesimum huic olim functioni fuisse obnoxias. Hinc annonariæ suburbicariæque regionis discrimen. Hoc discrimen etiam durasse, postquam Italia tota, intra & extra centesimum, annonariam præstationem cœpit agnoscere.



VRBICARIA regione, per ea quæ in superiori capite fusius disseruimus iam satis asserta, & iurisdictione vrbicæ præfecturę intra vrbicariam illam regionem vsque ad centesimum iam plus satis confirmata, nunc asserenda restat annonaria regio, ac Italiæ diuisio in annonarias & vrbicarias regiones confirmanda. Nunc igitur hoc agamus. eam explodi debere iactas? tu potius extrudendus furcillis, & e

musico theatro exsibilandus, qui nihil aliud explodis nisi quod plausum meretur; nihil laudandum putas nisi quod explodendum est. Sed domine Rector, dic nobis, non tua sed bona fide, cur non recta tibi videtur hæc diuisio? cur cum censorem ageres, non eam reprehendisti? cur silentio tuo adprobasti? eo confidentius nunc me in ea ostentare dicis, quod eam in censura tua intactam reliqueras. itane vero? immo si nescis longe melior mihi videretur si eam reprehendisses:& quod nunc explodendum iudicas, iam incipit eo ipso mihi magis arridere, & propter eam nunc ipsi mihi magis plaudo. magnum sane hoc argumentum, rectam esse quod a te reiecta est. immo nullo modo proba esset, si tibi probaretur.

Vrbicariam regionem eam dictam fuisse, & vrbicarium territorium dici etiam potuisse multis probaueram, cuius intra fines iurisdictio præfecti vrbis coercitioque esset. eo sensu vrbicariam regionem appellari ostenderam leg. III. Cod. Theod. *tributa in ipsis speciebus inferri.* Romanam quoque regionem in ea significatione apud Vopiscum & inscriptionis Nolanæ auctorem, confirmaueram. quæcunque autem regiones speciatim in illa vniuersitate vrbicariæ regionis intra centesimum comprehensæ essent, eas vrbicarias etiam appellatas, & suburbicarias hoc est suburbanas, quod nullæ magis essent suburbanæ, easque omnes centesimo finiri demonstraueram. De annonaria regione restabat. eam nos asserebamus nō ex vno, qui

tamen omniũ instar esse posset, Trebellij loco, sed aliis præterea non paucis argumẽtis. quorũ omniũ istud erat longe validissimum. Nam si vrbicariæ distinctæ ab annonariis, vt Picenum vrbicarium & annonarium, Tusciam vrbicariam & annonariam passim apud auctores distingui videmus, ex eo quiuis queat intelligere Italiæ regiones alias fuisse vrbicarias, alias annonarias: & proinde vrbicariam regionem cuius mentio in leg. III. Cod. Theod. tit. quo supra, quæ vrbicarias omnes siue suburbicarias regiones, hoc est suburbanas complectebatur, diuersam esse ab annonaria regione cuius meminit Trebellius, quæ generatim reliquas Italiæ regiones, quæ suburbicariæ non erant, quæque annonariæ dicebantur, comprehendebat. neminem adeo Tiresiam futurum putaui, quin statim huius assertionis veritatem videret & cognosceret. sed tu qui Tiresias omnes, & Phineas cæcitate superas, hoc videre non potuisti. quin immo insuper, vt alios etiam cæcos faceres, & falsam eam esse omnibus persuaderes, quia tibi videbatur, nostram Trebelliani illius loci interpretationem impugnandam arripuisti, vt fundamento euerso cui tota, vt putabas, molitio incumbebat, corrueret ipsa facile, præcipitesque traheret suos auctores & vindices. Trebellium igitur ipsum audiamus, teque nouum Trebellij interpretem, vt quod ille dixit, & quod eum dixisse vis, quantopere distent, intelligamus. verba eius hæc sunt in Tetrico seniore, vbi de Aureliano sic loquitur: *Pudore victus vir nimium*

seuerus

ſeuerus eum quem triumphauerat, correctorem totius Italiæ fecit, id eſt Campaniæ, Samnij, Lucaniæ Bruttiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ atque Vmbriæ, Piceni & Flaminiæ, omniſque annonariæ regionis. quæris quid habeat hic locus, quod errori meo patrocinari putem? quæro viciſſim quid habere tibi videatur quod imperitiæ tuæ & contumaciæ velificetur? Sed quid velis videamus, vt id te fruſtra voluiſſe oſtendamus. vis Trebellium cum totam Italiam dixerit, & omnes eius prouincias enumeratione ſua complexus ſit, totam Italiam intelligere, & omnes eius prouincias deſignare, non ſolas annonarias. fateor quoque Trebellium totam Italiam dicere, ſed non alio ſenſu intelligere quam quo tunc accipiebatur, vt plurimum ac fere ſemper, Italiæ nomen, de omnibus nimirum Italiæ prouinciis, exceptis ſuburbicariis, quia cum vrbe ſimul ibant, & vrbicaria regione intra centeſimum milliarium comprehenſa, continebantur. Totam Italiam Trebellius haud minus recte dicere potuit de omnibus illis, quas dixi, regionibus, quam Athanaſius τὴν πᾶσαν Ἰταλίαν, aut Hieronymus *omnem Italiam*, de ſolis ſeptem Italiæ prouinciis, quæ vicario Italiæ parebant. ſic enim & in ea ſignificatione totam Italiam eos auctores intellexiſſe probabas. quod autem ais Trebellium loco ſupra memorato, enumeratione ſua omnes Italiæ prouincias comprehendiſſe, hoc falſiſſimum eſt. nullam enim ex illis, quas ſuburbicarias fuiſſe volumus, nominatim recenſuit, cum cæteras omnes

remotiores nominauerit. vbi enim in illa enumeratione Picenum suburbicarium? Nam Picenum quod ibi cum Flaminia iungitur, annonarium fuisse, ne tu quidem possis inficias ire. vbi Tuscia suburbicaria? Tuscia siquidem illa quæ Vmbriæ adnexa erat, & ibi simul cum Vmbria iunctim nominatur, annonaria fuit, & ab vrbicaria distincta. vbi denique Valeria? atqui eam fuisse vnam de suburbicariis ostendimus, & intra centesimum lapidem positam. sed vrbicarias illas quoque tibi concedamus ab eo recensitas fuisse, & nominatim enumeratas: ne sic quidem verum erit, Trebellium illa sua recensione omnes Italiæ prouincias nominatim complexum esse. nec enim in illa enumeratione Venetiam & Istriam inuenies, non Liguriam, non Æmiliam, non Alpes Cottias, non Rhætiam primam denique aut secundam: quas omnes prouincias nominatim non enumerauit, sed annonariæ regionis nomine comprehendit. Huic obiectioni ita occurristi: Galliæ togatæ regiones illas esse, non Italiæ: easque solas annonarias a Trebellio dici, & intelligi, cum ceteræ Italiæ regiones non fuerint annonariæ. quid fingi potuit imperitius aut ineptius, quam hoc a te fictum est? quasi Trebellij temporibus, aut ipsius Constantini ea pars Italiæ, Gallia togata etiam tunc diceretur sicut olim dicta est? sed ineptiam tuam siue potius alogiam de Gallia ista togata, quam & annonariam fuisse vis, paulo post exagitabimus. nunc quod agimus, agamus. Instas adhuc, & insis pertendere

neminem mihi concessurum, scriptorem non omnino malum, qualis est Trebellius, tam putida vsum esse tautologia, vt paucis & continuatis pæne verbis idem repetat, hoc est Tetricum correctorem Italiæ factum bis scribat. *quod fieri,* inquis, *necesse est, si vnum atque idem est Italia & annonaria regio.* Sed non vsum esse tautologia Trebellium, nec vnum atque idem esse semper Italiam & annonariam regionem, sed aliquod esse aliquando inter ista discrimen, faxo docearis, si doceri patieris. Trebellij ætate, ne ad inferiora tempora descendam, certum est Italiæ nomen interdum angustius, interdum latius sumi solitum. cum latius sumebatur, Italia vrbem ipsam cum vrbicaria regione, & omnem annonariam comprehendebat: anguste vero sumpta, non nisi eam Italiæ partem complectebatur, quæ tota extra centesimum excurrebat, exclusis & exceptis omnibus vrbicariis siue suburbicariis, quas claudebat centesimus. Pars illa Italiæ omnes annonarias regiones; vel, vt Trebellius loquitur, omnem annonariam regionem complexa erat, & ab vrbicaria quæ omnes suburbicarias continebat, separabatur. sic annonaria regio non aliam Italiæ partem designare poterat quam quæ extra centesimum erat, quæque ab vrbicaria distinguebatur intra centesimum conclusa. At Italiæ vocabulum, prout strictius aut laxius acciperetur, modo vrbicariam cum annonaria regione, modo solam annonariam designabat. Trebellius igitur cum dixisset totius Italiæ Tetricum factum ab Au-

reliano correctorem, ne quis intelligeret totam Italiam dici lata illa generali notione, quæ vrbicariam annonariamque regionem comprehendebat, hoc est omnes intra centesimum, & vltra centesimum positas prouincias, paucis interiectis verbis, sese explicauit, & illam Italiam totam, cuius Tetricum factum correctorem scripserat, ad solam annonariam restrinxit, & ad eam Italiam, quæ ab vrbicariis regionibus separabatur. hinc enumeratis aliquot Italiæ prouinciis, iisque annonariis, nulla inter eas nominata suburbicaria, vt reliquas annonarias quæ restabant, vno verbo absolueret, & simul indicaret, quo sensu dixisset, Tetricum totius Italiæ correctorem factum, subiunxit, *omnisque annonariæ regionis.* sic cæteras Italiæ prouincias, quas enumeratione sua non comprehenderat, quæque nominatim enumerandæ supererant, vnico illo verbo annonariæ regionis expediuit, & simul ostendit, quas iam nominauerat prouincias, annonarias omnes esse, & Italiam totam, quam supra posuit, de hac omni tantum annonaria quam subiunxit, esse intelligendam. igitur *omnis annonaria* Trebellio & *tota Italia* vnum atque idem fuit, nec bis tamen idem dixit. nam posteriore clausula priorem explicauit, quæ alias obscura poterat esse & ambigua. siquidem *tota Italia* aliquando vrbicarias cum vrbe annonariasque omnes regiones complectitur, aliquando solas annonarias. At annonaria regio nunquam latiore significatu poterat accipi, quam de illa Italiæ parte quæ extra

centesimum patebat, & ab omni vrbicaria regione erat seclusa. quemadmodum autem Trebellius totam Italiam de sola annonaria regione dixit, ac de illa sola Italia quæ vltra centesimum, sic *omnem Italiam* eadem acceptione posuit Aurelius Victor in Herculio, cum dixit, *omnem olim Italiam eadem functione moderataque egisse, quo exercitus, & imperator, qui semper, aut maxima ex parte aderant, ali possent.* de annonaria enim intelligit, hoc est, de illa Italiæ parte, quæ annonam alendo exercitui præstabat, atque inde annonaria appellata est. cuius annonariæ functionis vrbicaria olim fuit immunis, vt paulo post ostendam. atque hæc est Italia quæ passim in Codice Theodosiano, & Notitia imperij ab vrbicariis & suburbicariis regionibus secernitur. Hæc nostra est illius Trebelliani loci; nũc ad tuam veniamus, & videamus qualis sit interpretatio. scribis, *annonarias a Trebellio regiones eas tantum intelligi quæ vel in Gallia togata sitæ vel proximæ huic essent: ad quas ille cum percensendis Italiæ regionibus peruenisset (Flaminiam enim & Picenum annonarias fuisse) quia ceteræ quæ sequebãtur annonariæ item erant, tum ideo ne vllam excluderet,* OMNIS ANNONARIÆ REGIONIS *clausulam subiecisse. Ceterum annonarias istas non solas, sed ijs quas ante nominarat adnexas, totius Italiæ regiones complecti. aliud proinde, annonarias, aliud totius Italiæ regiones esse.* Hæc tua omnia verba sunt. nihil in illis immutaui: nihil de meo adposui, aut adfinxi. si verum libenter audires, libenter heic ego etiam tibi verum dicerem. sed licet inuitus audias, hoc tamen tibi dicam

oportet, quod vero verius eſt, arte magna, & non minore conatu, te maximas vt nugas blatterares laboraſſe, & pauciora in illa interpretatione tua, verba eſſe quam vitia. Primum, quî tibi in mentem venit in illo Trebellij loco, Galliam togatam ſomniare, & ab Italia eam diſtinguere, cum Galliæ togatæ nuſquam ibi meminerit Trebellius, ſed totius tantum Italiæ? cuius Italiæ ſi partem fuiſſe negas Galliam togatam, aut ſi alio nomine, quam Italiæ tunc notam fuiſſe arbitraris, vt modeſte ac modice dicam, inſanus es. ſed nec adeo te inſanire puto, qui ſciam te ſcire circa Conſtantini tempora, a quibus haud longe Trebellius, partem illam Italiæ, quæ olim Gallia togata vocabatur, Italiam proprie ac ſpecialiter fuiſſe appellatam, & vicarium qui eam regebat, non Galliæ togatæ vicarium, ſed Italiæ dictum. cur igitur nunc, aut quo conſilio Galliam nobis togatam obtrudis? aut cur eam ab Italia diſtinguis? cur regiones Italiæ ab annonariis, quas in illa togata Gallia ſitas eſſe vis, diuerſas facis? nonne hæc inſulſa ſunt, abſurda, falſa, commentitia?

Iam quid illo falſius, aut commentitium magis, quod ſolas in Gallia togata regiones, & quæ proximæ huic eſſent, vt Flaminiam & Picenum, annonarias fuiſſe autumas? quis hoc tibi auctor prodidit? quis teſtis confirmauit? ſaltem nos docuiſſes, quo argumento, qua coniectura rem ita ſe habere expiſcatus ſis. an ſatis erit, vt aliquid verum ſit, hoc verum eſſe te pronuntiare? quidquid ſine teſte

dixeris, sine auctore docueris, hoc erit certum & indubitatum? αὐτὸς ἔφα. credite posteri. Sed rationes tecum putemus, & tuas cum nostris comparemus, si paria facere poterunt. Vellem nimium ex te scire cur hac in re dispar tibi conditio visa sit, Galliæ togatæ, & reliquæ totius Italiæ? cur ex regionibus Italiæ, quas ab Galliæ togatæ regionibus imperite separas, duas tantum aut tres, easque Galliæ viciniores, annonarias tantum fuisse tibi persuaseris, reliquas non item? an propter contagionem ex vicinitate contractam, regiones illæ Italiæ annonariæ factæ sunt, quod Galliam scilicet togatam de proximo contingerent, quæ tota annonaria esset? vicinitas igitur illis miseris regionibus nocuit. *sic mala corporibus transitione nocent.* ex illis Italiæ regionibus, quæ Galliæ togatæ proximæ erant, quæque ideo annonariæ tibi fuisse videntur, duas tantum nominas, Picenum, & Flaminiam. poteras etiam nominare Tusciam & Vmbriam. Nam ea Tuscia quæ cum Vmbria iungebatur, haud minus annonaria fuit, quam Picenum illud quod Flaminiæ adnexum legitur. Sed quis tibi dixit, aut vnde didicisti, Flaminiam aut Vmbriam fuisse annonarias? nusquam enim ita vocatæ apud veteres reperiuntur. de Piceno sane constat, vt & de Tuscia, annonarias eas fuisse, quandoquidem ita passim in veteribus libris appellatas legimus. Picenum annonarium dicitur apud veteres, sed ad differentiam alterius Piceni, quod erat ac dicebatur suburbicarium aut vrbicarium. Tuscia item annonaria,

ad distinctionem alterius Tusciæ suburbicariæ. si Flaminia nusquam apud veteres annonaria nominatim memorata reperitur, quia scilicet nulla erat Flaminia suburbicaria, a qua distingueretur, cur Flaminiam magis tibi persuadebis annonariam fuisse, quam aut Campaniam, aut Samnium, aut Lucaniam, aut alteram quamlibet Italię regionem? cur Galliæ togatæ regiones, magis erunt annonariæ quam reliquæ totius Italiæ ciuitates? potes vllam rationem huius diuersitatis, aut disparilis conditionis, siue veterem producere, seu nouam procudere? nullam attulisti, ideo quia nullam potuisti. auctorem etiam nullum produxisti, quia nullum habuisti. sed ego auctorem tibi dabo, quo auctore tuto possis credere, non eas tantum, quas tibi lubet, sed omnes omnino totius Italiæ regiones, quo sensu totam Italiam dixit Trebellius, fuisse annonarias. is est Aurelius Victor, cuius auctoritatem, vt puto non defugies: loco notissimo, ac iam omnium manibus & oculis tritissimo. sic ille scribit in Herculij vita: *cum omnis Italia eadem functione, moderataque ageret, quo exercitus, atque imperator, qui semper aut maxima parte aderant, ali possent, pensionibus inducta lex noua.* functio illa quam omnis Italia agnoscebat, qua exercitus atque imperator alebantur, non alia potest esse quam annonaria. hinc passim *annonaria functio* in Codice Theodos. quæ diuersa a pensione vel tributo, cui olim cum obnoxia non esset Italia, cœpit esse sub Diocletiano. hanc igitur annonariam functionem omnis

Italia

Italia præstabat, nulla Italiæ regio eius immunis fuit. sed omnem Italiam dixit Victor, in ea significatione qua Trebellius totam Italiam, exceptis suburbicariis quæ intra centesimum. sic enim vterque Italiam intellexit, atque ita passim accipienda Italia in Cod. Theod. cum a suburbicariis distinguitur ac separatur. Nam & Trebellius cum & totam Italiam nominasset, & plures Italiæ prouincias nominatim enumerasset, reliquas vero annonariæ regionis nomine comprehendisset, nullam ex suburbicariis inter eas nominauit. Vides ex illo Victoris Aurelij loco omnem Italiam functioni annonariæ fuisse obnoxiam, ac proinde omnes Italiæ regiones, non eas tantum quas volebas, annonarias fuisse. sed hoc etiam non videbis, ita cæcus es; aut videre noles, ita pertinax es. missum igitur faciamus testimonium illius Victoris. tu nobis vnus eris pro centum testibus. tuo itaque te ipsum testimonio reuincam, ac tuo tibimet gladio iugulum recidam. nonne ipse es qui in fine huiusce secundi capitis Aduentoriæ tuæ probare voluisti non solum annonarias regiones, sed etiam suburbicarias annonariam functionem debuisse? atqui suburbicariæ regiones tibi sunt quæcunque erant sub dispositione vicarij vrbis. Et illæ regiones omnes eædem omnino fuere, quas heic enumerauit Trebellius, quas in hoc Trebellij loco Italiæ regiones proprie esse vis, quas denique ab annonariis illis distinguis, quæ in Gallia togata, sic tibi videtur, erant sitæ. non dubium est omnes regiones,

quæ annonariam functionem penderent, fuisse annonarias. vnde enim dictæ annonariæ nisi ab annonaria functione, quam soluebant? cur igitur heic sex, aut septem tantum Italiæ regiones annonarias facis, easque ferme solas quæ in Gallia togata erant sitæ, & duabus ab hinc paginis, omnes omnino Italiæ regiones functionibus annonariis obnoxias, hoc est annonarias fuisse contendis? mirifice tecum ipse pugnas. ecquid te pudet desultoriæ istius leuitatis? incogitantia hæc tua est aut inconstantia mirabilis. tantulo in spatio ac tam breui gyro tam contraria sibi scribere aliquem aut loqui quis non miretur? omnibus ego te Vertumnis iratis & iniquis natum deputo, immo te ipsum vt vnicum Vertumnum, & opinionum tuarum leuissimum desultorem cum risu miror.

Sed verba interpretationis tuæ ad illum Trebellij locum iterum excutiamus, & perpendamus: *annonarias a Trebellio regiones eas tantum intelligi, quæ vel in Gallia togata sitæ, vel proximæ huic essent: ad quas ille cum percensendis Italiæ regionibus peruenisset, Flaminiam enim & Picenum annonarias fuisse, quia ceteræ quæ sequebantur annonariæ item erant, tum ideo ne vllam excluderet,* OMNIS ANNONARIÆ REGIONIS *clausulam subiecisse.* quo magis hæc verba tua considero, eo magis in his ego te tanquam in speculo pro maximo nugatore contemplor. Italiæ regiones tibi sunt tantum, quas ibi Trebellius enumerat; quas vero non enumerauit, sed *omnis annonariæ regionis* clausula complexus est, non Italiæ re-

giones tibi ſunt, ſed Galliæ togatæ. Galliæ nimirum togatæ regiones diuerſæ ab Italiæ regionibus. quæ in Gallia togata ſitæ regiones, omnes annonariæ. quæ in Italia, non item, exceptis duabus, Piceno & Flaminia. hæ duæ tantum ex Italiæ regionibus annonariæ erant, quia proximæ fuere Galliæ. Hæc omnia ex tuis illis verbis colligi poſſunt: quorum abſurditatem & imperitiam ſi quis non videt, fateatur oportet ſe nihil videre. cur ex Italiæ regionibus, & ex his quas recenſuit Trebellius duas tantum annonarias vis eſſe, Picenum & Flaminiam? nonne Tuſcia etiam annonaria? quid de Vmbria cenſes cui adnexa fuit? ſi Flaminia annonaria, quia cum Piceno annonario iuncta erat, quî minus annonaria quoque Vmbria, quæ Tuſcię annonariæ adiungebatur? quattuor igitur iam tenemus annonarias Italiæ prouincias, Vmbriam, Tuſciam, Picenum & Flaminiam. ſi quattuor iſtæ Italiæ regiones fuere annonariæ, cur reliquæ non fuere? quæ ratio diuerſitatis? Si omnes autem Galliæ togatæ regiones annonariæ, cur aliquæ ex regionibus Italiæ tales? ſed vt alia omittam, Deus bone, quam ineptum illud eſt, quod iam exagitaui, quod iterum exagitandum eſt, de Gallia togata? quaſi Gallia togata vlla eſſet, aut vſpiam nominaretur, Trebellij temporibus? quaſi pars Italiæ non cenſeretur? quaſi regiones eius non haberentur inter Italiæ regiones? quaſi nomine diſtinguerentur? atqui illa ipſa Gallia togata, hoc eſt regiones illæ quæ olim Galliam togatam conſtituebant,

haud ita longe post Trebellij ætatem circa Constantini tempora Italiam strictius & specialius sumptam constituerunt, & qui eas regiones regebat propræfectis, non Galliæ togatæ vicarius, vt scis, sed Italiæ dicebatur. non igitur verum est quod ais, immo nihil veritati magis ἐκ διαμέτρου contrarium, Trebellium in enumerandis Italiæ prouinciis, postquam ad eas peruenit, quæ annonariæ fuerunt, quia ceteræ quæ sequebantur annonariæ item erant, ideo vt omnes comprehenderet, clausulam hanc subiecisse, *omnisque annonariæ regionis.* immo enim vero ex hac clausula quam subtexuit, vel maxime patet, tam eas quas nominatim percensuit, quam illas, quas annonariæ regionis nomine complexus est, fuisse annonarias. cum enim aliquot Italiæ regiones enumerasset, & longum esset ceteras nominatim recenseri, vt rem compendij faceret, addidit clausulam istam, *omnisque annonariæ regionis:* qua clausula, & illas quas minime nominauit complexus est, & illas quas antea nominauerat, annonarias quoque & ex annonaria regione fuisse ostendit, simulque declarauit, quo sensu totius Italiæ factum correctorem Tetricum intellexerit. non enim totius Italiæ generali notione acceptæ, quæ vrbem & vrbicarias regiones, & annonarias omnes comprehendebat, sed Italiæ strictius sumptæ, qua continentur omnes regiones quæ in Italia sunt, exceptis suburbicariis, factum eum correctorem intellexit. *tota* igitur *Italia, & omnis annonaria regio*, idem penitus sunt, & ex ad-

uerso respondent. ita sensisse Trebellium nihil magis fidem fecerit, quam quod in illa enumeratione regionum Italiæ, ne vllam quidem ex iis quas certo constat suburbicarias fuisse, nominauit. Qui corrector igitur Italiæ per illa tempora dicebatur, non alias regiones Italiæ sub se habebat, quam annonarias, quæ extra centesimum. nam vrbicariæ siue suburbicariæ quæ intra centesimum erant, vrbem sequebantur, & ad vrbicam iurisdictionem pertinebant. quibus tamen regionibus suburbicariis, sui quoque postea impositi præsides & consulares, vt paulo post dicam. *Correctoris Italiæ* passim occurrit mentio in veteribus inscriptionibus. vbi vox *Italiæ* simili modo accipienda est, vt apud Trebellium, *omni annonaria regione*, extra centesimum posita, & seclusa ab vrbicaria quæ intra centesimum sita erat.

Nunc pensum hoc absoluamus, & futilem istam tuam telam detexamus. sequitur: *Ceterum annonarias istas non solas, sed iis quas ante nominarat adnexas, totius Italiæ regiones complecti. aliud proinde, annonarias, aliud totius Italiæ regiones esse.* si annonarias non solas apud Trebellium, sed iis quas ante nominarat adnexas Italia tota complectitur, cur tibi libitum est, Galliam togatam tot iam seculis intermortuam ex Orco reuocare, & ab Italiæ regionibus secernere, & sic specialem quamdam Italiam constituere, cuius regiones annonariæ non essent, & ab annonariis distinguerentur, quæ in Gallia togata sitæ? tu regiones quas percensuit Trebellius Italiæ re-

giones esse docuisti; quas vero minime nominauit, sed annonariæ regionis appellatione designauit, Galliæ togatæ vindicasti. Nunc vero & istam Galliam togatam, hoc est annonariam regionem, & illas Italiæ regiones Trebellio nominatas, totius Italiæ regionibus comprehendi asseris. Igitur si recte animi tui mentem assequor, Italia generalius sumpta, & Galliam togatam comprehendebat, & Italiam pressius ac specialius acceptam. sed tuum erat docere Trebellij Pollionis tempore, hoc est paulo ante Constantini imperium, Galliæ togatæ nomen adhuc in vsu fuisse, & statim post Constantinum quæ specialis antea fuerat Italia, hoc esse desiisse, & e contra quæ Gallia togata vocabatur, specialis Italiæ nomen accepisse. tu enim ipse es qui per ea tempora specialem Italiam non plures prouincias occupasse contendis, quam quas olim Gallia togata obtinebat, & Italiam eam proprie ac specialiter appellatam affirmas, atque ideo seclusam a Campania, Calabria, Lucania, Bruttiis, Apulia, Tuscia, & ceteris, cum apud Athanasium, tum in epistola concilij Sardicensis. atqui illæ ipsæ sunt regiones, quas in isto Trebellij loco, regiones Italiæ fuisse scribis, & ab annonariis distinguis quæ in Gallia togata sitæ erant. Hæc iam supra multis castigauimus. sed pro merito satis, etiamsi centies castigetur, non potest tanta siue imperitia siue ablepsia castigari. Ceterum quod ita infers & concludis, *aliud annonarias, aliud totius Italiæ regiones esse*, vt falsissimum est, sic verissimum esset, si quidem

non plures forent regiones annonariæ, quam quas posuisti. certum quippe est, aliud esse totum, aliud esse partem: ac proinde aliud totam Italiam, aliud partem Italiæ. sed iam tibi ostensum est, annonarias regiones, non partem Italiæ facere, sed totam, sicut *totam* intellexit Trebellius, & *omnem* Aurelius Victor. nam omnis Italia, vt ex Victore scimus, annonaria fuit, hoc est annonariis obnoxia functionibus. sic totam Italiam dixit Trebellius, de omni annonaria regione, & omnem annonariam regionem de tota Italia. sic optime & verissime concludi potest, idem annonarias, idem totius Italiæ regiones esse. nullam enim suburbicariam nominauit Trebellius, aut inter eas quas speciatim enumerauit, aut inter eas quas regionis annonariæ nomine complexus est. omnes igitur annonariæ, & quas nominatim recensuit, & quas annonariæ regionis clausula designauit, quasque totius Italiæ appellatione comprehendit. suburbicariæ autem regiones ideo Italiæ nomine non censebantur, nec de Italia esse quodammodo existimabantur, quia intra centesimum conclusæ, & in vrbicaria regione positæ, vrbicum territorium constituebant. Hinc Italia extra centesimum nomen habere incipiebat, & illud Italiæ tantum esse putabatur, quod erat vltra centesimum. nec vero te mouere debet, quod Trebellius *totam Italiam* dicendo, non tamen vrbicarias regiones comprehendit. nam omnis, vt dixi, Italia ea tantum intelligebatur quæ extra centesimum: regiones quippe quæ intra centesimum,

cum vrbe iunctim ibant,& vrbi adnexæ erant,& ad vrbicariam iurisdictionem pertinebant: vrbicum denique territorium,& vrbicariam regionem constituebant, ideo ab Italia tam re quam appellatione distinguebantur. at vltra centesimi fines, hoc est territorium vrbicum, Italia incipiebat appellari. id egregie ostendit Dionis locus lib. LII. qui de iurisdictione præfecti vrbi loquens, totum illud regionis tractum quod ab vrbe ad centesimum vsque intercedebat, Italiæ nomine neutiquam donauit: quod vltra terminum illum fuit, Italiam nominauit. Hæc eius verba sunt: τὰς τοῦ θανάτου δίκας τοῖς τε ἐν τῇ πόλει καὶ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων οἰκοῦσι κρίνῃ. De Italia centesimi fines egressa ita subiicit: τήν τε Ἰταλίαν πᾶσαν, τὴν ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίους οὖσαν. vides τὴν Ἰταλίαν πᾶσαν, omnem Italiam a centesimo appellari incipere, & intra centesimum Italiam non fuisse dictam. Probat hoc idem insigniter lex II. Cod. Theod. *de in integrum restitutione*, his verbis: *placuit ad interponendam contestationem in vrbe Roma vsque ad anni tricesimi extremum diem spatia prorogari: & intra centesimum vrbis Romæ milliarium, si tamen ab his iudicibus qui Romæ sunt, fuerit iudicandum: per omnem vero Italiam vsque ad finem anni vicesimi & noni.* Italia omnis in hac lege opponitur centesimo, & vltra centesimum ponitur. sic leg. IX. *de annona, & tributis*, suburbicariæ regiones, ab omnibus Italiæ regionibus separantur: ita enim habet: *tabulariorum fraudes se resecasse per suburbicarias regiones vir clarissimus*

Anatolius

Anatolius consularis missa relatione testatus est. & paulo post: *quod iubemus vt etiam per omnes Italiæ regiones par ratio seruetur.* Omnis igitur Italia, tota Italia, omnes Italiæ regiones, de Italia quæ extra centesimum & quæ a centesimo incipiebat, accipi debent. ita intellexit Trebellius, cum *totam Italiam* dixit, ita Aurelius Victor. sic omnis Italia, & omnis annonaria regio idem. nec aliud omnes Italiæ regiones, & omnes annonariæ. & tam hæ quam illæ ab vrbicariis siue suburbicariis diuersæ.

Ceterum operæ pretium est scire, aut saltem diuinare, si id certo scire non possumus, quid ita tibi placuerit, cum omnes Italiæ regiones annonariæ fuerint, septem ex his tantum annonarias fuisse velle. sunt autem istæ: Venetia cum Istria, Æmilia, Liguria, Flaminia cum Piceno, Alpes Cottiæ, Rætia prima, Rætia secunda. cur præter has nullam in Italia annonariam regionem tibi fuisse placeat, per te non liquet. nullam enim affers rationem. nullum auctorem profers. nec tamen ipse satis auctor magnus es, vt tibi sine teste credamus, aut voluntatem tuam pro ratione ducamus. quid igitur, aut quem sequutus es? quis tibi huius opinionis fundus? Hoc si indicasses, molestiam nobis quærendi dempsisses, & laborem nostrum deminuisses. sed quoniam id nos scire noluisti, non prohibebis saltem suspicari. suspicionem igitur meam tibi ea de re ostendam, vt si vera sit, annuas; si falsa, quid verius sit nobis monstrare digneris. septem supra scriptæ regiones, quas solas

annonarias fuiſſe tibi perſuades, eæ fuerunt, quas Italiæ vicarius adminiſtrabat. ceteras omnes Italiæ regiones quæ vicario vrbis parebant, cum ſuburbicarias fuiſſe, tum ita appellatas eſſe quod ſub vicario vrbis eſſent, quouis pignore contendis: quia vero ſuburbicariæ ſimul & annonariæ eſſe non poterant, quandoquidem annonariæ non dicerentur niſi ad diſcrimen ſuburbicariarum, quod in diſtinctione Tuſciæ annonariæ & ſuburbicariæ patet, Piceni item annonarij & ſuburbicarij, cum ſuburbicarias omnes vicario vrbis ſubieciſſes, hoc ſcilicet reſtabat, vt annonariæ regiones vicario Italiæ ſubiici debere viderētur. Nam niſi hoc eſſet, ſuburbicarias cum annonarijs confundi oporteret; tum ratio non appareret diſcriminis, quod inter Tuſciam annonariam, & ſuburbicariam, inter Picenum ſuburbicarium & annonarium fuiſſe ex veterum auctoritate conſtat. ſuburbicarias omnes vt cenſes adminiſtrabat vicarius vrbis, quæ & ab ipſo ſic dictæ ſunt ſuburbicariæ. ergo annonariæ dandæ fuerunt Italiæ vicario. Hoc te ſequutum eſſe non affirmo, præſertim cum taceas ipſe, ſed cum nihil probabilius videam quod tibi in eam ſententiam deſcendenti præire potuerit, ſuſpicor haud temere, te nihil aliud habuiſſe cauſæ, quare ſolas eas ſeptem regiones annonarias fuiſſe tibi ipſi finxeris. recte an ſecus id ſuſpicatus ſim, tuum nunc erit nos docere, & ſiquam aliam rationem habuiſti, eam nobis indicare. Sed profecto quia valde mihi ſit veriſimile tibi non aliam in mente

fuiſſe,qui certo ſciam nec eſſe potuiſſe,oſtendam tibi quam falſus animi fueris, & quam falſas rationes ſequutus ſis.etſi enim cogitationem tuam non diſerte exprompſeris, nec clarius expreſſeris,id te tamen cogitaſſe, verba tua ſatis aperte clamant. primum præter illas ſeptem regiones,quæ ſolæ tibi ſunt annonariæ,Tuſcia etiam quæ Vmbriæ adnexa eſt,annonaria fuit,eaque non ſub diſpoſitione vicarij Italiæ,ſed ſub vicario vrbis.eadem igitur & annonaria fuit,quia paſſim eam ſic veteres appellant: & ſuburbicaria quoque,quia ſub vrbis vicario. quid igitur fiet alteri Tuſciæ, quæ ſuburbicaria vocatur ad diſtinctionem annonariæ? nam ſi annonaria illa,etiam erat ſuburbicaria,quia vicario vrbis parebat, friuolum & nugatorium diſcrimen erit Tuſciæ annonariæ & ſuburbicariæ. in Piceno recte hæc διάκρισις procedit. nam ſuburbicarium Picenum ſub diſpoſitione vicarij vrbis fuit, annonarium cum Flaminia ſub adminiſtratione vicarij Italiæ. quid ita vero hoc diſcrimen in vna prouincia ſeruatum apparet,in altera neglectum? in Piceno clare diſtinctum,in Tuſcia penitus confuſum? expedi te heic ſi potes, aut aperte ſaltem explica. ſi non habes quid certi ſtatuas de Italiæ prouinciis, quænam ex his ſuburbicariæ, quænam vero annonariæ, quid heic te magnum facis, ac operam tuam nobis venditas? homo inepte, vel dic tandem aliquid quod ſequamur, vel ſequere quod docemus.

Deinde niſi peruorſe ſaperes, animaduerſum

illud a te oportuit, quo tempore ſcribebat Trebellius, qui annonariæ regionis meminit, nondum vllos vrbis aut Italiæ in orbe Romano extitiſſe vicarios. annonariæ ergo regiones in Italia fuere, antequam vlli eſſent vicarij. ſi annonariæ, vtique & ſuburbicariæ. Nam ſi Pollionis æuo fuit vllum Picenum annonarium, quod fuiſſe confiteris, fuiſſe oportet & ſuburbicarium. nec enim dicitur annonarium Picenum niſi ἐπὶ διακρίσει καὶ πρὸς διαγνωρισμὸν Piceni ſuburbicarij. de Tuſcia annonaria idem ſtatuendum: non illa ſic cognominaretur, niſi aliqua eſſet Tuſcia ſuburbicaria. ſi ſuburbicariæ porro regiones etiam tum cognitæ in Italia fuere, cum nulli adhuc erant vrbis vicarij, ſuburbicarias neceſſe eſt aliunde nomen eſſe ſortitas qaam ab vrbis vicarijs, & alias fuiſſe quam quas vrbis vicarius adminiſtrabat. imperite igitur faceret, qui numerum annonariarum regionum redigere poſtularet ad numerum prouinciarum quas vicarius Italiæ regebat, aut ſuburbicarium extendere ad numerum earum quæ vicario vrbis parebant. nam & longe plures numero vicarius vrbis adminiſtrabat quam ſuburbicarias, nec annonarias omnes ſub diſpoſitione ſua habebat vicarius Italiæ. quod vel ex Tuſcia & Vmbria conſtare poteſt, quæ annonariæ cum eſſent, vicario tamen vrbis parebãt, non vicario Italiæ. Omnis igitur Italia annonaria, vt liquet ex Aurelio Victore & Trebellio Pollione locis ſupraſcriptis. ſuburbicariæ vero illæ ſolæ, quæ in vrbicaria regione, hoc eſt vrbis territorio poſitæ, &

intra centeſimum incluſæ. Quare iterum concludamus, non aliud annonarias regiones, aliud Italiæ totius eſſe, ſed idem prorſus eſſe Italiam totam, & omnem annonariam regionem. i nunc atque aude dicere aptam & expeditam tuam eſſe Trebelliani loci interpretationem. immo nihil ineptius illa, nihil impeditius. qui mihi non credent, rem ipſam teſtem habebunt. ſi ad iudicem ire vis, ne Ducæum quidem Frontonem tuum, qui te tantum amat, ac tua tanti facit, capere reformido. nam niſi fallor, & tibi vapulanti fauebit, & meo iudicio ſubſcribet.

His tot argumentorum iaculis confixus & confoſſus, vique veritatis ipſius, toto ſuo pondere incumbentis oppreſſus, nondum tamen manum porrigis, nec arma mouere deſiſtis,

Ἀλλ' ἔτι καὶ περὶ δουρὶ πεπαρμένος οὐκ ἀπολήγεις.

Telum adhuc vnum tibi ſupereſt, vt putas, validiſſimum, quod manu deficiente vix retinens, tamen intentas, & ſic infeſtum vibras. *Pugnant*, inquis, *iſta ſecum, annonarias regiones in Italia dici quæcumque ſint intra centeſimum, & Vmbriam tamen inter annonarias numerari, quæ intra centeſimum continetur. ſuburbicarias rurſus eo ſpatio definiri, quod centeſimo terminatur, cum Picenum quod inter ſuburbicarias cenſeri compertum eſt, extra centeſimum lapidem poſitum eſſe nemo neſciat.* non fortiſſimum tantum ac potentiſſimum argumẽtum tibi viſum eſſe video, ſed omnem omnino te in eo ſpem victoriæ poſuiſſe certo ſcio. ſic vrges illud & inculcas: ſic totis intortum viribus, &

rotatum iacularis. quãtum vero in illo vnico argumento, & quam validum præſidium collocatum tibi putaueris, apud amicos diſſimulare non potuiſti, quibus audio te dixiſſe, paratum eſſe noſtris rationibus concedere, & ad ſententiam noſtram accedere, ſi modo probaremus Picenum, quod ſuburbicarium vocabatur, intra centeſimum fuiſſe poſitum, Vmbriam vero, quam ſuburbicariam eſſe negamus, extra centeſimum ſubmotam fuiſſe. Hoc ſi verum eſt, ſi bona fide iſtud dixiſti,

Noſter es, & captos hinc iam obliuiſcere Grajos.

Nam ſi non alius tibi reſtat ſcrupulus, nec aliud quidquam iam obſtat, quominus nobis ita ſentientibus aſſenſum tuum commodes, tam facile, & ille tibi ſcrupulus eximi, & hoc impedimentum amoueri poteſt, quam cadit imber, cum pluit. Digladiaris porro ſolus heic ipſe tecum, & cornua in ventum iactas, pedibuſque arenam ſpargis, ταῦρος ὡς εἰς κέρας θυμούμενος, ſic quaſi viceris tibimet ipſe triumphum canis, & lauream poſtulas. ſed priuſquam de triumpho, de curru, de laurea cogitares, victoriæ te certum eſſe oportuit, & manifeſtis rebus oſtendiſſe, Vmbriam intra centeſimum concluſam, Picenum ſuburbicarium a centeſimo excluſum. Nihil
„ horum heic facis & tamen clamas, aut Vmbriam
„ de annonariarum albo expungendam, aut anno-
„ narias etiam intra centeſimum aliquas fuiſſe con-
„ fitendum: Aut Picenum porro ſuburbicarium ne-
„ gandum vllum fuiſſe, aut ſuburbicarias etiam vltra
„ centeſimum poſitas agnoſci debere: ita caſſam &

futilem ac ſecum ipſam pugnantem noſtram iſtam „
ſuburbicariæ & annonariæ regionis, quam ex Tre- „
bellio confirmabamus diſtinctionem. Hæc magni- „
fica tua verba ſunt, ſed nihil plus quam verba, quæ
ſic rebus caſſa ſunt, vt tu ipſe bona mente & ſano
iudicio. ſed ita inaniter garriendo, operam non
perdidiſti. cerebrum tibi fortaſſe calebat, ideo per
calamum frigefactare illud voluiſſe arbitror. Nullam igitur heic cauſam, aut rationem edis quæ nos
adigat credere, Vmbriam centeſimo contineri, aut
Picenum ſuburbicarium extra eos fines totum excludi. Nænias tantum inanes, & nugas vento tumidas ſolidiſque rationibus vacuas aggeris, quæ
vno ſpiritu poſſunt difflari. Sunt enim folia farfari. Ceterum in ea Vindiciarum cenſura quam Aduentoriæ tuæ ſubiecisti, vt iterum cenſorem te
ſentiret coniector Anonymus, exquiſite totam
hanc rem perſequutus es, cauſis etiam additis, quare ita putares, ac ita eſſe quoque nobis perſuaderes.
quo facto fateor officium te boni ducis feciſſe;
quia tibi cum duobus res erat, & diuerſis locis vno
tempore pugnandum, nihil opportunius aut commodius viſum eſt, quam diuidere copias, & alibi leuem armaturam, alibi graues & ſtatarios milites
inſtructos opponere. Ego vt vbique vincaris, omnibus locis occurram, & abſente collega, nihilo ſecius aciem inſtruam, & prælium capeſſam. ſic enim
numero ac virtute militum meorum confido, vt
auxilium eius minime expectandum cenſeam, aut
victoriam amplius differendam. Nec poterit præ-

reptam a me ſibi ſuam palmam conqueri. nam & meam illi concedam, quam occupaui. ſed iam ſigna canant.

De Piceno ſuburbicario primum videamus, quod intra centeſimum fuiſſe negas. Partem Piceni docueramus intra centeſimum concludi, partem centeſimo excludi. partem illam quæ intra centeſimum eſſet, ſuburbicarium Picenum vocari; partem quæ extra centeſimum, Picenum annonarium. ſic Tuſciæ totius cum altera pars diceretur annonaria, altera ſuburbicaria, annonariam eam dici oſtenderamus quæ vltra centeſimum poſita eſſet; ſuburbicariam vero quæ centeſimo terminaretur. de Tuſcia quum nihil haberes, quod contra hiſcere aut reprehendere poſſes, quin annonariæ ſuburbicariæque hæc appellationis eſſet ratio; de Piceno, vbi eadem appellatio, ac proinde eadem quoque appellationis ratio debuit eſſe, vt idem diceremus ferre non potuiſti; atque ideo nouus nobis Demetrius Poliorcetes repente cum ariete apparuiſti ad diſturbandam ac diſſipandam illius aſſertionis noſtræ molem. ſic enim capite quarto Cenſuræ vindiciarum gloriabundus inceſſiſti, ac
„ magnifice iactaſti, Picenum ſuburbicarium extra
„ centeſimum eſſe totum, Vmbriam intra centeſi-
„ mum eſſe totam, nihilque nos habere quo arietis
„ huius vim atque impetum ſubterfugeremus. aries ille, Sirmonde, arietinum tuum caput eſt, duri capitonis, cuius κύριξιν & inſultum ſolis ego vervecibus, aut veruecum in patria natis formidandum cenſeo.

censeo. tales caueant occursare: cornu ferit ille. ceterum nos eum κυρίττοντα, facile ἀντικυείξομεν. sed quantus in iras & ictus insurgat hic ἀσελγόκερως aries, de propinquo congressi, ac pede collato nunc si placet experiamur. hinc igitur tundere & quatere incœptas. *iter ab vrbe Roma in Picenum duplex olim fuisse, vnum Anconam versus per Vmbros, alterum Hadriam vsque per Sabinos. ex vtriusque itineris rationibus constare Piceni fines vltra centesimum positos fuisse.* iter per Sabinos quod erat in Picenum ex Itinerario Antonini describis, & nos quoque heic pariter tecum describemus.

AB VRBE HADRIAM VSQVE
M. P. CLXVI. sic.

Eretum	M. P. XVIII.
Vicum nouum	M. P. XIV.
Reate	M. P. XVI.
Cutilias	M. P. XVIII.
Interocrium	M. P. VI.
Falacrinum	M. P. XVI.
Vicum Vatiæ	M. P. IX.
AD CENTESIMVM	M. P. X.
Asculum	M. P. XII.
Castrum Truentinum	M. P. XX.
Castrum nouum	M. P. XII.
Hadriam	M. P. XV.

Horum, inquis, oppidorum, quæ heic ante Ascu- „
lum habentur, nullum est in Piceno; quæ Asculum „

» præcedunt, Sabinorum ſunt omnia. cur igitur
» Aſculum vltra centeſimum milliare poſitum no-
» tetur, & inde incipiant Piceni fines, nihil explo-
» ratius eſt quam ab ea parte Piceni regionem totam
» extra centeſimum ſitam eſſe. ſic argumentaris, Domine Rector. ſed vt ἥλῳ τὸν ἧλον, πασσάλῳ τὸν πάσσαλον, ita tuum iſtud argumentum, altero argumento repercutiam, ac retundam. Sabinos quorum oppida vides Aſculum præcedere, cuius eos Italiæ regionis fuiſſe cenſebis? in qua tibi placebit illos regione cenſeri, ex illis ſeptemdecim regionibus in quas Italia tunc temporis diuidebatur? Num per ſe dices vnam Italiæ regionem Sabinos conſtituiſſe? inter eas ſeptemdecim Italiæ prouincias dic nobis vbi ſit, aut quem locum habeat, Sabinorum aut Sabinenſis regio? poſtquam igitur illa Italiæ prouinciarum diuiſio facta eſt, quæ & longe ante Conſtantinum, & poſt Conſtantinum diu obtinuit, Sabinos neceſſario oportet in alicuius nomen regionis ac numerum conceſſiſſe, & vni alicui ex illis ſeptemdecim prouincijs attributos eſſe, ſi ipſi per ſe prouinciam non fecerunt. quænam erit igitur ex earum numero prouincia cui Sabinos acceſſiſſe credamus? aut Tuſciam, aut Vmbriam, aut Picenum fuiſſe neceſſe eſt. nulli enim ex Italia populi viciniores Sabinis. Sed de Tuſcia minus credibile eſt. ſiquidem Etruriam ab Vmbris & Sabinis Tiberis dirimebat. De Vmbria poſſet aliquis dubitare. nam a tergo Vmbriam habuere Sabini, Plinio teſte. ſed tantum abeſt Sabinos Vmbriæ fuiſſe adnexos, vt

etiam ipſi Vmbri qui intra centeſimum, quique Sabinis vicini, ne quidem Vmbriæ regionis eſſe per illam nouam diuiſionem, cenſerentur, ſed Piceno attribuerentur, vt paulo poſt oſtendam. Sabinos igitur Piceno ſuburbicario aſſignatos, & Picenum ſuburbicarium non ſolum Vmbros & Vilúmbros, vt mox dicetur, ſed etiam totam Sabinorum regionem complexum eſſe minime dubitabis. ſcribit Plinius, *infra Sabinos Latium eſſe, a latere Picenum, a tergo Vmbriam.* igitur propter vicinitatem, vt pote qui Piceni contigui eſſent, & contermini, Piceno dati Sabini. Hinc Curium Sabinorum agrum ſub Piceni prouincia recenſet Balbus apud Frontinum de Coloniis. idem Reate in Piceni regione collocat. ſic Reatina regio, & vniuerſum Sabinorum territorium in Piceno ſitum erat. ſic Picenum ea parte qua Sabinos complectebatur, intra centeſimi fines totum incluſum fuit, ac proinde pars ea Piceni tota ſuburbicaria fuit.

Nunc ad alteram partem accedamus qua Anconam per Vmbros iter fuiſſe vis, & an longius eo itinere Picenum Roma abfuerit, conſideremus. ex eodem Itinerario ſic interualla nos metiri iubes, & verba eius ita recitas.

AB VRBE ANCONAM.

Ocricolos	M. P. XLVII.
Narniam	M. P. XII.
Ad Martis	M. P. XVIII.
Meuaniam	M. P. XVI.

Nuceriam	M. P. XVIII.
Dubios	M. P. VIII.
Prolaqueum	M. P. VIII.
Septempedam	M. P. XV.
Trea	M. P. IX.
Auximum	M. P. XVIII.
Anconam	M. P. XII.

Ita deſcriptionem huius itineris, ex auctore Itinerarij retuliſti. Sed bene factum quod & auctoris ipſius conſulendi, librique inſpiciendi, cum mihi facultas data eſt, tum etiam cupido inceſſit. Nam ſi fidei tuæ credidiſſem, nihil propius fuit quam vt fallerer. tu probare nobis ſatagebas, iter illud ab vrbe Anconam per Vmbros eſſe: idque vt illius Itinerarij auctoritate confirmares,laborabas. atqui auctor ipſe me docuit Itinerarij, non iter illud per Vmbriam eſſe, ſed per Picenum. ſic enim in omnibus, qua ſcriptis, qua editis codicibus vnanimiter ſcriptum offendimus, AB VRBE PER PICENVM ANCONAM. cur ipſe tantum citaſti, AB VRBE ANCONAM? an tuus liber duas illas voces PER PICENVM, non habuit? nullus liber editus non ita legit. an aliquod ſcriptum exemplar præ manibus tibi fuit, in quo ita legeretur? nullus manu exaratus codex, non eas agnoſcit. cur igitur illas ſubtraxiſti? cur diſſimulaſti? ſcilicet verebaris, ne non ſatis Sirmondus videreris, ſi bona fide heic egiſſes:

Et ſi non aliqua impoſuiſſes, mortuus eſſes.

Sane mortuum te malles. Per Picenum itaque non per Vmbriam iter illud ab vrbe Anconam fieri, auctor ipſe de titulo clamat. Piceno igitur, vt vides, auctor ille, & Ocricolos, & Narniam & Meuaniam, & reliquas Anconam vſque, attribuit: Nam ſi Vmbriæ adiudicaret, haud dubium eſt, quin per Vmbriam, non per Picenum, iter iſtud ab vrbe Anconam haberi proſcripſiſſet, ac titulo ipſo declaraſſet. ſed quid fiet? quomodo procedet iſtud, inquiet aliquis? nonne & Narnia & Meuania & Nuceria paſſim apud veteres inter vrbes Vmbriæ recenſentur, & in Vmbria ponuntur? Strabo, Plinius, Ptolemæus, vno ore omnes hoc affirmant. fateor hoc eſſe verum. ſed ſciendum eſt Vmbriæ partem illam, quæ intra centeſimum ſita erat, modo Tuſciæ, modo Piceno adſcribi ſolitam, ſed Piceno magis. Nam Vmbriam a Tuſcia Tiberis diuidebat. de Tuſcia tamen id teſtatur Seruius ad illud Æneid. *Viuidus Vmber. Acerrimus*, inquit, *Tuſcus. nam Vmbria pars Tuſciæ.* idem II. Georgic. in: *Clitumnus fluuius eſt in Meuania, quæ vrbs eſt Vmbriæ, partis Tuſciæ.* nam ita legendum doctiſſimo Hieronymo Aleandro aſſentior. partim igitur ſuburbicariæ Tuſciæ, partim ſuburbicario Piceno, illa pars Vmbriæ accenſebatur, quæ intra centeſimum ſita erat, ſed Piceno magis. idque ante omnia manifeſtiſſime probat ille locus ex Itinerario Antonini ſupra citatus, qui iter ab vrbe Anconam, quod per Vmbriæ oppida habebatur, per Picenum haberi ſcribit. & illud etiam clarius

ostendunt verba Scæuolæ leg. XLI. D. *de legat. tertio:* vbi Vmbriæ regionem in Piceno aperte collocat. sic enim ille: *idem postea petiit ab heredibus suis, vt regionem Vmbriæ Piceno coheredes vxori suæ restituerent cum omnibus quæ ibi erant, & mancipiis rusticis vel vrbanis, & actoribus exceptis manumissis. quæsitum est quum Eros & Stichus serui in diem vitæ testatoris in Vmbria in Piceno actum administrauerint, sint autem Damæ,*&c. Vmbriæ regionem manifesto in Piceno ponit. Nã Vmbriam in Piceno vocat, quæ in Piceno erat suburbicario, & illã Vmbriam intelligit, quæ intra centesimum posita, Piceni suburbicarij nomine comprehendebatur: vt Vmbria quæ extra centesimum excurrebat, cum Tuscia annonaria iungebatur, & ambæ sic simul iunctæ prouinciam vnam Italiæ constituebant. Nec aliud causæ fuisse existimandum est, quare Spoletium Balbus, quæ Vmbriæ metropolis erat, in Piceno posuerit, & agrum Spoletinum prouinciæ Piceni adscripserit. sic enim tribus locis apud Frontinum de coloniis legitur, pag. C. PARS PICENI. EX LIBRO BALBI PROVINCIA PICENI. *Ager Spoletinus in iugeribus & limitibus est intercisiuis assignatus; vbi cultura est.* & pag. CXXVIII. EX LIBRO BALBI PROVINCIA PICENI. sequitur: *Picenensis ager determinatur limitibus maritimis & Gallicis, quos dicimus decumanos & cardines,*&c. statim subiicitur: *Ager Spoletinus, in iugeribus & limitibus intercisiuis est assignatus.* & pag. CCCXLIII. in fragmento quod ex Palatino codice vetustissimo descriptum est. EX LIBRO BALBI

PROVINCIA PICENI. *Ager Spoletinus in rigoribus & limitibus est assignatus intercisiuis, vbi cultura est. ceterum in soluto est relictum in montibus vel subsiciuis.* nec de mendo potest incidere cuiquam suspicio. ita enim sine varietate etiam in antiquissimis libris scriptum habetur. quod autem *Pollentinus* pro *Spoletinus* corrigi volebas, haud scio quam bonus Rector in tuo collegio fueris, sed certe malus heic corrector fuisti. Nam Pollentini agri seorsim habetur mentio apud eundem Balbum in descriptione Piceni. Cum videres spem illam correctionis tibi decollasse, & id frustra te tentasse, aduersus Balbum ipsum insurrexisti, & malum mensorem fuisse dicere ausus es, vt fidem eius in dubium vocares & auctoritatem eleuares. quam & id quoque frustra, aliorum esto iudicium. Quid de Plestinis vel Pelestinis dices? hos inter Vmbriæ populos, cum Spoletinis Plinius in sexta Italiæ regione commemorat his verbis: *Ocriculani, Ostrani, Pitulani, Pelestini, Sentinates, Sarsinates, Spoletini.* Pelestinos tamen istos, & eorum regionem Pelestinam, Frontinus aliique agrimensores in Piceno constituunt, & Pelestinam Piceni passim vocant. Frontinus de coloniis pag. CIIII. *Ager qui a fundo suo tertio vel quarto vicino situs est, in iugeribus iure ordinario possidetur, sicut est Interamna Pelestinæ Piceni.* idem alio loco: *Interamna Pelestinæ Piceni. ager eius in iugeribus, & limitibus est assignatus vbi cultura est.* Hanc Interamnam Plestinæ Piceni, alibi distinguit idem a Flaminiæ Interamna. sic enim in fragmento

Palatino legitur: *Ager, qui a fundo ſuo tertio vel quarto vicino ſitus eſt, in iugeribus iure ordinario poſſidetur. ſicut eſt Interamna Flaminiæ, & Interamna Peleſtinæ Piceni.* & alibi pag. cxx. *ſitus eſt in iugeribus & iure ordinario poſſidetur. ſicut Interamna Flaminiæ, & Interamna Pleſtinæ Picenenſis.* ita ibi ſcribendum eſt. ſexcentis porro locis apud eumdem Frontinum occurrit mentio vtriuſque Interamnæ, & eius quæ in Flaminia, & illius quæ in Vmbria Piceni ſita erat, quam in Pleſtina ſemper idem collocat. Interamnates autem iſti Vmbri qui in Peleſtina Piceni, cognomine Nartes dicebantur, vt ab aliis Interamnatibus alterius Interamnæ diſcernerentur, qui cognominabantur Lirini, quod duobus Liris fluminis capitibus eorum oppidum circumdaretur. Interamnates igitur illi Vmbri qui & Nartes vel Nahartes, Piceno ſuburbicario erant attributi, vt & Pleſtini, & Meuanienſes & Narnienſes, & Spoletini, qui omnes Vmbriæ populi fuere. Hæc Interamna decem & octo milliaribus Spoletio diſtabat, & Roma propius aberat quam Spoletium. ita enim Itinerarium Auguſti Antonini.

AB VRBE ARIMINVM.

Roſtratam villam	M. P. XXIIII.
Ocricolos ciuit.	M. P. XXV.
Narniam ciu.	M. P. XII.
Interamnam ciu.	M. P. VIII.
Spoletum ciu.	M. P. XVIII.

Paulo

Paulo aliter hæc interualla numerat Itinerarium Hierosolymitanum. sic enim ea metitur.

Ocriculo	M. XII.
Narniæ	M. XII.
Interamna	M. IX.
Tribus tabernis	M. III.
Fano fugitiui	M. X.
Spoletio	M. VII.

Viginti enim millia passuum heic habes ab Interamna Spoletium. sed hoc præter rem. illud ad rem est, quod Interamna, Narnia, Meuania, Ocricolum, Spoletium, quæ Vmbriæ ciuitates erant, Piceni prouinciæ censebantur esse, & Picenum suburbicarium vna cum Sabinis Vmbri Vilumbrique constituebant. quidquid igitur Vmbriæ intra centesimum fuit, Piceno datum, & Piceni suburbicarij nomine comprehensum est. quidquid vero extra centesimum erat, Vmbriæ quidem censebatur, sed cum Tuscia annonaria iunctum vnam Italiæ prouinciam efficiebat, & ab vno consulari regebatur. sic Piceni quidquid extra centesimum procurrebat, Flaminiæ adnexum, pro vna prouincia Italiæ computatum est, quam vnus idemque corrector regebat. Suburbicaria vero Tuscia, & Picenum suburbicarium prouinciæ per se integræ suos singulæ seorsim habuere consulares a quibus regerentur. Picenum igitur aliud fuit suburbicarium, quod Vmbrorum regionem omnem, Sabinorumque intra centesimum positam occupabat; alterum annonarium extra centesimi fines consti-

tutum & Flaminiæ adiunctum, vt vna prouincia fieret ex illis duabus regionibus. De Tuſcia autem quum minime inficiari poſſes, alteram eſſe ſuburbicariam, & alteram annonariam, eamque dici ſuburbicariam, quæ intra centeſimum ſita erat; negari enim haud poterat, quin illa Tuſciæ pars intra centeſimum eſſet: de Piceno cuius & par diuiſionis ratio fuit, & denominationis quoque, confidentius eo negare ſuſtinuiſti, quia non ſperabas fore vt aliquis tibi demonſtraret, partem vllam Piceni intra centeſimi terminos ſtetiſſe. & hic erat ille tibi aries cuius vim & impetum ſuſtineri non poſſe gloriabaris. Nunc poſtquam illum obtritum comminutumque vides, fac quoque ſi potes vt cõtumaciam illam tuam pertinaciamque, conuictam & retuſam videamus. nonne te pudet tantum roboris ac fiduciæ in illo arietino capite collocaſſe, quod Arretina teſta fragilius nobis deprehenſum eſt? ſed de Vmbria & ſuburbicario Piceno iam ſatis tibi factum arbitror. hoc enim tantum requirebas.

Poſtquam ſuburbicarias ſatis ἐκριοτύπησαι, repente ad annonarias conuerſus, cornua quoque iterum obuertis in Anonymum coniectorem, quem fruſtra adſtruere conatum eſſe arguis, annonarias ex eo dictas, quod annonam penderent, quam ſuburbicariæ videlicet, non debebant. Vtrum hoc dixerit Anonymus neſcio, ſed fac dixiſſe. ita ſane intellexit. & ego pariter cum illo ſentio. quid habes tu contra quod dicas aut opponas? ais ex leg. xvi.

Honorij Cod. Theod. *de indulgentiis debitorum*, probari ſuburbicarias quoque regiones annonariam functionem penſitaſſe. Etiam aio vel ex illa vnica lege, vt aliæ non producantur, id manifeſto poſſe colligi. ita inde conſtabit ſuburbicarias regiones etiam fuiſſe annonarias. Vnde enim annonarias nomen inueniſſe putas niſi ab annona, aut annonaria functione quam ſoluebant? igitur ſi ſuburbicariæ fuere quoque ex annonarijs, quod diſcrimen ſtatues inter ſuburbicarias & annonarias? cur Tuſcia ſuburbicaria ab annonaria diuerſa? Picenum ſuburbicarium aliud, aliud annonarium apud veteres notatur? potes aliquam huius diſtinctionis ac diſcriminis rationem edere, probabilem ſaltem aut veriſimilem, ſi non veram? dum loquuntur alij, & varias cauſas afferunt, quid taces ipſe, & ſymbolam tuam in medium non confers? fac tandem quæſo aliquando, vt ex te ſcire poſſimus, quot numero in Italia fuiſſe cenſeas annonarias regiones, & quare ſic vocatas. qui omnes aliorum coniecturas reiicis & reprehendis, profer ipſe aliquam meliorem, quam laudemus ac ſequamur. hoc a te petimus, hoc te poſcimus, & ſi vis, etiam rogamus. Interim vero nunc tecum Sirmonde placide ac amice, ſi lubet, hanc rem diſputare liceat, ac diſceptare. ſic fortaſſe veritatem eliciemus. Hoc pro certo primum & confeſſo ſumamus, annonarias haud aliunde habuiſſe nomen, quam ab annona quam præſtabant, & annonaria functione quam penſitabant. Deinde annonarias regiones nuſ-

quam alibi quam in Italia, dictas reperiri. his positis statuendum est, aut vniuersam cum vrbe, & vrbicaria regione Italiam huic annonariæ functioni fuisse obnoxiam, aut Italiæ tantum partem. Si vniuersa Italiæ diœcesis, quam præfectus prætorio Italiæ administrabat, hanc functionem semper agnouit, omnes omnino Italiæ prouincias, & illas quæ sub vicarij vrbis erant dispositione, & illas quæ vicario Italiæ parebant, cum annonarias fuisse, tum ita vocatas esse oportet. Iam si hoc verum est omnes Italiæ regiones, & annonariam functionem pensitasse, & annonarias fuisse, quî fit vt inter illas regiones quæ sub vicario vrbis erant, aliquæ annonariæ cognominatæ, aliquæ etiam inter eas quas Italiæ vicarius regebat, hoc cognomine signatæ reperiantur? nam annonaria Tuscia fuit sub vicario vrbis; annonarium autem Picenum sub vicario Italiæ. Quid ita vero his cognominibus fuere notatæ istæ prouinciæ? an vt distinguerentur a suburbicariis eiusdem nominis prouinciis? sane ita apparet. Nam & Tuscia altera suburbicaria cognominabatur, alterum item Picenum suburbicarium. sed quid opus ista cognominis distinctione? quæ ratio inter eas diuersitatis, ac differentiæ fuit, vt per illas notas discerni debuerint? suburbicaria illa Tuscia, si omnes Italiæ regiones annonariæ, fuerit vtique & ipsa annonaria. Tuscia vero illa quæ vocitabatur annonaria, si suburbicariæ omnes eæ fuerint, quæ sub vrbis erant vicario, atque ex eo sic dictæ sunt, vt opinaris, fuit etiam & ipsa

ſuburbicaria. cur igitur ex illis duabus Tuſciis altera dicta eſt annonaria, altera ſuburbicaria, cum tamen vtraque eſſet ſub diſpoſitione vicarij vrbis, ac proinde ſuburbicaria; vtraque annonariam functionem penderet, ac propterea annonaria vtraque vocitanda videretur? In Piceno quoque eadem quæ in Tuſcia dubitationis ac difficultatis ratio, quamuis aliquid in eo diſparile ſit ac diſſimile. Nam Tuſciam vtramque ſuburbicariam & annonariam idem vicarius vrbis adminiſtrabat: Picenum autem alterum a vicario vrbis regebatur, alterum ab Italiæ vicario, & ſimiliter vt Tuſcia, in ſuburbicarium,&annonarium diuidebatur.itidem quæſtionis eſt, cur Piceni pars altera ſuburbicaria, altera dicta ſit annonaria. Nam ſuburbicarium Picenum, haud minus fuit annonarium, quam illud alterum cui hoc cognominis peculiariter impoſitum eſt. cur igitur annonarium a ſuburbicario Piceno tanquam diuerſum diſtinctum eſt, cum ſuburbicarium æque eſſet annonarium? dixeris fortaſſe, atque ita dicturum iam proſpicio, vt Piceni ſuburbicarij regio maxime fuerit annonaria,non tamen e conuerſo annonarij Piceni regionem, ſuburbicariam fuiſſe. nam Picenum ſuburbicarium illud appellari quod ſit ſub vrbis vicario. inde ergo diſcrimen. quod enim alterum vicario vrbis pareret, ſuburbicarium eſſe dictum: alterum quod erat ſub diſpoſitione vicarij Italiæ, annonarium appellatum. Hoc tu vis Sirmonde? hoc tibi placet. at necquicquam placet. nihil iſtud iuuabit

te. primum quæro cur hoc idem discrimen, hæc eadem distinctio seruata quoque est in Tuscia annonaria & suburbicaria, cum tamen non diuersis vicariis parerent, sed vtraque vicarij vrbis administrationi subiecta esset? cum igitur vtraque sub vicario vrbis esset, vtraque annonariam functionem præstaret, cur nihilominus, quasi eiusdem sortis & conditionis non essent, altera suburbicaria, altera annonaria cognominata est? Deinde etiam si fateremur Picenum illud quod vicario vrbis parebat, suburbicarium dici ad differentiam alterius Piceni quod erat sub dispositione vicarij Italiæ, non propterea tamen pars ea Piceni quam Italiæ vicarius administrabat cognominari debuit annonaria, cum præsertim, pars altera, quæ suburbicaria dicebatur, quæque erat sub vrbis vicario, non minus fuerit annonaria, quam ista, cui tamen hoc velut proprium cognomen attributum est. At enimuero hoc discrimen vtriusque Piceni annonarij suburbicariique recte procederet, si quidem solæ illæ annonariæ fuissent, quas vicarius Italiæ regebat, vt solæ suburbicariæ, quas vrbis vicarius administrabat. istud quidem tu supra velle videbaris, & in ea opinione versari. sed nunc eam heic ipse refellis, ac tute temet ipsum conuincis, dum probas omnes omnino Italiæ regiones annonarias fuisse, & annonariam functionem pensitasse. Hanc etiam magis res ipsa refutat, cum certum sit, annonariam Tusciam sub vrbis vicarij dispositione fuisse. non igitur omnes annonariæ sub Italiæ

vicario, vt nec ſolæ ſuburbicariæ, ſub vrbis vicario, vt pote quem etiam aliquas ſub ſe conſtet annonarias habuiſſe. ſic aliunde quam ab vrbis vicario, ſuburbicarias nomen inueniſſe plus quam exploratum eſt.

Igitur cum omnes iſtæ, & longe numero plures ἀπορίαι ſequantur opinantem cunctas Italiæ regiones annonarias fuiſſe, cumque has difficultates nullo modo detur euincere, facile euinciunt ipſæ, vt credere velimus, non totam Italiam, ſed partem Italiæ tantum annonariæ functioni obnoxiam olim fuiſſe, cuius altera pars fuerit immunis. nec hoc tantum, ſed illud etiam ἐκ πάσης ἀνάγκης ſequi neceſſe eſt, partem illam, quæ annonam penſitaret, non fuiſſe ſuburbicariam, & e contra quæ ſuburbicaria eſſet, functiones annonarias non agnouiſſe. vnde enim, quæſo te, ex duabus Tuſciis vna ſuburbicaria cognomine notata eſt, niſi quia eſſet altera Tuſcia, quæ ſuburbicaria non erat? aut vnde rurſus annonariam vnam putamus cognominatam, niſi vt diſtingueretur ab altera, quæ non fuit annonaria? atqui vtrumque diſcrimen falſum erit, & minime procedet, ſi ſuburbicariarum appellationem ab vrbis vicario deducemus; aut ſi annonarias omnes fuiſſe Italiæ regiones concedamus. Confuſa, inquam, erunt & indiſcreta diſcrimina ſuburbicariæ annonariæque Tuſciæ, ſi hoc admittimus. nam quam veteres vocant ſuburbicariam, ea non minus annonaria quam altera; quæ vero annonaria cognominatur, ea non minus ſuburbi-

caria. immo ſuburbicariam vtramque & vtramque annonariam ſic fuiſſe cenſendum eſt, ſi vtraque ſub vicario vrbis fuit, ſi vtraque annonaria fuit. videmus tamen eas paſſim apud veteres cognominibus diſtingui, & alteram ſuburbicariam appellitari, alteram annonariam. vnde hoc, niſi quod ea Tuſcia quam veteres dixere ſuburbicariam, non fuit annonaria, & quam annonariam cognominauere, non fuit ſuburbicaria? idem omnino pronuntiandum eſt de Piceno annonario, & ſuburbicario. Ex his certo ſtatuere quilibet poſſit, cum Italiæ tantum partem olim annonariis functionibus obnoxiam fuiſſe, tum non aliam partem eas functiones penſitaſſe, quam quæ ſuburbicaria non eſſet. Nam & omnes annonarias a ſuburbicariis, & ab annonariis omnes ſuburbicarias ſic oportet fuiſſe diuerſas, vt Tuſciam annonariam a ſuburbicaria, & Picenum ſuburbicarium ab annonario paſſim apud veteres ſeparari videmus ac diſtingui. Nunc videndum quænam Italiæ regiones olim annonariam functionem ſoluerint, quænam eius immunes fuerint. vnus eſt, ſed inſignis ad eam rem locus Aurelij Victoris, quem iam ſupra produximus, iterumque heic producemus. ſic igitur habet ille in vita Maximiani: *cum omnis Italia eadem functione moderataque ageret, quo exercitus atque imperator qui ſemper aut maxima parte aderant, ali poſſent, penſionis indicta lex noua.* ſi omnem ibi Italiam de tota Italiæ diœceſi accipiamus, non in eas difficultates, & ἀμηχανίας incidemus quas ſupra oſtendimus vitari

non

non posse, si quis vniuersam Italiam annonariæ illi functioni obnoxiam fuisse contendat. Omnis igitur Italia de Italiæ tantum ea parte intelligenda, quæ extra centesimum, quæque Italia proprie dicebatur, vt ab vrbicaria regione vel vrbico territorio, quod intra centesimum erat, secerneretur. sic Italiam omnem a centesimo seclusit Dio lib. LII. & lex II. Cod. Theod. *de in integrum restitutione.* cuius heic iterum verba ponam, supra iam nobis allata: *Placuit ad interponendam contestationem in vrbe Roma vsque ad anni tricesimi extremum diem spatia prorogari: & intra centesimum vrbis Romæ milliarium, si tamen ab his iudicibus qui Romæ sunt fuerit iudicandum. per omnem vero Italiam vsque ad finem anni vicesimi & noni.* sic *omnem Italiam*, ea significatione dixit Victor pro omni Italia quæ extra centesimum milliare, quæque ab vrbicaria regione intra centesimum inclusa secludebatur. intra illud spatium centesimi vel vrbicariæ regionis, conclusæ omnes erant suburbicariæ vrbicariæque regiones. Hinc Italia passim a regionibus suburbicariis, tam in Codice Theod. quam Notitia imperij distincta ac separata legitur. ita etiam Trebellius loco iam supra citato, & explicato, cum Italiam totam nominasset, aliquot Italiæ regiones nominatim percensuisset, reliquas omnis annonariæ regionis nomine complexus esset, nullam inter eas prouincias suburbicariam memorauit. quo facto satis datur intelligi, totius Italiæ nomine, non aliam eum Italiam designasse quam quæ extra

centeſimum, quæque a centeſimo incipiebat; nec per annonariam regionem, aliam intellexiſſe Italiæ partem, quam quæ ab vrbicaria diſtinguebatur, & extra centeſimum tota erat poſita. ſic omnis Italia, & omnis annonaria regio, vna eademque res. omnis Italia iuxta Trebellium annonaria fuit. omnis Italia ſecundum Aurelium Victorem annonariam functionem alendo exercitui imperatorique Romano præſtitit. huius functionis igitur immunem fuiſſe oportet vrbicariam regionem intra centeſimum ſitam, quæque ſitu ſuo regiones ſuburbicarias comprehendebat. hinc igitur & non ex alia cauſa natum diſcrimen vrbicariæ & annonariæ regionis, ſuburbicariarum & annonariarum regionum. inde eſt quod Tuſcia ſuburbicaria vocabatur, quæ intra centeſimum, annonaria quæ extra centeſimum. nec aliunde porro, quam ex hoc principio Piceni pars quæ centeſimo claudebatur, ſuburbicaria vel vrbicaria appellata eſt, cum alterum Picenum, quod erat vltra centeſimum, cognominaretur annonarium. Sed dicet aliquis, cur immunis illa vrbicaria regio præſtandæ annonæ, cum functionem annonariam tota agnoſceret Italia quæ extra centeſimum? ſane quam vrbs ipſa non præſtabat, veriſimile eſt nec præſtitiſſe vrbicariam regionem, quæ territorium vrbis erat, & iiſdē, vt par eſt credere, immunitatibus fruebatur. vrbicaria enim regio, vrbis quodammodo eſſe cenſebatur, & eadem iuriſdictione coercebatur; eadem quoque, vt probabile eſt, ſorte & conditio-

ne in omnibus cum ipſa vrbe vtebatur. omnis ergo Italia exceptis ſuburbicariis regionibus, eam functionem ſoluebat, & hanc ſoluebat tantum: nam aliorum omnium onerum tributorumque expers & immunis hanc ſolummodo præſtationem annonæ, eamque leuem ac moderatam pendebat.

Quod autem ex aliquot legibus, quæ in Codice Theodoſiano habentur, liquere poteſt, ſuburbicarias etiam regiones annonariam functionem agnouiſſe, id minime mirandum eſt. ſcire enim licet, poſt Conſtantini Magni tempora eam ſoluere functionem cœpiſſe quam antea non ſoluerent. idque ipſi Conſtantino palam eſt attribui debere, qui & tributa vetera non ſolum vbique auxit, ſed etiam noua multa excogitauit. inſtituto etiam præfecto prætorij Italiæ, penes quem totius rei tributariæ ſumma erat, tributi annonæque oneribus, vniuerſa Italiæ diœceſis quam adminiſtrabat, tum premi cœpiſſe videtur. ſic & vrbicarias regiones, & omnes Italiæ prouincias æqualiter tributariæ penſioni, & annonariæ functioni ſub eo factas obnoxias non veri tantum ſimile eſt, ſed etiam verum. Nam & tributum quod nullum olim penſitabat Italia, quodque poſtea ſub Maximiano Herculio parti tantum Italiæ fuerat indictum, vniuerſam a Conſtantini temporibus Italiam id dependere ſolitam fuiſſe multis teſtimoniis poteſt confirmari. ſic & de annonaria functione, cum eius antea forent immunes vrbicariæ regiones, poſtea eo quoque cœperunt onere grauari. diſcri-

men nihilominus idem mansit, vt annonariæ sci- licet dicerentur quæ non erant suburbicariæ. nam suburbicariæ semper fuerunt suburbicariæ hoc est suburbanæ. nihil enim in hac parte mutari potuit. sed quum suburbicariæ, antea annonariam fun- ctionem minime pensitarent, hoc est annonariæ non essent, postea id factæ sunt, & tamen subur- bicariæ manserunt: & sic hæc differentia semper seruata est, vt ab illis distinguerentur, quæ anno- nariæ ab omni tempore fuissent. Nam etsi omnes suburbicariæ etiam fuerint annonariæ, non tamen omnes annonariæ, vtique & suburbicariæ fuere. solæ quippe suburbicariæ vel suburbanæ, quæ in vrbicaria regione sitæ, & intra centesimum con- clusæ. & satis hæc magna ratio dari potest discri- minis, quod erat inter suburbicarias & annonarias, Tusciam scilicet annonariam & suburbicariam, Picenum annonarium & suburbicarium: etiam si concederemus suburbicarias, ab omni æuo anno- narias quoque fuisse. Nulla grammica certior esse potest apodixis quam hæc est; nulla reddi ratio verior, quare suburbicariæ ab annonariis distin- ctæ. qua ex distinctione sic illustrata, & confirma- ta, clarissime elucescit, ac comprobatur, suburbi- carias solas eas fuisse dictas, quæ intra centesimum, in vrbicaria regione sitæ continerentur, præsertim postquam demonstrauimus, Picenum quod sub- urbicarium dicebatur, intra centesimi fines posi- tum fuisse. Nam de Tuscia suburbicaria, quin intra centesimum tota fuerit, nullo modo potest dubi-

tari. Multa diximus & pæne nimium multa, nondum tamen adhuc ſatis vt te errorum tuorum pœnitere poſſit. nunquam enim reſipiſces, ſi bene te noui. ſed hæc aliis proderunt qui ſimili in errore verſabuntur, nec tamen ſimiliter erunt malarum quas capiti ſuo ſemel incalceauerint opinionum tenaces.

CAPVT III.

SVBVRBICARIAS *dici prouincias ſuburbanas, & ſub vrbe ſitas, non autem ſub vrbis vicario poſitas. Suburbicarium & ſuburbanum eſſe idem, vt vrbicarium & vrbanum. Suburbicarias & ſuburbanas regiones in Cod. Theod. eaſdem appellari. Suburbanum agrum intra Italiam opponi longinquo, & vtrumque transmarino, qui extra Italiam. Italiam ſuburbanam, & vrbicariam vel ſuburbicariam Romanamque regionem prorſus eamdem eſſe. Suburbicariarum vel ſuburbanarum regionum originem & appellationem male ab vrbis vicariis repeti, quos inſtituit Conſtantinus. Suburbicarias vt annonarias regiones ante Conſtantinum de nomine cognitas fuiſſe. Cur ſolum Picenum in Notitia ſuburbicarium cognominetur. Ex decem prouinciis, quæ ſub vrbis erant vicario, ſolas quattuor ſuburbicarias fuiſſe. Italiam non duas, ſed vnicam fuiſſe diœceſim. De Italia ſpecialiter & relatiue ſumpta.*



VAM vanus ſis gloriarum flator, & ridiculus buccarum inflator, dum iactas magno præſidio nos deiectos eſſe, extorta nobis Trebellij Pollionis auctoritate qua muniebamur, qui ſuperius caput haud incurioſe legerint, facile animaduertent. Sed Sabini olim quod volebant, ſomniare conſueuerant: &

ſæpe non vidit, dum putat vidiſſe lunam per nubila, quiſquis eſt tibi ſimilis, & imaginibus laborat.

Οὐκ ἴδεν, ἀλλ' ἐδόκησεν ἰδεῖν διὰ νύκτα σελήνην.

Immo enimuero ex his quæ ſupra diximus iam perſpicuum eſt, & locum illum Trebellij recte a nobis expoſitum eſſe, & Italiam cum anguſtius ſumitur, ab vrbicariis regionibus diſtingui ſolitam, omneſque regiones quæ extra centeſimum erant, omnino fuiſſe complexam; nec non ſuburbicarias eſſe dictas quæ intra centeſimum continerentur, quæque ab annonariis ſecernerentur. Hoc ſtabilito fundamento nihil eſt in tota epiſtola ad amicum, quod non ex omni parte cohæreat, firmumque & inconcuſſum maneat. ſic nos in arce victores adhuc ſtamus, quam tu variis aſſultibus tentatam, quoniam tenere nequiuiſti, quid reſtat, niſi vt maxima pudoris cum iactura & honoris, irritus inde ridiculuſque diſcedas? Et cum hæc ita ſint, nos tamen ad id iterum vocas quod in Cenſura tua te docuiſſe dicis. Tune illius adhuc Cenſuræ mentionem facere ſuſtines, cuius & auctor tacere, & ipſa tacere debuit, ſi huius honori, & illius pudori conſultum velles? At huic etiam ſtultæ opinioni impudenti mendacio commendationem conciliare voluiſti, dum proxime a doctiſſimo viro Hieronymo Aleandro approbatam mentiri auſus es. ſi improbare approbare eſt, ſic ſane ille probauit. quid enim tam contrarium tuæ de ſuburbicariis coniectationi, quam quod ille de ſuburbicariis

ſcripſit? nam vt multum ingenuus eſt, & ingenioſus, & per hæc multum tibi diſſimilis, facile vidit, & libere confeſſus eſt, ſuburbicarias regiones dici quæ ſuburbanæ ſunt. ſicut enim *vrbicarium* & *vrbanum* idem eſt, ita & *ſuburbicarium ſuburbanumque* idem eſſe debere. male vero vir idem ille doctiſſimus, vrbicarias alias a ſuburbicariis fuiſſe exiſtimauit. tu recte eaſdem facis. itaque ſi quis ex vtroque veſtrum quod recte quiſque ſenſit, ſumpſerit, tum veram de ſuburbicariis ſententiam eliciet & efficiet. & hæc noſtra erit: ſuburbicarias nempe eſſe ſuburbanas, & eaſdem cum ſuburbicariis vrbicarias, quæ ſic dictæ quod in vrbico territorio ſitæ eſſent, & ad iuriſdictionem vrbicæ præfecturæ pertinerent. Atque hanc eamdem ſententiam, etiam amplexus eſt, & calculo ſuo comprobauit illuſtriſſimus Cardinalis Petronius: ſuburbicarias quippe regiones eas dici agnouit, quæ centeſimo lapide terminabantur, quæque intra fines erant vrbicæ præfecti vrbis iuriſdictionis. quod ſi illos viros præſtantiſſimos audiſſes, profecto non tam ineptum & Latinitatis imperitum Grammaticum profeſſus eſſes. tu enim nouus cenſor ad Ariſtarchum, Grammaticus ad Scaurum, ſuburbicarias regiones appellatas eſſe cenſes, non quæ ſub vrbe eſſent, aut ſuburbanæ, ſed quæ ſub vrbicario, aut ſub vrbicarij diſpoſitione. ſed quis ille, rogo te, vrbicus vel vrbicarius? num præfectus vrbi? negas. num prætor vrbanus? negas id quoque. an procurator rei priuatæ per vrbem, aut aliquis vrbicus

rationalis? tantumdem. an aliquis vrbicus magiſtratus? nihil minus. quis igitur ille tibi vrbicarius ſub cuius regimine poſitæ regiones, ſuburbicariarum nomen inuenerint, quaſi ſub vrbicario poſitæ? vicarius ille vrbis eſt. vbi legiſti vnquam aut audiuiſti vicarium vrbis dictum eſſe ἀντωνυμικῶς vrbicarium? ſed ne iratum te habeamus, demus hoc tibi, καθ' ἐξοχὴν ſic eum appellatum: quæ ratio huius appellationis, quod exemplum, quæ analogia, vt prouincia ſuburbicaria dicatur, quæ vrbicario paret, aut ſub vrbicario eſt? Hac eadem ratione & vocabuli forma, prouinciæ prætoriæ etiam dicendæ forent *ſubprætoriæ*, quia ſub prætore. Conſulares prouincias ſic aliquis vocare poſſet, immo deberet, *ſubconſulares*, quæ ſub conſularibus erant. Nec dubitem quin eodem modo de proconſularibus fieri debeant *ſubproconſulares*, ac de præſidalibus, *ſubpræſidales*. Romanus quoque orbis, qui Romanis parebat, ſecundum illam tuam Latinitatem elegantiſſime *ſubromanus* diceretur. quî enim minus quam ſuburbicaria regio, quæ paret vrbicario? Profecto ſi vis hoc efficere, vt ſuburbicarius locus ſit, vrbicario ſubiectus, non autem, ſub vrbe ſitus aut ſuburbanus, nouam tibi excudendam Grammaticam cenſeo, & nouam condendam Latinitatem. vetus enim Latina Grammatica nuſquam tibi hanc vocem cum iſta ſignificatione exhibebit:

En cor Zenodoti, en iecur Cratetis:
Cato Grammaticus, Latina Siren.

Age nunc mihi reſponde ſis, o Grammaticorum

ſmaragde,

ſmaragde, ſi ſuburbicaria regio dicebatur, quæ ſub vrbis erat vicario, an non & eodem ſenſu *ſuburbana* poterit dici? nullum dubium eſt quin poſſit. nam vt *vrbicarius*, & *vrbanus* idem eſt, ſic *ſuburbicarius* & *ſuburbanus* vt idem ſit oportet. quemadmodum igitur prouincia ſuburbicaria dicitur, quæ eſt ſub vicario vrbis, eadem quoque recte dicitur ſuburbana pro ea quæ vicario vrbano paret, aut quæ eſt ſub vrbis vicario. Nunc ſi nobis potes oſtendere *ſuburbanam regionem* ea notione apud Latinos poni, tum etiam tibi concedemus, ſuburbicarias regiones ea ſignificatione qua tibi placet, appellari. ſed vapulent quotquot ſunt Latinæ linguæ auctores, qui nuſquam hanc vocem hoc ſenſu vſurparunt. immo vero vapulet ille potius, & quidem meritiſſimo, qui tam peregrinam & exoticam, tam alienam cælo ſoloque Latino Latinitatem, inferre Latio tentauit.

Suburbicariæ igitur ſunt ſuburbanæ: ſuburbanæ autem, quæ ſunt ſub vrbe ſitæ, non quæ ſub vrbano poſitæ, aut vrbano ſubiectæ. Nam vt ab vrbe *vrbicus*, *vrbicarius*, & *vrbanus* deriuantur, ſic a ſuburbio *ſuburbicus*, *ſuburbanus* & *ſuburbicarius*. quæ ſuburbicariæ regiones in Codice Theodoſiano paſſim vocantur, idem Codex etiam *ſuburbanas* vocauit leg. XIII. *de accuſationibus*. cuius hæc verba ſunt: *referant autem de ſuburbanis prouinciis iudices ad præfecturam ſedis vrbanæ, de ceteris ad præfecturam prætorio.* intra centeſimum præfecti vrbis erat iuriſdictio; extra centeſimum præfecti prætorio;

ſuburbanæ prouinciæ extra centeſimum. atque ideo iudices ad præfecturam vrbanam de illis prouinciis referre iubentur. illæ ſunt noſtræ ſuburbicariæ, eædem plane cum ſuburbanis. prouinciæ ſuburbanæ meminit Symmachus epiſt. LXXXIIII. lib. I. *alia quoque de cauſa ſtudij mei ardor incanduit, quod tecum ſuper talis viri laude putaui gratulandum, qui e prouincia ſuburbana tantum reportat publici deſiderij quantum reliquit exempli.* fuerat ille de quo loquitur alicuius prouinciæ ſuburbicariæ præſes aut conſularis, Piceni vt puta ſuburbicarij, vel Tuſciæ ſuburbicariæ, aut Valeriæ. idem Symmachus lib. II. epiſt. LXXIV, *ſuburbanas prouincias* appellat, quas alij ſuburbicarias. *Valentinianus protector dudum patrocinio culminis tui per me traditus atque commiſſus domeſticis occupationibus attinetur, atque ideo magnopere popoſcit obeundum ſibi aliquod negotium per ſuburbanas prouincias demandari.* Hæ ſunt quas vrbi vicinas vocat lex IIII. Cod. Theod. *de habitu quo vti oportet intra vrbem.* qua lege Imperator, maiores crines & indumenta pellium ſeruis inhiberi præcipit, non ſolum intra vrbem, ſed etiam in vicinis regionibus: *quod innoteſcere non ſolum intra vrbem petimus, verum etiam in vicinis regionibus non licere ſancimus.* vbi vicinæ vrbi regiones, ſuburbicariæ ſunt vel ſuburbanæ. quidquid enim in vrbe non licuit, id nec in ſuburbicariis licebat, vt pote quæ iure eodem tenerentur, & ad eamdem iuriſdictionem pertinerent vrbicæ præfecturæ. *ſuburbicaria loca* dixit vetus interpres Vaticanus in expoſitione ſexti Niceni canonis

pro locis quæ circa vrbem erant vel ſub vrbe. ſic *loca ſuburbana* eodem ſenſu poſuerunt auctores limitum conſtituendorum. ſed nota notis prædicamus, dum ſuburbicarium docemus eſſe idem quod ſuburbanum. Neminem ſcio excepto te vno, Sirmonde, aut tam imperitum, vt id ignorare poſſit, aut tam impudentem, vt negare velit. tu vnus igitur repertus es, qui hoc neſcires, aut ſciens negares. Pudoris qui nihil habent, eos habere ſcientiam nihil moror.

Suburbicariæ igitur ſiue ſuburbanæ regiones eæ fuerunt, quæ ſub vrbe ſitæ, & centeſimo lapide comprehenſæ totum vrbicum territorium complectebantur, intra cuius fines præfecto vrbis iuriſdictio coercitioque eſſet. atque inde vrbicariæ quoque eædem appellatæ quod in vrbis territorio erant conſtitutæ. nam & *vrbicaria regio*, dicebatur, totus ille tractus agri ſuburbani, qui crca vrbem erat, & centeſimo lapide determinabatur. Vniuerſæ Italiæ agrum veteres in ſuburbanum, & longinquum diuidebant, & vtrumque a tranſmarino qui extra Italiam erat, ſeiungebant. ſic Italia altera ſuburbana fuit, altera longinqua. ſuburbana centeſimo finiebatur: longinqua extra centeſimum euagabatur vſque ad mare & Alpes. Hinc tranſmarinæ prouinciæ, & tranſalpinæ, paſſim Italiæ opponuntur apud veteres. Columella lib.I. cap.VI. tranſmarinas prouincias Italiæ regionibus opponit: *ſicut tranſmarinis quibuſdam prouinciis, vbi puteorum in modum, quos appellant ſiros, exhauſta humus editos a ſe*

fructus recipit. sed nos in nostris regionibus quæ redundant vligine, magis illam positionem pensilis horrei probamus. eodem. *Huic autem nubilarium applicari debet, maximeque in Italia propter inconstantiam cæli, quo collata semitrita frumenta protegantur, si subitaneus imber incesserit. nam in transmarinis quibusdam regionibus vbi æstas pluuia caret, superuacuum est.* idem cap. I. eiusdem libri, totius Italiæ rura in *longinqua*, & *suburbana* diuidit, & *transmarinis* quæ extra Italiam, opponit. sic enim ille: *Nunc quoniam plerosque nostrum ciuilis ambitio sæpe euocat, ac sæpius detinet euocatos, sequitur vt suburbanum prædium commodissimum esse putem, quo vt occupato quottidianus excursus facile post fori negotia contingat. Nam qui longinqua, nec dicam transmarina rura mercantur, velut heredibus patrimonio suo, & quod grauius est, viui seruis suis cedunt.* & cap. VII. longinquos fundos vocat, *in quos non est facilis excursus patrifamilias.* eodem plane modo Varro lib. I. Rei Rusticæ, cap. XVI. hortos sub vrbe, hoc est suburbanos, a longinquis separat: *itaque sub vrbe colere hortos late expedit, sic violaria ac rosaria, item multa quæ vrbs recipit: cum eadem in longinquo prædio vbi non sit quo deferri possit venale, non expediat colere.* sic *longinquam Etruriam* vocat Symmachus quæ extra centesimum erat, ad distinctionem suburbicariæ Tusciæ, hoc est suburbanæ, quæ intra centesimum. lib. X. cap. XLVII. *cuius germana multo angustior facultatibus, ex Etruriæ longinquis adesse præcepta est.* Etruria illa ex cuius longinquis mulierem eam euocatam scribit Symmachus, annonaria fuit, extra centesimum

posita: nam suburbicaria vel suburbana intra centesimi fines sita erat. idem de Spoletio dixit: *Spoletium suburbanitas nostra est.* prædia tamen suburbana Columellæ, aut hortos sub vrbe apud Varronem tam laxe interpretari non debemus, vt vsque ad centesimum pertigisse censeamus, præsertim cum idem Columella non longius agri suburbani fines extendat, quam quo fieri possit quotidianus excursus. Hoc de suburbanis prædiis & hortis verum esse putauerim. ceterum de suburbanis regionibus & prouinciis, haud dubitandum est, quin id nominis eis competierit, quæ centesimo lapide clausæ vsque ad ipsius centesimi fines pertingebant. longius enim patent, ac plus spatij occupant prouinciæ, quam horti aut prædia. Nam vel vna sola prouincia potuit quidquid vrbem & centesimi fines interiacet, spatio suo occupare, & suburbicaria tamen ac suburbana recte dici. quod de omnibus prouinciis suburbanis verum esse liquet, quæ ab vrbe incipiebant, & centesimo finiebantur. totum illum tractum vrbicariæ vel suburbicariæ regionis, *suburbanam Italiam* vocat Plinius lib. XXVI. cap. IV. *siccentur hodie Æthiopide Pomptinæ paludes, tantumque agri suburbanæ reddatur Italiæ.* Pomptina palus in agro Latino erat, Circeis vicina, sexaginta millibus passuum plus minus ab vrbe distans, & multum agri occupabat, in suburbana, vt Plinius dicit, Italia. Hæc suburbana Italia intra centesimum comprehensa, vrbem semper sequebatur, & vrbicaria regio dicebatur, atque ab reliqua

Italia quæ extra centeſimum diſtinguebatur. Dio narrat in Tiberio, eum de toto imperio Romano tres partes facere voluiſſe, & vnam ex tribus regendam accipere. ſic igitur orbis imperium partiebatur, in vrbem Romam & Italiam, in exercitus, in reliquas prouincias. Dio partes illas Græce ſic expreſſit, *τὴν Ῥώμην καὶ ἄλλην Ἰταλίαν, τὰ στρατόπεδα, τοὺς λοιποὺς ὑπηκόους.* notanda illa verba, *Ῥώμην καὶ ἄλλην Ἰταλίαν*, Romam, & reliquam Italiam. ergo cum vrbe Roma pars aliqua Italiæ ſimul ibat, & coniunctim ponebatur. & hæc eſt ſuburbana Italia, vel vrbicaria Italiæ regio, quæ ab reliqua Italia vltra centeſimum poſita diſtinguebatur. quo in tractu ſuburbanæ Italiæ, quæcunque regiones ſitæ fuere, & centeſimo comprehenſæ, *ſuburbicariæ* etiam ipſæ ſiue *ſuburbanæ* ſunt appellatæ, vt ex his quæ ſupra diximus conſtat.

Tu vero quaſi nullæ ante Conſtantinum ſuburbanæ regiones fuerint, earum originem appellationemque ridicule repetis & arceſſis ab vrbis vicariis, quos a Conſtantino Magno primum conſtat eſſe conſtitutos. Hi vicarij vrbis cum Italiæ vicariis totam Italiæ diœceſin adminiſtrabant pro præfectis prætorio. ſic tu nec plures nec pauciores nec alias fuiſſe vis ſuburbicarias, quam quas ille vicarius vrbis ſub ſua diſpoſitione haberet. Hinc vrbicarias & ſuburbicarias dici cœpiſſe, quæ nullæ antea erant, nec notæ nomine fuerant. Hanc adeo falſam ac ridiculam coniectationem tuam in Cenſura a te iam antea propoſitam, ab Amici epiſtola

confutatam, ab omnibus explosam heic iterum nobis obtrudis, qua spe aut voto, nisi vt iterum extrudatur? Hoc te siquidem dedita opera quæsiuisse apparet, vt iterum eruditis esses derisui, cui satis non fuit semel derideri. Hoc voluisti? Hoc igitur fiat, & mos tibi geratur.

Decem in Notitia numerantur prouinciæ sub dispositione viri spectabilis vicarij vrbis Romæ, nimirum istæ: *Campania; Tuscia & Vmbria, Picenum suburbicarium, Sicilia, Apulia & Calabria, Bruttij & Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria.* Has omnes decem prouincias suburbicarias tibi fuisse placet, quod essent sub vrbis vicario, atque inde etiam nomen inuenisse. mirum mihi videri dixeram in Epistola, cum omnes supra scriptæ prouinciæ suburbicariæ fuerint, atque ita sint appellatæ, quod inter eas vnica tantum isto cognomine notata reperiretur. Hoc etiamnunc valde miror. omnes erant suburbicariæ, quid vna tantum ibi cognominatur suburbicaria? Cur quod omnibus fuit commune nomen, hoc ista sola quasi proprium & peculiare occupauit? respondes, quod te responsurum esse iam in Epistola præsenseram, ideoque etiam tuo iam tunc responso occurreram. sed tamen quoniam nihil aliud habes quod respondeas, ita respondes: *Piceno nimirum suburbicarij nomen addi, vt ab altero Piceno distingueretur, quod annonarium dicebatur, & erat sub dispositione vicarij Italiæ.* Dixeram ego iam tibi, nihil opus fuisse ista nominis additione aut distinctione, cum eo ipso quod inter

prouincias ſuburbicarias numerabatur, & ſub diſpoſitione vrbis recenſebatur, ſatis intelligi daretur, ſuburbicarium illud eſſe Picenum. quis enim de alio poſſet accipere Piceno, quam ſuburbicario, quod inter ſuburbicarias collocaretur? Ita ſi ego recenſerem omnes prouincias quæ ſub ditione ſunt Chriſtianiſſimi Regis Francorum, & inter eas Burgundiam quoque meam, vt par eſt, ponerem, nihil ſane opus haberem addere Francicam: nemo enim poſſet intelligere me de illa loquutum Burgundia, quæ Francica non eſt, & regis Francorum ditioni minime ſubiecta eſt. Cur igitur Piceno quod erat ſub vrbis vicario, ſuburbicarij cognomen adiunctum eſt, cum ſic ſatis ſuburbicarium intelligi poſſet, etiam ſi non nominaretur? ſed honoris tui cauſa faciam, vt hanc tuam licet inanem & friuolam, additionis illius & diſtinctionis rationem recipiam. Dictum ſane ſit, quoniam ita vis, in ea Notitia Picenum ſuburbicarium, vt diſcerneretur ab annonario. Nunc quæram, & quæri ſane dignum eſt, primum cur ex integro Piceno, duæ prouinciæ factæ ſunt, quarum altera ceſſerit vrbis vicario, altera vero attributa ſit vicario Italiæ. Deinde cur non vtrumque Picenum aut totum Picenum potius, ſic vicario vrbis regendum datum eſt, quemadmodum vtramque Tuſciam tam annonariam quam ſuburbicariam vnus idem vicarius adminiſtrabat? Præterea cum Picenum illud quod erat ſub vrbis vicario ſuburbicarium diceretur, cur alterum annonarium dictum

dictum est, quod sub vicario Italiæ fuit? an quia solas annonarias administrabat ille vicarius Italiæ? atqui annonarias etiam fuisse aliquas sub vicario vrbis patet ex Tuscia annonaria quam is regebat. tu vero etiam omnes Italiæ regiones fuisse annonarias volebas. cur ergo Piceno illi quod erat sub vicario Italiæ, annonarij cognomen inditum, quum illud alterum quod vicario vrbis parebat, & suburbicarium ex eo dicebatur, æque esset annonarium? si poteris hæc mihi dubia soluere, & istas obiectiones perrumpere, cum ista tua noua suburbicariarum notione ac notatione; tum ego quantum acuminis habere te putas, tantundem habere te putabo. sed hoc non facies, nec eris tam acutus. Audi nunc sis quid ex illis colligam. Profecto si omnes annonarias non administrauit Italiæ vicarius, sed aliquas etiam quæ annonariæ essent, vicarius vrbis rexit, suburbicarias non fuisse omnes necesse est, quæ vicario vrbis parebant, nam inter eas etiam aliquæ annonariæ. atqui annonariæ non dicuntur nisi ad differentiam suburbicariarum, nec suburbicariæ nisi vt discernantur ab annonariis. sic enim Picenum suburbicarium & annonarium, Tuscia suburbicaria & annonaria inuicem distinguuntur. Patet igitur non sic distingui disiungique oportere suburbicarias, & annonarias, quod suburbicariæ essent sub vrbis vicario, annonariæ sub vicario Italiæ. quemadmodum autem annonarias regiones fuisse atque ita appellatas esse certum est, antequam vlli essent vicarij Italiæ, sic

etiam ſuburbicarias fuiſſe oportet longe ante Conſtantini Magni imperium, & vicariorum vrbis ab eo inſtitutionem. Etenim ſi Trebellij Pollionis temporibus, annonaria regio aliqua fuit, vt Picenum annonarium, fuit vtique & ſuburbicaria regio aliqua, vt Picenum ſuburbicarium. Trebellium porro vixiſſe antequam Conſtantinus Magnus natus eſſet, aut vllos creare poſſet vicarios vrbis aut Italiæ, ne tu quidem negabis, qui omnia ſoles manifeſta negare. ſuburbicariæ igitur non ab vrbis vicariis dictæ nec illo tempore natæ ſunt, quo conſtituti primum fuere vicarij, quum eas longe ante notas fuiſſe exploratum ſit. Nam ſuburbicariæ, vt ſupra docuimus, ſunt ſuburbanæ. Suburbicarias porro cum totidem facias, quot erant ſub vrbis vicario regiones, quantum hac in re ratio calculi te fefellerit, ac ratio mentis te fugerit, ſi æra ſumamus, & hanc ſummam, peruerſis calculis a te iam ſubductam, iterum ſubducamus, facile mox patebit. Decem prouinciæ numerantur ſub diſpoſitione vicarij vrbis apud auctorem Notitiæ: decem ipſe ſuburbicarias numeras, ſed ex hoc numero ſubtrahendas eſſe multas, quæ ſuburbicariæ non erant, diſcuſſis exactius ratiociniis, ſtatim faxo appareat. Pleonaſmo igitur peccantes rationes tuas, age nunc ſi lubet purgemus, ac putemus.

Prima in illo albo *Campania* memoratur. eam primam ſuburbicariam ponis, quia ſub vrbis ſcilicet vicario. quam falſus fueris, cum ipſi tibi, tum

aliis oſtendet lex XII. Cod. Theod. *de indulgentiis debitorum*, quæ ſuburbicariam fuiſſe negat, dum a ſuburbicariis diſtinguit diſertis his verbis: *Præter cenſuales functiones Campania quam & vetuſtatis grauior onerat adſcriptio, & poſt hoſtium vaſtauit incurſio, per-æquatis territorijs, nonam partem tantummodo præteriti aſſis publicarum toleret functionum. Picenum vero & Tuſciam ſuburbicarias regiones ſeptimam tributorum ad ſupputationem profeſſionis antiquæ per vniuerſos titulos iubemus agnoſcere.* ſi ſuburbicaria fuit Campania, cur a ſuburbicariis regionibus, Tuſcia & Piceno in hac lege ſeparatur? Dic aliquem, o Rhetorum ocelle, dic, ſi potes, heic colorem, quare diſtinguatur a ſuburbicariis quæ ſuburbicaria ſit & ipſa. Hanc primam igitur omnium nunc licet eximas de numero tuarum ſuburbicariarum.

Secunda nominatur, *Tuſcia cum Vmbria.* calculo tuo vtraque nimirum ſuburbicaria. Sed duæ, o Logiſta, Tuſciæ fuerunt: ſuburbicaria vna, altera annonaria. Hoc te iam docuerat Anonymus; hoc Epiſtola Amici confirmarat. quid adhuc dubitas, aut cur diſſimulas? annonariæ meminit Ammianus lib. XXVII. *Noua portenti ſpecies per annonariam apparuit Tuſciam.* meminit etiam Iordanes: *idem per ſuos ad cancellos annonariæ Tuſciæ feliciter dimicans iudices fugat.* mentio etiam eius habetur in Epiſtola Pelagij quæ ſcripta eſt, *ad Gaudentium, Maximilianum, Geruntium, Iuſtum, Terentium, Vitalem & Laurentium dilectiſſimos fratres per Tuſciam annonariam.* Suburbicariæ vero Tuſciæ mentio occurrit in

Nouella Maioriani *de adulterijs*, in inſcriptione quæ ita concepta eſt: *Impp. Leo & Maiorianus AA. Rogatiano conſulari Tuſciæ ſuburbicariæ.* & in leg. XII. Cod. Theod. *de indulgentijs debitorum,* his verbis quæ iam paulo ante retulimus: *Picenum vero & Tuſciam ſuburbicarias regiones ſeptimam tributorum ad ſupputationem profeſſionis antiquæ per uniuerſos titulos iubemus agnoſcere.* Vtriuſque vero Tuſciæ meminit Caſſiodorus IV. Var. *vt Gotthi per Picenum ſiue Tuſcias vtraſque reſidentes cogantur exſoluere debitas functiones.* per vtraſque Tuſcias palam eſt eum intelligere Tuſciam annonariam & ſuburbicariam. Vtriuſque porro nominatim etiam extat mentio apud Caium & Theodoſium auctores Limitum conſtituendorum: *Terminus teſtacius in ped.* CCCCL. *per Tuſciam vrbicariam & annonariam.* nullo modo igitur iam dubium eſt, quin duæ Tuſciæ fuerint, vna ſuburbicaria, altera annonaria. ſuburbicariam autem ſuum ſeorſim habuiſſe conſularem conſtat, ex inſcriptione Nouellæ Maioriani. ſic Piceno ſuburbicario ſuus fuit peculiaris conſularis. Tuſcia ergo illa quæ cum Vmbria iungebatur, quæque vnum cum Vmbria eumdemque habebat conſularem, erat annonaria non ſuburbicaria. ſic Picenum quod Flaminiæ adnexum eſt, annonarium erat non ſuburbicarium. Atqui hæc ipſa Tuſcia annonaria eſt, quam ſub diſpoſitione vicarij poſuit auctor Notitiæ. ſi vera tua ratio eſt, hæc fuerit etiam ſuburbicaria. ſed cur alteram omiſit, quæ proprie ſuburbicaria dicebatur, quæque ab annonaria

diſtinguebatur? Dices vtramque fuiſſe ſub vrbis vicario, & Tuſciæ nomine tam ſuburbicariam quam annonariam comprehendiſſe auctorem Notitiæ. ſane ſi ſuburbicaria Tuſcia in illo laterculo, librarij vitio non eſt omiſſa, nihil veriſimilius cenſeam, quam Tuſciæ nomine totam Tuſciam, id eſt, ſuburbicariam & annonariam, ab auctore Notitiæ fuiſſe comprehenſam: præſertim cum tota Tuſcia pareret vrbis vicario. Non igitur opus illi fuit aut neceſſe, Tuſciam annonariam a ſuburbicaria diuidere, quia non diuerſis vicariis, ſed vni parebat vniuerſa. In Piceno opus fuit illa diuiſione. nam alterum regebatur a vicario vrbis, alterum ab Italiæ vicario. ideo Picenum quod erat ſub diſpoſitione vicarij vrbis, ſuburbicarij nomine inſigniuit, non quia ex eo ſuburbicarium eſſet cognominatum, ſed vt oſtenderet, ſolum iſtud paruiſſe vrbis vicario, cum alterum, hoc eſt annonarium, Italiæ vicario pareret. quod igitur volumus, illud eſt: conſtare primum duas fuiſſe Tuſcias, annonariam, & ſuburbicariam. deinde vtramque ad vicarij vrbis diſpoſitionem pertinuiſſe. ſi omnes prouinciæ quæ ſub eius adminiſtratione fuerunt, ſuburbicariæ dictæ ſunt, dic, te rogo, dic noue Quintiliane, ac nos doce, cur ex duabus Tuſciæ partibus, quum totam ipſe adminiſtraret, & vtraque ſub eius adminiſtratione poſita eſſet, altera ſuburbicaria, altera annonaria appellata eſt? Domine Rector, ſi fauore tuo nos tantillum dignos ducis, rege ſi lubet, ac dirige nos in hoc

dubio. ſuburbicaria tota, qua patebat, fuit Tuſcia; cur pars eius tantum ſuburbicaria dicta eſt? ſi hæc ratio ſola eſt, ſi alia nulla eſt ſuburbicariarum appellationis, ſi ſolæ illæ ſic nominatæ ſunt, quæ ſub vicario vrbis; cur hoc nomen vni potius Tuſciæ parti datum eſt, quam alteri, cui non minus id nominis competebat, quæ ſimiliter erat ſuburbicaria? Abſurditatem hanc, & ſtuporem hac in re tuum iam ſatis ſupra patefecimus, & multis exagitauimus. Vel hæc ſola ratio, niſi ſtultiuidus eſſes, facere poterat, vt videres, ſuburbicarias non ideo dici, quod ſub vrbis eſſent vicario, nec omnes quas ille adminiſtrauit, ita appellatas eſſe: alioquin nulla foret ex illis quas regebat, quin eodem hoc nomine cenſeri deberet. At heic vides, niſi cæcus etiamnunc es, ex duabus Tuſciis quæ vicario vrbis ſubiacebant, alteram ſuburbicariam, alteram annonariam dictam, & alteram ab altera hoc cognomine diſtinctam, & annonariam a ſuburbicaria tam re quam nomine fuiſſe diuerſam. non igitur inde dictam eſſe ſuburbicariam, quod ſub vrbis vicario eſſet, etiam clauſis oculis, etiam cæcis patet. Nam & annonariæ non minus id nominis congrueret quam ſuburbicariæ, & ſic nulla diſcriminis quod inter vtraſque fuit, ratio reddi poſſet, immo nullum inter eas diſcrimen a principio conſtitutum eſſet. Suburbicaria ergo Tuſcia erat ſuburbana, & intra centeſimum ſita, & hac nota diſcernebatur ab annonaria, quæ extra centeſimum poſita, & Vmbriæ coniuncta vnam Italiæ

prouinciam efficiebat, & ab vno consulari regebatur. sola huius argumenti claua, monstrum illud coniectationis tuæ de suburbicariis ab vrbis vicario cognominatis, afflictum & prostratum eliditur. sic annonariam Tusciam cum Vmbria nunc ad eas apponito prouincias, quæ de albo suburbicariarum debent eradi, & Tusciam suburbicariam inter eas primam numerato, quæ vere fuere sububicariæ, hoc est suburbanæ.

Tertia sequitur, *Picenum suburbicarium.* Hæc secunda sit suburbicaria. Nam vere esse suburbicariam tam fas est credere, quam nefas est dubitare. Hoc ipsa de se clamat, & de solo cognomine id testatur. Picenum autem suburbicarium ideo notatum est, cum vt discerneretur ab annonario quod erat sub dispositione vicarij Italiæ, tum vt sciretur solum hoc suburbicarium paruisse vrbis vicario: alioquin opus non fuisset hanc notam discriminis apponere, si vtrumque vicario vrbis paruisset. non igitur suburbicarium dictum quod esset sub vrbis vicario. nihil enim erat necesse ita illud cognominari, si omnes prouinciæ quæ parebant vicario vrbis, suburbicariæ essent appellatæ. hinc apparet annonariæ, & suburbicariæ regionis distinctionem longe antiquiorem esse vicariis vrbis, & Italiæ, immo ipsis præfectis prætorio Italiæ, quorum vices gerebant illi vicarij in Italiæ diœcesi administranda. Hoc, si cor habuisses, facile sensisses; si frons tibi fuisset, non negasses.

Quarta subiicitur *Sicilia.* suburbicariam hanc

fuiſſe mira pertinacia, mira animi ſtoliditate contendis. ſed omnia reclamant: omnia te conuincunt. ſi ſuburbicaria eſſet, cur tam apertis ac diſertis verbis diſiungeretur a ſuburbicariis, leg. IX. Cod. Theod. *de extraordinarijs muneribus*? ſic habet lex illa: *non enim per Italiam tantum, ſed etiam per vrbicarias regiones, & Siciliam patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires ſeruandas eſſe perſpeximus.* Ponit hæc lex ſeorſim vrbicarias, & Siciliam ſeorſim, & Sicilia tamen erit vna ex illis vrbicariis? nonne hoc monſtri ſimile eſt, hominem non indoctum, & valde, vt ipſe ſibi videtur, ingenioſum, rem adeo abſurdam potuiſſe animo ſuo ſemel infigere, & penitus infixam refigi nulla ratione nunc pati poſſe? Hoc de te, Sirmonde, primum mirabar, qui te non noram. poſtquam noſſe cœpi, mirari deſij. Nam nunc etiam non dubito quin de acumine tuo ipſe tibi blanditus fueris in excogitanda, & inuenienda illa ratione, qua ſuburbicariam facere Siciliam, & inter ſuburbicarias infercire conatus es, quæ nec ſuburbicaria vnquam fuit, & adeo clare ſeiungitur ab vrbicarijs, in illa lege quam paulo ante retulimus. eam enim cauſam in Cenſura tua attuliſti, acute mehercule excogitatam, & ingenio tuo dignam: nempe quod curandis fundis patrimonialibus & emphyteuticariis de quibus lex agit, diuerſus eſſet in Sicilia rationalis, ab eo qui rationalis per vrbem Romam, & ſuburbicarias regiones dicebatur. & hanc cauſam quæ tum aptiſſima tibi videbatur, etiam nunc aptiſſimam tibi videri dicis.

Sane

Sane Sirmonde, vt ineptiſſimus videreris, nulla potuit aptior afferri, nec aliquod certius ineptiæ tuæ teſtimonium reddi. Profecto veriſſimum eſt, quod aſſeris diuerſum fuiſſe Rationalem per Siciliam, & per vrbicarias regiones. hoc enim nos docet Imperij Notitia, quæ ſub diſpoſitione viri illuſtris Comitis rerum priuatarum recenſet,

Rationalem rei priuatæ per Italiam.

Rationalem rei priuatæ per vrbem Romam, & ſuburbicarias regiones.

Rationalem rei priuatæ per Siciliam.

Rationalem rei priuatæ per Africam.

Rationalem rei priuatæ per Hiſpanias.

Quod igitur alius rei priuatæ rationalis eſſet per Siciliam, alius per vrbicarias regiones, non propterea diuerſam fuiſſe Siciliam argutaris a ſuburbicariis, ſed vnam ex ſuburbicariis & ipſam, licet diuerſum haberet rationalem. miram, ita me Deus iuuet, rationem, & efficacem! quippe quæ efficere etiam poſſit & euincere, non Siciliam tantum, ſed Illyricum, ſed Africam, ſed Gallias cum Hiſpaniis ſuburbicarias fuiſſe. ſic enim inferretur, cauſæ aliud non eſſe quare ſupradictæ regiones a ſuburbicariis ſeiungerentur, quam quod diuerſos haberent rationales, ceterum omnes fuiſſe ſuburbicarias, licet diuerſis rationalibus ſubiectas. Ego vero, etiamſi aliud argumentum non poſſet adduci, quo probaretur Siciliam non fuiſſe inter ſuburbicarias, tamen ex eo quod non idem præeſſe diceretur Siciliæ rationalis, & regionibus ſuburbicariis,

Siciliam de ſuburbicariarum regionum numero non eſſe protinus collegiſſem. quid enim aliud poſſet colligi? alius recenſetur rationalis per Siciliam, alius per ſuburbicarias regiones, & tamen inter ſuburbicarias Sicilia ponetur? quis hoc ſic mihi poterit ſuadere, vt perſuadeat? *οὐ πείσῃς οὐδ᾽ ἂν πείσῃς.* adde quod lex illa quam ſuperius produximus, rationalis mentionem non facit, ſed ſimpliciter præcipit, per vrbicarias regiones, & Siciliam fundorum patrimonialium, & emphyteuticorum vires eſſe ſeruandas. ergo Sicilia non erat inter ſuburbicarias, non erat vna de ſuburbicariis, quum tam manifeſte, inuicem ibi diſtinguantur & ſeiungantur. *erat*, inquis, *ſed ideo ibi ſeparatur a ſuburbicariis, quia in fundis patrimonialibus curandis diuerſum haberet rationalem ab eo qui per vrbicarias curabat.* quid eſt Sirmonde? rationalis ille qui per Siciliam fundos patrimoniales curabat, an non & alias res eum putas curaſſe quæ ad principis rationes pertinebant? Dic mihi quibus in rebus curandis, aut quibus in rationibus tractandis, eumdem cenſeas præpoſitum fuiſſe rationalem Siciliæ & regionibus ſuburbicariis? immo enimuero non tantum diuerſus per Siciliam & ſuburbicarias rationalis rei priuatæ fuit, vt paulo ante ex Notitia imperij docuimus, ſed etiam diuerſus procurator rei priuatæ, ſic enim eadem Notitia notat:

Procurator rei priuatæ per Siciliam.
Procurator rei priuatæ per Apuliam & Calabriam.
Procurator rei priuatæ per Dalmatiam.

Procurator rei priuatæ per Italiam.
Procurator rei priuatæ per vrbem Romam.
Procurator rei priuatæ per vrbicarias regiones.

Sicilia vtique distinguitur a regionibus suburbicariis, & quia diuersa & distincta ab illis, diuersum quoque ac distinctum cum procuratorem rei priuatæ, tum rei priuatę rationalem habuisse notatur. tuo tamen iudicio Sirmonde fuit vna de suburbicariis, eamque in hunc numerum cogis? o subtile, & ad amussim factum iudicium, quod ipsum etiam pro amussi possit esse! Euge Sirmonde, ὄναιο τῆς δεξιότας. omnia sic tibi futura sunt facilia. Etenim difficile non esse dicis huius rei causam assequi, *cum eodem*, inquis, *more apud nos videamus a rectoribus prouinciarum sæpe distingui rectores arcium oppidorumque nonnullorum, quæ ipsa tamen in iisdem prouinciis continentur.* Hoc ipsum est, quod a te expectabam. sequitur securis manubrium; vara vibiam: absurdæ & falsæ rationi, ineptissima & falsissima comparatio subiungitur. quid hac similitudine dissimilius, quid absurdius? an eamdem tibi rationem habere videtur Sicilia ad vrbicarias regiones comparata, quam habent arces & oppida ad prouinciam in qua sunt sita? prouincia erat Sicilia, prouinciæ quoque, regiones suburbicariæ. an castella & oppida quæ in prouincia sunt, prouincias similiter putabis esse? Demus vnam fuisse de prouinciis suburbicariis Siciliam, sic certe numerum auxerit prouinciarum suburbicariarum. Sed arces & oppida, quæ sunt in prouinciis, quamtumlibet magnus earum

numerus fuerit, hoc non efficient, vt maiores, aut latiores habeat fines illa prouincia, in qua sita sunt, aut vt de vna prouincia plures fiant. quid igitur? quæ ratio comparationis tuæ? comparas arcium castellorumque rectores, cum rectore prouinciæ, in qua illæ ipsæ arces, illa oppida continentur. quam ad rem istud? aut quomodo hoc tibi processurum speras? quid inde efficere possis videamus,& quam examussim quadret instituta a te comparatio. Sicilia rationalem rei priuatæ suum habuit, suum item habuere regiones suburbicariæ. qui rationalis rem priuatam rationesque principis curabat per Siciliam, munus idem obibat, eodemque officio fungebatur in illa prouincia,quo rationalis ille qui per suburbicarias regiones rem principis priuatam administrabat. ex æquo vterque rem principis curauit, par vtriusque dignitas fuit, par vtriusque in rationibus discutiendis ratio: alter alteri subiectus non fuit, sed vterque, vt & reliqui omnes ceterarum prouinciarum rationales, sub dispositione fuere viri illustris Comitis rerum priuatarum. quemadmodum igitur rationalis Siciliæ diuersus erat a rationali regionum suburbicariarũ, sic Siciliam quoque distinctam ac disiunctã fuisse oportet a regionibus suburbicariis. in rectoribus vero castellorum & oppidorum quid simile? immo quid non dissimile? singulæ arces,& singula castella in vnaquaque prouincia suos peculiares rectores habent. atque hi rectores sæpe distinguuntur a rectore prouinciæ in qua constituti sunt. quid

tum postea, Sirmonde? quid inde ſequi dices? an rectores illi arcium, & oppidorum, quæ in vnaquaque prouincia ſunt, ita conferendi ſunt cum totius prouinciæ rectore, vt rationalis Siciliæ cum rationali regionum ſuburbicariarum conferebatur? Sane Rector prouinciæ, vt omnes arces & caſtella, quæ in prouincia continentur, ſub ſe habet, ita caſtellorum arciumque illarum rectores, qui in ſua prouincia conſtituti ſunt, ſub ſe habere exiſtimandus eſt. ſic igitur diſtinguuntur rectores arcium oppidorumque a rectore prouinciæ in qua ſunt ſita, quemadmodum rationales rei priuatæ, per Siciliam, per Italiam, per Illyricum, & reliquas prouincias, diſtinguebantur a Comite rerum priuatarum, cui omnes illi rationales parebant. oſtende porro nobis rationalem rei priuatæ per Siciliam, paruiſſe rationali rei priuatæ per ſuburbicarias regiones. Hoc ſi oſtendis, *δείξας νικήσεις*. ſic enim apta & vera tua fuerit comparatio; ſic etiam nobis ſatisfecerit ratio, qua probabas Siciliam ab vrbicariis ſeiungi, non quod diuerſæ eſſent, ſed quod diuerſum haberent rationalem. Sed ſi id non potes, confitere ſaltem, te in cõparationibus inſtituendis tam ineptum eſſe, quàm in rationibus adſtruendis futilem & abſurdum. Hoc telo coniecto, vbi in vanum, & vacuum cecidiſſe illud vides, aliam tragulam iniicis. Si Siciliam, inquis, lex illa penitus a « ſuburbicariis excludit, de lege altera quæ vnica eſt « in Cod. Theod. *ſi per obreptionem*, quid cenſes? Quid « cenſeo Sirmonde? iam dicam tibi, vbi legem illam

videro. non longum faciam, nec te morabor. Lex ipſa ad præfectum prætorio Italiæ & Illyrici data eſt: verba legis in fine hæc ſunt: *igitur ſinceritas tua idipſum per omnem Italiam, tum etiam per vrbicarias Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum prælata oraculi huius auctoritate firmabit.* quæris Siciliam, quæ heic non nominatur, ecquo putem harum partium capite contineri? magna hæc quæſtio eſt, & difficilis ad eam reſponſio. quid tibi videtur? quid reſponderes ipſe, ſi quis hoc idem ex te exquireret? ſi tuæ mentis eſſes, ita te reſponſurum non dubitarem. Sicilia ab vrbicariis regionibus aperte diſtinguitur leg. IX. Cod. Theod. *de extraordinariis muneribus.* diuerſum habuit rei priuatæ rationalem procuratoremque, ab eo qui per vrbicarias regiones procurabat. ergo non poteſt Sicilia regionum vrbicariarum nomine comprehenſa exiſtimari: non poteſt etiam Illyrico, non poteſt Africanis regionibus comprehendi. neceſſe eſt igitur, vt ſub Italiæ nomine comprehendatur. quis enim neſcit Italiæ nomen apud veteres plerumque non Siciliam tantum, ſed etiam Corſicam & Sardiniam complecti? quæ tres inſulæ ſiue prouinciæ, vt Italiæ diœceſi attributæ fuere, ſic etiam ſub eamdem Italiæ appellationem deuenerunt. hoſpitem ac peregrinum eſſe oportet in ſolo Latino qui hoc ignoret. ita ſane qui ſuus ac ſanus erit, de Sicilia reſpondebit. te quem iracundia dementauit, aliter ſentire ac cenſere minime mirum eſt. Duas Italiæ fuiſſe dicis diœceſes quæ in illa lege diſtinguuntur,

Italiam & ſuburbicarias: ad Italiæ diœceſim non pertinuiſſe Siciliam, quia vicario Italiæ non ſubeſſet: reſtare ergo vt vrbicariarum numero comprehendatur. errata non plura ſunt quam verba, ſed totidem fere ſunt. dic age quis tibi dixit, aut quis docuit, duas Italiæ fuiſſe diœceſes? tota Italia cum ſuburbicariis, cum Sicilia, Corſica & Sardinia, vnica tantum fuit diœceſis. tres omnino tantum fuere diœceſes ſub præfecto prætorij Italiæ, Italia ipſa, Illyricum & Africa. Audi ſis aut vide, quid ſcripſerit imperij Notitiæ auctor: *ſub diſpoſitione viri illuſtris præfecti prætorio Italiæ, diœceſes infra ſcriptæ, Italia, Illyricum & Africa.* ſequitur apud eumdem Italiæ deſcriptio in decem & ſeptem prouincias, Illyrici in ſex, Africæ in ſeptem. vbi nunc illæ duæ, quas tibi fingis, Italiæ diœceſes? ſed fingamus fuiſſe: vnde didiciſti harum alteram Italiam, alteram ſuburbicarias fuiſſe? duo ſane ſub ſe vicarios habuit præfectus prætorio Italiæ, qui Italiæ diœceſim vniuerſam vice ſua regerent. horum alter vicarius vrbis, alter Italiæ vicarius dictus eſt. qui vicarius vrbis dicebatur, vrbem quidem & ſuburbicarias regiones ſub ſua diſpoſitione habuit, ſed non ſolas. nam & Tuſciam annonariam quæ diſtinguebatur a ſuburbicaria, rexit idem, & in his Siciliam quoque, quam manifeſto a ſuburbicariis excluſit lex IX. Cod. Theod. tit. quo ſupra. ſic nec ſuburbicariæ ſolæ ſub vrbis vicario, nec omnes quæ ſub illo fuere, ſuburbicariæ dictæ ſunt, nec ſuburbicariæ regiones vnam Italiæ diœceſim conſtitue-

runt ſolæ. ſic Sicilia in hac lege non vrbicariarum nomine continetur, ſed Italiæ. Italia autem omnis eadem lege ita accipitur, de omni Italia, regionibus ſuburbicariis, quæ intra centeſimum erant, exceptis, vt lex 11. Cod. Theod. *de integri reſtitutione*, omnem Italiam dixit, de tota Italia quæ extra centeſimum. Hoc quam ſæpe iam tibi dictum eſt! iterum tamen inculcandum. Hæc miſeria eſt, habere rem cum hoſte, qui ſemel proſtratus, toties calcandus eſt. Nunc etſi nondum fortaſſe tibi, certe iam aliis omnibus, qui Sirmondi non ſunt, conſtat Siciliam de ſuburbicariarum numero eſſe tollendam.

Quinta ſubiicitur, *Apulia cum Calabria*, inter prouincias quæ ſub vrbis erant vicario. Suburbicariam hanc fuiſſe ais. ſuburbicariam negat fuiſſe Notitia imperij, quæ procuratorem rei priuatæ alium notat per vrbicarias regiones, alium per Apuliam & Calabtiam, & ſaltus Carminiacenſes. Ergo Apulia & Calabria non erat ſuburbicaria, quippe quæ ſuburbicariarum regionum nomine minime comprehendebatur, & diuerſum haberet procuratorem, ab eo qui rem priuatam procurabat per vrbicarias regiones. Nihil certius hoc argumento, licet aliter Sirmondo videatur. Nam ſi dixero vrbicarias regiones habuiſſe procuratorem curandæ rei priuatæ principis, Calabriam item & Apuliam, ſuum quoque rei priuatæ procuratorem habuiſſe, quis tam Sirmondianus eſt, hoc eſt tam ineptus, qui cogitare queat, me vrbicariarum regio-

regionum nomine Apuliam etiam & Calabriam comprehendiſſe, aut hanc prouinciam de ſuburbicariis fuiſſe vnam, intelligere poſſit? nemo poſſit, niſi Sirmondus ſit. Quia tamen in eadem Notitia inter eos qui ſub diſpoſitione Comitis rerum priuatarum militabant, procurator etiam legitur rei priuatæ per Italiam, quæris ex me, Apuliamne & Calabriam putem Italiæ nomine contineri. poteras compendi facere hanc quæſtionem: ego tibi dico, minime contineri. idque eodem argumento, quo & ſuburbicariis minime comprehendi poſſe dixi. quis tam cæcus quin hoc videat? alius erat rei priuatæ procurator per Italiam, alius per vrbicarias regiones, alius per Apuliam & Calabriam. vide ſis an dare mihi poſſis aliquem tam ſtupidum atque hebetem, qui putare queat Apuliam & Calabriam ex illo Notitiæ loco, aut inter ſuburbicarias eſſe, aut Italiæ nomine contineri. Sed de Italia non integrum mihi eſſe hoc negare autumas, qui Italiæ velim nomine, quidquid eſt extra centeſimum, comprehendi. cum igitur meo iudicio in Italia ſint Apulia & Calabria, nihil aliud cauſæ afferri poſſe cenſes, cur heic ab Italia ſeparentur, quam quod a diuerſis procuratoribus adminiſtrarentur. hanc eamdem ſcilicet cauſam attuleras, vt Siciliam faceres vnam de ſuburbicariis, licet alium ſuburbicariæ, alium Sicilia rei priuatæ rationalem haberent. ſic nunc me meo premis argumento, atque eadem manu te defendis. ſed ſi aliud patrocinium non habes, narro tibi, Sirmon-



de, nullam habes. qui latere tecto discedere sperabas, vndique illud apertum præbes. ita nec me feris, nec te tegis. Italiæ sane nomine quidquid est extra centesimum, comprehendi dixi, sed quum Italia similiter ponitur. quid? an potes negare quin Italia ita accipi debeat leg. 11. Cod. Theod. *de integri restitutione?* legem ipsam centies iam productam, iterum heic producamus, vt gladium tibi in iugulum demittat: *Placuit post completum vigesimum & quintum annum, ex eo quo vicesimi & sexti anni dies illuxerit, ad interponendam contestationem in vrbe Roma vsque ad anni tricesimi extremum diem spatia prorogari, & intra centesimum vrbis Romæ milliarium, si tamen ab ijs iudicibus qui Romæ sunt fuerit iudicandum. per omnem vero Italiam vsque ad anni vicesimi & noni finem. in ceteris omnibus prouincijs vsque ad completum annum vigesimum octauum.* vides heic an non vides, Italiam omnem dici quæ extra centesimum? in aliis legibus vbicunque mentio Italiæ occurrit separatim ab vrbicariis regionibus, haud dubium est quin accipi oporteat de omni Italia extra centesimum posita: omnes enim vrbicariæ, vt iam docuimus, intra centesimum continebantur. Italia igitur cum simpliciter & absolute nominatur, aut totam lata significatione Italiam vna cum vrbe & suburbicariis regionibus complectitur, aut Italiam strictiori notione comprehendit, quæ extra centesimum seclusa est, & ab vrbicariis regionibus separata. Hoc sensu passim in Codice Theodosiano accipi consueuit, vbi ab vrbicariis regionibus distingui-

tur, aut à centesimo excluditur. At enimuero cum Italia relatiue sumitur & coniunctim cum ea persona ad quam fit relatio ponitur, tunc Italiæ appellatione non plures continentur prouinciæ, quam quot sub illo sunt ad quem relatio fieri debet. ita relatiue sumpta Italia, modo plures modo pauciores, interdum vnam tantum prouinciam comprehendit. exempli gratia, si quis præfectum prætorio Italiæ audiat, tunc Italiam totam cum vrbe & suburbicariis regionibus intelligi non dubitet, quia præfectus ille totam Italiam administrabat. at cum de correctore Italiæ sermo est, quia corrector ille omnem Italiam exceptis regionibus vrbicariis regebat, Italiæ ibi nomen non plures prouincias complectitur, quam quæ extra centesimum erant positæ. Si de vicario Italiæ mentio fiat, Italia septem tantum prouincias comprehendit, quia non plures erant sub dispositione vicarij Italiæ. Cum Italiæ Comitem legimus in Notitia imperij, tunc Italiæ appellatio non extenditur vltra Italiæ tractum qui circa Alpes erat. nec enim maiorem Italiæ partem regebat Comes ille. Notitia imperij: *sub dispositione viri spectabilis Comitis Italiæ, tractus Italiæ circa Alpes.* licet tantulam ille portionem Italiæ administraret, nihilominus tamen comes Italiæ dicebatur. ita cum Mediolanum legimus metropolin esse Italiæ, non totius eam Italiæ metropolin intelligimus, sed eius tantum partis aut prouinciæ, in qua Mediolanum, Italiæ nimirum transpadanæ, aut Liguriæ. nec enim vni-

ca per totam Italiam metropolis fuit Mediolanum. Eodem plane modo cum eadem imperij Notitia notum nobis facit, alium fuisse procuratorem rei priuatæ per Italiam, alium per Calabriam & Apuliam, quia procurator ille rei priuatæ per Italiam, non etiam procurabat per Calabriam & Apuliam, cum de illo procuratore Italiæ agitur, certum est Italiæ nomine Apuliam & Calabriam non contineri. inter præpositos Thesaurorum qui sub comite sacrarum largitionum militabant, vnus erat præpositus Thesaurorum per Italiam Aquileiæ. Putares Italiæ nomine totam Italiam illam tuam designari, quæ vicario Italiæ parebat. atqui præpositus ille Thesaurorum per Italiam, Thesauris non præerat per Liguriam, sed alius fuit Thesaurorum Mediolanensium præpositus Liguriæ. sic cum agitur de præposito Thesaurorum per Italiam, Italiæ nomine Liguriam minime comprehendi certum est. Italiæ igitur appellatio, cum relatiue sumitur, pro rerum aut personarum qualitate quibus adiungitur, varias recipit significationes, & modo plures, modo pauciores Italiæ prouincias, interdum vnam quamlibet tantum Italiæ prouinciam designat. alia est Italia cum de præfecto prætorij Italiæ agitur: alia cum de correctore Italiæ: alia cum de vicario Italiæ: alia cum de comite Italiæ: alia cum de præposito thesaurorum Italiæ: alia denique, cum sermo est de procuratore rei priuatæ per Italiam. Longe aliter res se habet in suburbicariis regionibus. certæ illæ regiones fue-

re, certis finibus circumſcriptæ. qui ſuburbicarias itaque nominat, omnes nominat, & nullam excipit. a loco enim denominatæ ſunt, nec fines ſuos mutare poſſunt; vrbicariæ ſiquidem quod in vrbis territorio ſitæ eſſent dictæ ſunt, & ſuburbicariæ quod ſuburbanæ. at Italiæ vocabulum pro perſonarum varietate ad quas refertur, variat quoque ſignificationem, & interim latius, interim ſtrictius ſumi ſolet. de ſuburbicariis hoc idem non poteſt. certos illæ quippe fines habuere conſtitutos, & de loco nomen ſumpſere. Sed de Italia dicemus iterum capite ſequenti. Nunc de ſuburbicariis hoc etiam conſtat, inter eas locari non debere, nec in earum numerum referri poſſe Apuliam & Calabriam.

Sexta prouincia, *Bruttij & Lucania.* non tu rogandus, an ſuburbicariam velis eſſe. patet velle ex eo quod eſſet ſub vrbis vicario. ſed tu docendus es ſuburbicariam non fuiſſe. Lex prima hoc docet, Cod. Theod. *quibus equorum vſus conceſſus.* lege illa ſancitur, exceptis ſenatoribus & honoratis, & aliis quibuſdam, *ceteris omnibus per Picenum & Flaminiam, nec non etiam Apuliam & Calabriam, Bruttios & Lucaniam atque Samnium habendi equi vel equæ copiam eſſe præcluſam.* at lege III. eod. tit. equorum vſum ſimiliter prohibet imperator per vrbicarias. omnes igitur illæ prouinciæ in priori lege nominatæ non fuere ſuburbicariæ. Profecto Picenum illud quod cum Flaminia iunctim ibi ponitur, ſuburbicarium non erat, ſed annonarium. Apuliam & Cala-

briam non fuisse suburbicarias, paulo ante demonstrauimus. Hinc etiam ostenditur Lucaniam & Bruttios, & Samnium vrbicarias non fuisse, vt pote quæ inter eas numerentur ac memorentur prouincias, quas ab vrbicariis diuersas fuisse constat. præterea cum prima lex huius tituli equorum vsum prohibeat per supra scriptas prouincias, tertia vero hoc idem sanciat obtineri per suburbicarias regiones, vel cæcis clarum est, prouincias prima lege enumeratas non fuisse vrbicarias, sed ab vrbicariis diuersas. Bruttios igitur & Lucaniam, a suburbicariis nunc segregare debes, quam temere in hunc gregem compulisti.

Septima, *Samnium.* nihil habet nec ista, quod inter suburbicarias agat, quia de illarum grege ac numero non est. quæ de Bruttiis & Lucania diximus, vt ex hoc laterculo expungerentur, de Samnio quoque dicta sunto.

Octaua & Nona sequuntur, *Sardinia* nempe & *Corsica.* Si Sicilia non fuit suburbicaria, quid est quod istæ duæ pro suburbicariis haberi postulent? frustra in hunc numerum recipi poscunt, exclusa Sicilia. tres istæ prouinciæ ab vno rationali regebantur, qui rationalis trium prouinciarum dicitur in Cod. Theod. Hic fuit rationalis summarum. nam ita in Notitia scriptum habetur: *Rationalis summarum trium prouinciarum, id est Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ.*

Decima & vltima, *Valeria.* hanc prouinciam fuisse suburbicariam, non quod esset sub vicario

vrbis, quo nihil absurdius fingi potest, sed quod suburbana esset, & intra centesimum inclusa, satis abundeque docuimus in Epistola ad amicum. & hæc vna fuit ex quattuor suburbicariis, quarum mentio est leg. 1. Cod. Theod. *de calcis coctoribus*. ex decem igitur prouinciis, quæ sub dispositione vicarij vrbis fuere, tres tantum suburbicarias heic fuisse videmus: Tusciam suburbicariam, Picenum suburbicarium, & Valeriam: quartam, hoc est Latinam regionem capite quinto infra adstruemus. Valeria autem ideo nusquam suburbicaria aut vrbicaria cognominata reperitur, quia nulla erat Valeriæ pars non suburbicaria, vt in Piceno & Tuscia, sed tota ac solida intra centesimum continebatur. Vides nunc, si quid vides, suburbicariarum originem ab institutione vicariorum deduci non posse, nec inde dici quod essent sub vrbis vicariis. Nam ex decem quas regebat, quattuor tantum fuere suburbicariæ.

Quemadmodum autem mirum supra mihi visum est in descriptione prouinciarum Italiæ quæ vicario vrbis parebant, quæque omnes erant tuo iudicio suburbicariæ, vnicam tantum inter illas suburbicarij cognomine notari apud auctorem Notitiæ, sic nunc mirandum in primis deputo, in eadem Notitia, vbi prouinciæ totius Italiæ recensentur, quæ sub dispositione præfecti prætorio Italiæ fuerunt, eamdem distinctionem seruari suburbicarij annonariique Piceni. atque vicarij non prius instituti sunt quam præfectus, sed contra.

certe vicarij, vices præfecti gesserunt. vt pro præfecto fuere, sic post præfectum. ex tribus diœcesibus quas administrabat præfectus prætorio Italiæ, diœcesis vna fuit Italia ipsa. cur igitur in prouinciarum Italiæ denumeratione, cum omnes parerent præfecto præt. Picenum alterum suburbicarium cognominatur, alterum annonarium? ridiculum plane esset a vicariis causam huius arcessere cognominationis. quid enim opus hac distinctione in prouinciis enumerandis quas præfectus administrabat, quum omnes omnino administraret? antiquiorem igitur oportet fuisse cum vicariis, tum præfectis ipsis suburbicariæ annonariæque regionis appellationem. sic autem Notitia recenset Italiæ prouincias quę sub dispositione præfecti prætorio fuere. *Sub dispositione viri illustris præfecti prætorio Italiæ diœceses infra scriptæ. Italiæ, Illyricum, Africa. Prouinciæ Italiæ decem & septem. Venetia, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picenum annonarium, Tuscia & Vmbria, Picenum suburbicarium, Campania, Sicilia, Apulia & Calabria, Lucania & Bruttij, Alpes Cottiæ, Retia prima, Retia secunda, Samnium, Valeria.* agnoscis in hac enumeratione Picenum annonarium & suburbicarium distincte notatum? vnde vero putas hanc manasse distinctionem? dices vt dixisti a vicariis præfecti prætorio: & Picenum suburbicarium appellatum, quod erat sub vrbis vicario, annonarium quod sub vicario Italiæ. cur non & sic ceteras distinxit, vt suburbicarij notam iis adiiceret prouinciis, quas vrbis vicarius regebat,

&

& annonarij, illis quæ regebantur a vicario Italiæ? ita ſane factum oportuit. ſed vt hæc diſtinctio locum habere poſſet, illud etiam fuit neceſſe, quemadmodum ſuburbicariæ omnes dicebantur, quas regebat vicarius vrbis, ſic annonarias omnes appellatas eſſe quas Italiæ vicarius adminiſtrabat. atqui non omnes annonariæ, ſub vicario Italiæ fuere. nam aliquas etiam annonarias ſub ſua poteſtate habuit vicarius vrbis, vt Tuſciam annonariam. ſic nec ſolas ſuburbicarias ſub ſe habuit vicarius vrbis, nec omnes annonarias Italiæ vicarius. aliunde igitur quam ab illis petenda ac deducenda ſuburbicariarum & annonariarum regionum diſtinctio. & quemadmodum annonariæ regionis appellatio longe antiquior Conſtantino, ſic etiam ſuburbicariæ.

Ceterum feſtiuus es ac plane facetus, quum exemplum vel auctorem requiris, qui ſuburbicariarum meminerit ante Conſtantinum. quid? vt nullæ ſuburbicariæ fuerint antequam Conſtantinus imperaret? an ille omnium primus, vt aliquæ vicinæ vrbi, ac ſuburbanæ regiones eſſent & dicerentur, inuenit, & inſtituit? ſi vicinas, ſi finitimas, ſi vrbi adiacentes, ſi ſuburbanas denique fuiſſe aliquas ante Conſtantinum regiones concedis, concede & ſuburbicarias. quid enim aliud ſuburbicariæ, niſi ſuburbanæ? ſane nec vrbicarium idem erit quod vrbanum, niſi ſuburbicarium eſſe idem quod ſuburbanum confitemur. quæris tamen & quiritaris, nos ſine tabulis, ſine teſte, ſine ſuffragio,

ſuburbicarias ante Conſtantinum appellatas affirmare. an neſciebas teſtes illos omnes qui ſuburbana loca, aut ſuburbanas regiones vſpiam nominarunt, teſtimonium quoque pro ſuburbicariis noſtris dixiſſe? ſuburbanarum prouinciarum facere nemo potuit mentionem, quin & ſuburbicariarum faceret. Hi ſunt, ſi quæris, qui ſuburbicariis noſtris ſuffragantur: alios ſi vis quære teſtes, aut alias tabulas, nos iſtis erimus contenti. ſed mirum eſt, cum negare non poſſis annonarias ante Conſtantinum de nomine fuiſſe cognitas, negare velle ſuburbicarias. non ignoras Trebellium meminiſſe annonariæ regionis, & illum vixiſſe ante Conſtantinum. ſi annonaria regio tunc fuit, fuit vtique & ſuburbicaria. Si Trebellij temporibus Italiæ regiones aliquot annonariæ fuere, atque ita ſunt appellatæ, Picenum inter eas iam tunc ſic fuiſſe cognominatum, nullo modo dubitandum eſt. Si Picenum annonarium tum fuit, etiam fuiſſe ſuburbicarium, quis poſſit dubitare? nec enim annonarium dictum eſt, niſi ad diſtinctionem ac diſcrimen ſuburbicarij. idem de Tuſcia annonaria & ſuburbicaria dici poteſt, immo etiam debet. hac apodixi, nulla grammica certior eſt apodixis. tum igitur tibi concedam negare ſuburbicarias ante Conſtantinum fuiſſe, cum de annonariis recte hoc idem a te negari confitebor. ſi non potes iſtud, nec illud poſſe tibi ſperandum eſt. Perſtas adhuc porro & quaſi ſtupidus in hac vna opinione defixus hæres, vt Italia fuerit in duas diuiſa diœceſes. vnde

hoc expiſcatus es? quis auctor tibi fuit huius diuiſionis? Notitia imperij tres tantum aſſignat diœceſes præfecto præt. Italiæ, Italiam ipſam, Illyricum, & Africam. ſic Italia ibi pro vna tantum diœceſi computatur. cur duas facere ex vna tibi libitum eſt? Duo ſane vicarij per Italiam fuere, qui pro præfectis eam adminiſtrarent, vicarius nempe vrbis, & vicarius Italiæ. ſed partes quas regerent, diœceſes fuiſſe dictas, tu primus es, qui nos doces. Hoc nouum aliis videbitur, mihi etiam falſum. Nuſquam enim Italia in duas diœceſes diuiſa, ſiue Eccleſiaſticas velis, ſeu ciuiles. plures ſane tam ſacræ quam ciuiles in ea prouinciæ, duæ diœceſes nuſquam. quod duæ autem diœceſes Eccleſiaſticæ in ea non fuere, magnum argumentum eſt, nec fuiſſe ciuiles. Nam ſi duæ ciuiles fuiſſent, ad earum typum etiam conſtitutæ eſſent Eccleſiaſticæ. id capite inſequenti pluribus exequemur, vbi errorem tuum caſtigabimus, quo ſeptem Italiæ prouincias, quas Italiæ vicarius regebat, Mediolanenſi epiſcopo ſubiicis, prouinciamque facis vnam Eccleſiaſticam, quæ diœceſis erat, vt tu quidem putas, ciuilis. atqui plures in ea ciuili diœceſi prouincias fuiſſe Eccleſiaſticas ibi docebimus. reuera igitur fuerit diœceſis Eccleſiaſtica quam Mediolanenſis epiſcopus moderabatur, ſi quidem verum ſit, omnes illas eum rexiſſe prouincias, quæ ſub vicario Italiæ fuere. ſed hoc falſum. non fuit igitur Eccleſiaſtica illa diœceſis, ac proinde nec ciuilis. ſic Italia ipſa tota, vnica erat ciuilis diœceſis,

nec in duas vnquam diſtributa eſt, vt nobis perſuadere conabaris. Italiæ porro adminiſtrationem ſic inter ſe partitos eſſe vis duos illos vicarios, vt ſuburbicarias omnes rexerit vicarius vrbis, Italiam vero, hoc eſt ſeptem Italiæ prouincias, qui vicarius Italiæ dicebatur, adminiſtrauerit. & quia decem prouincias in ſua regiminis portione habebat vicarius vrbis, totidem fuiſſe ſuburbicarias, ſomniabundus auguraris. atque hæc apta tibi, & concinna partitio videtur. quam concinna ſit, tu videris. falſam eſſe facile ipſe video, & mecum omnes videbunt, qui falli nolent. Nam quî poterit vera videri, quum verum ſit, Tuſciam annonariam, quæ ab vrbicaria diſtinguebatur, fuiſſe quoque ſub vrbis vicario? ſic vicarium vrbis non ſolas vrbicarias, ſed alias etiam in ſua habuiſſe poteſtate neceſſe eſt. quid ad hoc reſpondebis? negares certo ſcio, ſi negare poſſes. magnum heic tibi, & paratum effugium occluſum eſt. quid facias igitur? ſi mihi credis, tacebis. ita effugies. alias fruſtra fugam ſperes, aut ἐξελιγμόν. Sed quod ais, ſi quis ordinem noſtrum ſequatur, fore vt nec vicario Italiæ pareant omnes Italiæ ſuæ prouinciæ, nec vicario vrbis, ſolæ ſuburbicariæ: de vicario vrbis illud quidem verum eſt, non ſolas eum rexiſſe ſuburbicarias. an hoc poteris inficiari? vtramque Tuſciam regebat annonariam & ſuburbicariam. ergo aliquas in ſua poteſtate habuit prouincias, quæ vrbicariæ non erant. de vicario Italiæ falſum eſt, quod argutaris, ex noſtra partitione futurum, vt non

omnes ei ſubiectæ ſint Italiæ ſuæ prouinciæ. quæ prouincia illi ſubtrahitur per noſtram illam diſtributionem? dic ſi potes dicere. dormiebas an vigilans ſomniabas cum hoc ſcriberes? vt video dormienti ſomnia tua tibi imponunt, & vigilans viciſſim ſi quid ſomniaſti, nobis imponere conaris. ſed a te exigere ne mentiaris, poſtulare eſſet, *vt luſu citharœdus abſtineret*. citius deficeret luſciniolum cantio quam Sirmondum mendacium & impoſtura. Si mentior, ipſe Sirmondus eſſe volo.

CAPVT IV.

ITALIAM *cum relatiue ſumitur, pro rerum ac perſonarum varietate ad quas refertur, modo plures, modo pauciores, interdum vnam duntaxat prouinciam, comprehendere. Cum ſimpliciter & abſolute Italiæ nomen ponitur, alias totam Italiam cum vrbicariis regionibus, alias Italiam tantum quæ extra centeſimum poſita eſt, ſignificare. Hoc poſteriore ſenſu Italiam paſſim in Cod. Theod. accipi, cum ab vrbicariis regionibus diſtinguitur. Quo ſenſu* ἁπάσης Ἰταλίας *dixerit Synodus Sardicenſis & Athanaſius, item Hieronymus omnem Italiam in Chronico. Italiæ partem illam, in qua olim Gallia togata, ſpecialiter aliquando Italiam dictam eſſe. Sic appellatam ante Conſtantinum fuiſſe. Hinc vicarium Italiæ dictum qui eam partem Italiæ regendam accepit. De Italia mediterranea & Tranſpadana. Hanc prouinciam Italiæ veteribus dictam. De prouincia Epiſcopi Mediolanenſis. Iterum de ſuburbicariis vt probentur eſſe ſuburbanæ, & centeſimo comprehenſæ. Canalis Italiæ quid ſit.* Τὸ κανάλιον τῆς Ἰταλίας.

DE Italiæ anguſtius ſumptæ finibus ſuperiori capite multa diximus. iterum heic nonnulla dicenda ſunt, & per hanc lineam tecum iterum

mihi ferra ducenda est. ego hinc stabo, tu altrinsecus consistes. sic igitur tandem trahemus. Etsi tibi tenax spiritus atque indomabilis est, peruicaciam tamen tuam si frangere non potero, saltem dabitur fatigare. Persuasit te heic ridicula & stulta opinio, Italiam, vbicunque eius occurrit mentio apud auctores post Constantinum, non plures quam septem prouincias complecti, etiam si tota, etiam si vniuersa Italia dicatur. Huius sententiæ hæc tibi ratio est, quod in administrationis suæ parte plures non haberet, qui vicarius Italiæ vocabatur. longe alia me inuasit persuasio, qui exploratum habeo, huic tuæ opinioni tunc locum tantum esse debere quoties de vicario Italiæ agitur. tunc enim relatiue Italia de septem tantum prouinciis intelligi debet, quia totidem prouincias, nec plures, vicarius Italiæ regebat. quemadmodum e contra, vbicunque fit mentio præfecti prætorio Italiæ, non septem eas solas prouincias Italiæ nomine, sed vniuersam cum vrbe, & vrbicariis regionibus Italiam comprehendi plus quam certum est. quotiescunque vero simpliciter Italia nominatur, nec vlla relatio fit, aut ad præfectum prætorio, aut ad vicarium, tunc Italiam eam solam demum accipi oportet, quæ extra centesimum posita est, & ab vrbicariis regionibus seclusa. Nam vrbicariæ siue suburbicariæ regiones intra centesimum conclusæ, & in vrbico territorio constitutæ quodammodo de vrbe esse existimabantur & ab Italia distinguebantur. Hinc prope infinitis auctorum locis,

qui ante Constantinum, & post Constantinum vixerunt, Italia ea proprie & stricte appellata legitur, quæ a centesimo incipiebat, & ab vrbicaria regione, qua prouinciæ suburbicariæ continebantur, erat distincta. Hoc multis supra testimoniis comprobauimus, & pluribus adhuc infra confirmaturi sumus. Nunc quid nostris rationibus opponas, quid tuis ego reponam obiectationibus, videamus. Italiæ nomen quoties occurrit post Constantinum, nunquam aliter accipiendum putas, nisi de septem prouinciis quas Italiæ vicarius administrabat. id quam falso opineris, ostendam tibi paucis. Comitem Italiæ cum audis, fuit ille post Constantinum, censesne totidem eum prouincias, quot vicarius Italiæ regebat, rexisse? ne a tua opinione recedas hoc censeas necesse est. atqui Italiæ tantum tractus circa Alpes sub eius erat dispositione. Notitiam inspice: *sub dispositione viri spectabilis, comitis Italiæ, tractus Italiæ circa Alpes*. specta sis mihi Italiam ibi angustissima significatione vsurpari, de solo Italiæ tractu circa Alpes: quem tractum qui administrabat, comes Italiæ dictus est. Magister militum præsentalium plures præpositos rei militaris sub se habuit, diuersis Italiæ locis & prouinciis impositos. Duos eiusmodi præfectos Notitia ponit in prouincia Italia: præfectum Sarmatarum Gentilium Apuliæ & Calabriæ: præfectum Sarmatarum Gentilium per Bruttios & Lucaniam. Verba ipsa Notitiæ si cupis noscere, ea heic tibi notabo, vt laborem tuum quærendi subleuem:

item in prouincia Italia.
Præfectus Sarmatarum Gentilium, Apuliæ & Calabriæ.
Præfectus Sarmatarũ Gentilium per Bruttios & Lucaniam.
Vides Apuliam & Calabriam, Bruttios item & Lucaniam in prouincia Italia poni. & tamen suprascriptas prouincias Italiæ tuæ vicarius sub sua dispositione non habebat. Eadem Notitia præposituras Magistri militum præsentalium a parte peditum in Italia ita recenset: *in prouincia Venetia inferiore: in prouincia Flaminia: in prouincia Liguria: in prouincia Campania.* Ergo Campania non minus Italiæ esse censebatur, licet sub vicario Italiæ non esset, quam Venetia, aut Flaminia, aut Liguria, quæ eidem vicario parebant. multi thesaurorum præpositi sub comite sacrarum largitionum per diuersa loca militabant. Ex illorum numero vnum eadem Notitia nouit ac notauit, qui præpositus thesaurorum per Italiam dicebatur. Hic tamen ne totam quidem illam Italiam, quam tuus Italiæ vicarius regebat, administrauit. alius enim erat præpositus thesaurorum Mediolanensium, alius Liguriæ. Liguria igitur, quod ad præposituram thesaurorũ attinet, ab Italia erat seiuncta. sic varie pro rectorum præfectorũque diuersitate accipiebatur Italiæ nomen, modo laxius, modo strictius, modo etiam angustissime de vnica tantum Italiæ prouincia. Hoc ita in ciuilibus administrationibus obtinebat, nec secus in Ecclesiasticis. Cum Mediolanum dicitur Metropolis Italiæ, sic enim apud Theodoretum μητρόπολις τῆς Ιταλίας appellatur, an

totam

totam Italiam dici putabis? qualem quantamque præfectus prætorio administrabat? πολλοῦ γε καὶ δεῖ. immo ne totam quidem eam accipi par est, quæ regebatur ab Italiæ vicario. nec enim illius Italiæ totius metropolita fuit episcopus Mediolanensis, sed Liguriæ tantum, aut Italiæ transpadanæ. siquidem in illa Italiæ prouinciæ parte, quæ vicario Italiæ suberat, tres fuere Metropoles, siue prouinciæ Ecclesiasticæ, Rauennensis, Mediolanensis, & Aquileiensis. Sic Aquileia non minus & Rauenna possent Italiæ dici metropoles, quam Mediolanum. ita & Treuiros μητρόπολιν τῶν Γαλλιῶν idem Theodoretus appellauit, cum tamen omnium Galliarum metropolin fuisse Treuiros nemo dicere possit. Longe igitur aliud est quum Italia relatiue sumitur, relatione facta ad varios præsides & præsules a quibus regebatur; tunc enim pro varietate præsidum, varie etiam accipitur: aliud vero quum simpliciter atque absolute ponitur absque vlla relatione; tunc aut tota Italia cum vrbe, & vrbicariis regionibus designatur, aut certe ea sola Italia intelligitur, quæ extra centesimum erat, & ab vrbicariis regionibus centesimo comprehensis distinguebatur. & in hac vltima significatione sæpenumero positum legitur Italiæ nomen, apud auctores tam qui Constantinum præcesserunt, quam qui posteriores Constantino fuere. Dio lib. LII. πᾶσαν Ἰταλίαν vocat, quæ extra centesimum, cum Italiæ nomine minime donasset eam regionem quæ intra centesimum. Trebellius in Tetrico totam

Italiam dixit, & intellexit, quæ vltra centesimum posita erat, exclusis suburbicariis regionibus, vt in eius loci expositione fuse nobis supra demonstratum est. sic intelligenda est Italiæ appellatio quum ab vrbe distinguitur, vt in illa loquutione quæ pluries occurrit apud auctores, vbi dicitur vrbe & Italia alicui interdictum fuisse. nam cum vrbe vrbicariæ simul regiones, hoc est vrbicum territorium, vel tota vrbicaria regio comprehendebatur. An post Constantinum ita aliquando acceptum sit Italiæ nomen, nunc videndum est. tu negabas, ego aiebam. ita acceptam fuisse vel vnica lex poterat euincere, quam tibi toties opposuimus, cui nihil vnquam reposuisti, nihil respondisti. Nunc tandem aliquid ad eam si potes repone: nam eam heic iterum tibi opponemus. tam sæpe inculcata aliquando fortasse animo tuo insidet, & δυσπιστίαν tuam pertundet. sic igitur habet lex 11. Cod. Theod. *de integri restitutione;* quæ aperte Italiam a centesimo milliario separat & excludit his verbis: *Placuit ad interponendam contestationem in vrbe Roma vsque ad anni tricesimi extremum diem spatia prorogari, & intra centesimum vrbis Romæ milliarium, si tamen ab ijs iudicibus qui Romæ sunt, fuerit iudicandum. Per omnem vero Italiam vsque ad anni vicesimi & noni finem.* En centesimum vrbis milliarium, hoc est spatium illud omne quod centesimo comprehendebatur, ab Italia distinctum! en Italiam omnem a centesimo disclusam! quid est Sirmonde? dic tandem aperte, quid sentis? aperi te quæso, & animum tuum heic

nobis ostende. an omnis Italia heic tibi videtur eas septem tantum significare prouincias, quæ vicario Italiæ tuo parebant? hoc certe non dices, quia tibi dicenti nemo crederet. si omnis igitur Italia in hac lege omnes Italiæ regiones complectitur, exceptis quæ centesimo continebantur, quomodo censes accipiendam *omnem Italiam* in illis legibus vbi Italia omnis ab vrbicariis regionibus separatur? ita enim leg. vnica Cod. Theod. *si per obreptionem*, vrbicariæ regiones ab Italia secernuntur: *sinceritas tua idipsum per omnem Italiam, tum etiam per vrbicarias regiones, ac per omne Illyricum prolata huius oraculi auctoritate firmabit.* & leg. IX. Cod. Theod. *de extraordinariis muneribus: Nos autem non per Italiam tantum, sed etiam per vrbicarias regiones & Siciliam patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires seruandas esse perspeximus.* nempe & in his duabus legibus omnem Italiam de septem Italiæ tantum prouinciis intelligi contendes? atqui iam amplius hoc tibi integrum non est, postquam luce clarius ostendimus, non omnes fuisse vrbicarias quas volebas, sed solas eas quæ centesimo terminabantur. sic *omnis Italia* eodem sensu in his duabus legibus posterioribus & in illa quam priore loco citauimus, accipi omnino debet. Eadem quippe est Italia quæ a centesimo excluditur, eadem quæ ab vrbicariis regionibus distinguitur.

Scribit D. Hieronymus in Chronico, *Post Auxentij mortem Mediolani Ambrosio constituto, omnem ad rectam fidem Italiam conuersam.* tu more tuo, ex

ridicula illa tua opinione, omnem Italiam eo loco de ſeptem Italię prouinciis capiendam autumas. an ſeptem tantum prouinciæ, totam tibi Italiam conſtituent? ſed cur ſeptem prouinciæ ſolæ Mediolani Ambroſio conſtituto ad rectam fidem conuerſæ ſunt? an quia illæ ſolæ ſeptem de fide peruerſe ſentiebant? an quia nihil iuris in alias habebat epiſcopus Mediolanenſis, ideo ſolas eas ſeptem, tanquam ſedi ſuæ ſubiectas ad fidem conuertit? atqui falſiſſimum eſt, quod tu tamen aſſeueraſti, omnes iſtas prouincias ſedi Mediolanenſi fuiſſe ſubiectas. Nam Flaminiæ & Piceni, quæ tamen vna fuit ex illis ſeptem prouinciis, Metropolis erat Rauenna, quæ epiſcopum Mediolanenſem nunquam pro Metropolitano agnouit, quin immo epiſcopus eius αὐτοκεφαλίαν etiam ſibi vindicare auſus eſt aduerſus ſummum Pontificem. Iſtriæ quoque & Venetiæ Metropolis fuit Aquileia, cuius Epiſcopus etiam Patriarcha dictus eſt, tãtum abeſt, vt epiſcopum Mediolanenſem pro ſuperiore aut primate vnquam habuerit. tu vero qui adeo peritum te facis totius antiquitatis Eccleſiaſticæ, imperitiſſime ex illis ſeptem prouinciis, vnam prouinciam Eccleſiaſticam conſtituiſti quæ Mediolanenſi epiſcopo pareret. Igitur ſi nihil iuris in ſupra dictas prouincias habuit Mediolanenſis epiſcopus, cur eas ad fidem conuertiſſe dicitur Ambroſius poſtquam Mediolani epiſcopus eſt conſtitutus? ſi autem aliquas conuertit, quæ ſuæ ſedi ſubiectæ non erant, cur non & ceteras pariter ad

fidem potuit conuertiſſe prouincias Italiæ, generali ſignificatione ſumptæ? Maximam fuiſſe illa tempeſtate non ſolum per omnem Italiam, ſed etiam per totum Occidentem Ambroſij auctoritatem, ſciunt qui hiſtoriam illorum temporum lectitarunt. Seuerus Sulpitius lib. II. de Priſcillianiſtis loquens: *Regreſſi Mediolanum æque aduerſantem ſibi Ambroſium repererunt. tum vertere conſilia, vt quia duobus epiſcopis quorum ea tempeſtate ſumma auctoritas fuit, non illuſerant, largiendo & ambiendo ab imperatore cupita extorquerent.* De Damaſo & Ambroſio loquitur. Hac igitur ſumma auctoritate Ambroſius, poſtquam epiſcopus Mediolani cõſtitutus eſt, non ſolum hæreticos per prouincias ſibi ſubditas, ſed etiam ſi qui per omnem Italiam a fide deuij fuere, potuit ad rectam viam reducere, & diſcipulos in gregem compellere. Hoc ſenſu Hieronymus in Chronico dixit, Ambroſio Mediolani conſtituto, omnem Italiam ad fidem fuiſſe conuerſam. Hoc eodem ſenſu ſcribit idem epiſt. LXXI. per Theophili Alexandrini epiſtolas poſt Chriſtum Romam & totam Italiam fuiſſe liberatam. ſi totam Italiam ibi de ſeptem tantum Italiæ prouinciis accipiendam putabis, ita etiam omnem Italiam in Chronico tibi licebit interpretari.

Vt firmares Italiam poſt Conſtantinum non plures quam ſeptem prouincias complexam fuiſſe, nec vnquam aliter apud auctores illorum temporum Italiæ nomen accipi debere, Synodi Sardicenſis Epiſtolam in Cenſura produxeras, quæ ab

Italia, vt putaſti, hoc ſenſu Campaniam & Calabriam Apuliamque ſecludit. nihil illam Epiſtolam tuæ ſententiæ fauere, dilucide & aperte, niſi clauſos oculos cæcos habuiſſes, Epiſtola ad amicum tibi oſtenderat. ſed turbatæ & emotæ mentis hominibus omnia perturbata videri, non mirum eſt. ſic arquatis, etiam quæ lutea non ſunt, lutea videntur. Vter vero noſtrum prouincias cum diœceſibus confuderit, & ab Eccleſiaſticis ciuilia non diſtinxerit, ex his quæ iam dicturi ſumus apparebit. nonne tu, vt nunc alia omittam, quæ mox prodentur, ex ſeptem Italiæ prouinciis, quam diœceſin ciuilem conſtituebas, vnam prouinciam Eccleſiaſticam feciſti? Mediolanenſi epiſcopo tres prouincias Eccleſiaſticas, hoc eſt tres metropoles ſubieciſti? & quum diœceſin multarum prouinciarum complexionem eſſe exponeres, hanc tamen diœceſin negauiſti, quæ tamen tres prouincias complectebatur? Tu, inquam, ex tribus ſacris prouinciis Rauennenſi, Mediolanenſi & Aquileienſi, vnicam prouinciam conflauiſti, quæ vni epiſcopo Mediolanenſi pareret. Parum hoc fuit; tu ex toto Occidente multas diœceſes complexo, prouinciam vnam vt faceres, ita prouinciam interpretatus es, in verſione veteri ſexti Niceni canonis, quam ex Vaticana Bibliotheca promſiſti. i nunc, & argue nos prouincias cum diœceſibus confudiſſe, aut ciuilia cum Eccleſiaſticis miſcuiſſe. Sed verba Synodi videamus quibus illam tuam ſeptem prouinciarum Italiam adſtruebas. ἡ ἁγία σύνοδος συνα-

ἀρθεῖσα ἀπὸ Ρώμης καὶ Ιταλίας, Καμπανίας, Καλαβρείας καὶ Απουλίας. tu his verbis ab Italia ſecludi Campaniam, Calabriam & Apuliam, affirmabas. ego id negaui, quia nulla poſt Italiam interiecta eſſet diſtinctio: alioquin ita loqui debuiſſe patres illos, ſi idem quod tu intellexiſſent, & ab Italia prouincias illas ſeparare voluiſſent: ἀπὸ Ρώμης, καὶ Ιταλίας, καὶ Καμπανίας, καὶ Καλαβρείας, καὶ Απουλίας. quod ſi ita ſcripſiſſent, haud dubitarem nunc tuæ ſententiæ ſubſcribere. ſed cum nulla addita diſiunctiua particula, poſt Italiam ſtatim ſubiunxerint ſupraſcriptarum prouinciarum nomina, patet non vt eas ab Italia diſtinguerent, ita loquutos eſſe, ſed Italia nominata, aliquot etiam notiores Italiæ prouincias, ex quibus epiſcopi ad Concilium conuenerant, nominatim enumeraſſe. Hoc idem fecit Athanaſius in Epiſtola ad ſolitarios his verbis: ἀπό τε μεγάλης Ρώμης καὶ τῆς Ιταλίας πάσης, Καλαβρείας τε καὶ Απουλίας, καὶ Καμπανίας Βρεττίας τε. quid heic habes quod argutetis? an πάσης Ιταλίας nomine ſeptem tantum Italiæ prouincias comprehenſas dices? hoc vt efficeres, vt verba illa ad ſenſum tuum torqueres, ita locum verteras: *e magna Roma Italiaque vniuerſa, ex Calabria, Apulia, Campania, Bruttijſque.* Imperitiſſime, & contra Græcæ loquutionis fidem. quod enim dixit Athanaſius Καλαβρείας τε καὶ Απουλίας, non Apuliam & Calabriam ab Italia ſeiunxit, ſed eas inuicem coniunxit. Calabria ſiquidem & Apulia ſimul iunctæ prouinciam vnam faciebant. ſed quomodo accipiendus & vertendus ille locus Athanaſij fue-

rit, docuimus in Epiſtola. vbi oſtendimus ſic etiam Trebellium in Tetrico loquutum. cum enim Italiam totam dixiſſet, ſeiunctis nominatim & recenſitis aliquot notioribus Italiæ prouinciis, vt Campania, Apulia & Calabria, & Samnio Lucaniaque, reliquas præteriit, & annonariæ regionis clauſula complexus eſt. ſane quin per πᾶσαν Ἰταλίαν, vniuerſam Italiam intellexerit Athanaſius, qui dubitare poteſt, imperitus eſt. ita enim paſſim apud eumdem Italiæ nomen poſitum legitur, non de ſeptem prouinciis, ſed de tota Italia. Epiſtola ad epiſcopos Africanos: ἱκανὰ μὲν τὰ γραφέντα παρά τε τοῦ ἀγαπητοῦ καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Δαμάσου τοῦ ἐπισκόπου τῆς Ῥώμης, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ τοσούτων συνελθόντων ἐπισκόπων· οὐδὲν δὲ ἧττον καὶ τὰ τῶν ἄλλων γενομένων συνόδων, ἔν τε τῇ Γαλλίᾳ καὶ τῇ Ἰταλίᾳ περὶ τῆς ὑγιαινούσης πίστεως. an & ibi Italiam de ſeptem tantum Italiæ prouinciis intelligemus? & in Apologia ſecunda, pag. DCXXV. καὶ ἐπεὶ καὶ ὅσιος ὁ μέγας ἐστὶ, καὶ οἱ τῆς Ἰταλίας, καὶ οἱ τῶν Γαλλιῶν, καὶ ἄλλοι ἀπὸ Σπανιῶν, καὶ ἀπ᾽ Αἰγύπτου καὶ Λιβύης, καὶ οἱ τῆς Πενταπόλεως πάντες. nec alio ſenſu ἅπασα Ἰταλία in Epiſtola Conſtantini apud Euſebium lib. III. de vita eiuſdem: ἵν᾽ ὅπερ δ᾽ ἂν κατὰ τὴν Ῥωμαίων πόλιν τε καὶ Ἀφρικὴν, Ἰταλίαν τε ἅπασαν, Αἴγυπτον, Σπανίας, Γαλλίας, Βρεττανίας, Λιβύας, ὅλην Ἑλλάδα, Ἀσιανήν τε διοίκησιν καὶ Ποντικὴν καὶ Κιλικίαν μιᾷ καὶ συμφώνῳ φυλάττεται γνώμῃ. nec aliter apud Gelaſium in actis Concilij Niceni: ὅστις ἐπίσκοπος πόλεως Κορδούβης τοῖς κατὰ Ῥώμην καὶ Σπανίαν καὶ Ἰταλίαν πᾶσαν καὶ ταῖς ἐν λοιποῖς ἔθνεσιν ἐκκλησίαις. an alia mente nomen Italiæ heic & in

Athanaſio

Athanaſio tibi poſitum videtur, quam in Edicto Aureliani apud Euſebium lib. VII. ca. XXIV. vbi hæc verba leguntur? Βασιλεὺς ὁ Αὐρηλιανὸς τούτοις νέμειν προστάττων τὸν οἶκον οἷς οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. tibi videatur quod libet, mihi non ita videtur, nec eſſe quemquam adeo ſtupidum arbitror, quin mihi aſſentiatur Ἰταλίαν ἅπασαν, vt apud Athanaſium habetur, & *Italiam omnem*, vt apud Hieronymum eſt, non ſeptem Italiæ prouincias ſignificare, ſed vniuerſam, quæ omnes Italiæ regiones comprehendat. Italia etiam ſic accipienda in Epiſtola Latina Synodi Sardicenſis ad Iulium vrbis Romæ epiſcopum, quæ inter Hilarij fragmenta edita eſt. ita igitur habet: *Tua autem excellens prudentia diſponere debet vt per tua ſcripta qui in Sicilia, qui in Sardinia, qui in Italia ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt, & quæ definita cognoſcant, & ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, id eſt Epiſtolia, quos iuſta ſententia degradauit.* vellem ſcire vtrum putes heic Italiam de ſeptem tantum prouinciis intelligi debere. ſed quum nulla ibi mentio fiat Campaniæ, Calabriæ & Apuliæ, cui dubium eſt quin omnes illæ regiones Italiæ nomine intelligendæ veniant? Igitur ex his omnibus quæ in medium attulimus exemplis conſtat, quotieſcunque in ſcriptis veterum etiam poſt Conſtantinum, Italiæ ſimpliciter facta mentio reperitur, de omni Italia non de Italiæ parte accipi oportere, & multo magis, cum *omnis* adiunctum occurrit, aut *tota*, aut *vniuerſa*. quis enim tam

rudis aut hebes eſt, qui totam Italiam de parte tantum Italiæ putet accipiendam? talem te eſſe non ego ſum qui dico, ſed ipſe de te αὐτοβοεὶ clamas.

Hæc cum ita ſint, minime tamen inficiandum eſt, quin ea pars Italiæ in qua olim Gallia togata, proprie & peculiariter Italia appellata fuerit. Verum eam Italiæ appellationem a Conſtantini temporibus primum cœpiſſe, aut ab Italiæ vicariis originem ſumpſiſſe, hoc eſt quod tuto inficiari poſſumus. immo vicarius ille qui partem eam Italiæ regendam accepit, ideo vicarius Italiæ dictus eſt, quod illis regionibus, vt proprium ac peculiare hoc Italiæ nomen hæſerit. longe quippe ante Conſtantini tempora, Plinij etiam æuo, regionibus Ciſpadum & Tranſpadum, Italiæ nomen attributum eſt. Plinius vndecimam Italiæ regionem, *Italiam Tranſpadanam* vocat, totamque in Mediterraneo collocat. Hæc regio Tranſpadana, & prouincia Tranſpadana, & Italia etiam Tranſpadana paſſim in veteribus inſcriptionibus appellatur. Hæc correctorem etiam habuit, qui corrector Italiæ Tranſpadanæ dicitur in veteri inſcriptione Romana.

CORR. ITALIÆ TRANSPADANÆ.

CORR. CAMPANIÆ.

In hac Italia ſitum erat Mediolanum: hinc apud Athanaſium ac Theodoretum legimus Mediolanum μητρόπολιν τῆς Ἰταλίας appellatum. De hac Italia Tranſpadana intelligere debemus. Hæc ſola pro-

uincia Transpadana Mediolanensi episcopo parebat. & de ista prouincia Italia accipienda est subscriptio in Arelatensi prima Synodo: *Ex prouincia Italiæ, ciuitate Mediolanensi, Merocles episcopus.* & in his Ambrosij verbis ex Epistola ad Episcopos Italiæ de sanctis Vitale & Agricola: *passi sunt in ciuitate Bononiæ, prouincia Italiæ*: tu qui de tota ea Italia quæ vicario Italiæ suberat, capiendum duxisti, magnopere te traduxisti. Cispadana porro regio, etiam Cispadana Italia dicebatur, & tota Italia Mediterranea quæ in Cispadanam & Transpadanam diuidebatur. Hæc prouincia Italia proprie dicta est, & absolute Italia. Notitia præposituras militares in prouincia Italia Mediterranea percensens, oppida eius hæc nominat. Forum Fuluij, Opitergium, Patauium, Veronam, Cremonam, Augustam Taurinorum, Dertonam, Nouariam, Vercellas, Bononiam, Pollentiam, quæ oppida omnia, partim Liguriæ, partim Æmiliæ & Venetiæ fuere. Inde illæ subscriptiones episcoporum qui Synodo Sardicensi adfuerunt:

Lucius ab Italia de Verona.
Fortunatianus ab Italia de Aquileia.
Seuerus ab Italia de Rauennensi.
Vrsacius ab Italia de Brixia.
Protasius ab Italia de Mediolano.

Nam omnes supra scriptæ vrbes in illa Italia Mediterranea, quæ & Italia proprie dicebatur, erant sitæ. ab ea Italia non solum Campania & Apulia distinctæ, sed & cæteræ Italiæ regiones, vt eiusdem

Synodi Sardicensis subscriptiones Episcoporum ostendunt, quæ ita habent:

Maximus a Tuscia de Luca.
Vincentius a Campania de Capua.
Ianuarius a Campania de Beneuento.
Stercorius ab Apulia de Canusio.
Calepodius a Campania.

Sed longe clarius id ostendit Athanasius initio Apologiæ secundæ, vbi omnes nominatim prouincias percenset, ex quibus Episcopi ad Synodum Sardicensem conuenerunt: τοῖς δὲ κριθεῖσιν ὑπὸ τῶν τοσούτων συνεψηφίσαντο μὲν ἐπίσκοποι πλείους τριακοσίων, ἐξ ἐπαρχιῶν Αἰγύπτου, Λιβύης καὶ Πενταπόλεως, Παλαιστίνης, Ισαυρίας, Κύπρου, Παμφυλίας, Λυκίας, Γαλατίας, Δακίας, Μυσίας, Θρᾴκης, Δαρδανίας, Μακεδονίας, Ηπείρου, Θετταλίας, Αχαΐας, Κρήτης, Δαλματίας, Σισκίας, Παννονιῶν, Νωρικοῦ, Ιταλίας, Πικηνοῦ, Τυσκίας, Καμπανίας, Καλαβρίας, Απουλίας, Βρεττίας, Σικελίας, Αφρικῆς πάσης, Σαρδινίας, Σπανίας, Γαλλιῶν, Βρεττανιῶν. quinque & triginta heic in totum enumeratæ sunt prouinciæ. ex totidem numero prouinciis Synodum fuisse congregatam scribit idem in epistola ad solitarios his verbis: ἡ δὲ ἁγία σύνοδος ἡ ἀπὸ λέ καὶ πλέον ἐπαρχιῶν συναχθεῖσα, ἐπιγνοῦσα τὴν τῶν Αρειανῶν κακοήθειαν ἐδέξατο τοὺς περὶ Αθανάσιον εἰς ἀπολογίαν. in illis igitur triginta quinque prouinciis recensendis, Italiam pro vna computauit, & a Piceno, Tuscia, Campania, Calabria, Apulia & Bruttiis separauit. bono etiam ordine vsus est. nam a Pannoniis & Norico, Italiam quia vicinior erat, primam nominauit, deinde ab illa

Italia, Tuſciam & Picenum, Italiæ proximas, inde Campaniam, Calabriam, Apuliam, & Bruttios, & Siciliam, ac ſic totam ordine Italiam peruaſit ab Alpibus ad Siciliam vſque. Non ſolum autem Campaniam & Calabriam, & Apuliam & Bruttios ab Italia diſtinxit, ſed etiam Tuſciam, & Picenum. vt hinc etiam ſcias Italiam eam quam Athanaſius nominat, non fuiſſe omnino eamdem quæ vicario Italiæ parebat, nec inde nomen habuiſſe, ſed eam quam diximus Italiam prouinciam Mediterraneam. Picenum enim etiam erat ſub diſpoſitione vicarij Italiæ, at non erat in Italia Mediterranea: ideo ab Italia illud diſcernit Athanaſius, vt & Tuſciam. quod non feciſſet, ſi Italia tota illa fuiſſet dicta quam vicarius Italiæ adminiſtrabat. quippe conſtat eum cum Flaminia Picenum quoque adminiſtraſſe. non igitur ea pars Italiæ, proprie Italia denominata eſt, poſtquam vicarius eam regendam ſuſcepit, ſed quum antea iam ſic vocaretur, ideo vicarius ipſe Italiæ dictus eſt, quia partem illam adminiſtrandam accepit, quæ Italia proprie vocabatur. Anaſtaſius Bibliothecarius prouinciam Italiæ eam vocat, & a Tuſcia Campaniaque diſtinguit. ſic enim in Stephano quarto: *Protinus antedictus Stephanus Papa aggregans diuerſos Epiſcopos Tuſciæ atque Campaniæ, & aliquantos iſtius Italiæ prouinciæ.* idem in Zacharia: *Hic inuenit totam Italiæ prouinciam valde turbatam & Romanum ducatum.* & in Stephano tertio: *& de iniquitatis filij morſibus Romanam hanc vrbem, vel cunctam Italiæ prouinciam liberauit.*

Nunc tu mihi non leuiter pro non leui errore atque imperitia tua castigandus occurris, qui totam eam Italiam, quanta qualisque fuit sub Italiæ vicarij dispositione, vnam Ecclesiasticam fuisse censes, quæ episcopo Mediolanensi soli, quasi Metropolitæ suo subesset. Hoc tu ille magnus sacræ vindex antiquitatis,& veterum conciliorum promus condus, nec solum in Censura tua, sed etiam nuper in Aduentoria contendere ausus es, septem nimirum illis prouinciis, quæ diœcesin vicarij Italiæ constituebant,vnicam Ecclesiasticam hoc est Mediolanensem, prouinciam contineri? Hoc scribere sustinuisti? φεῦ ἀμαθίας καὶ θράσους! Ducæum Frontonem tuum heic appello qui te super omnes miratur. miratione etiam dignum heic inuenerit, sed multo magis miseratione. vnicam Italiæ fuisse diœcesin sub præfecto prætorio supra docuimus, ex decem & septem prouinciis constantem. Hanc in duas partes diuisam ita duo vicarij pro prçfecto administrabãt,vt vicarius vrbis decem,vicarius Italiæ septem prouincias sumpserit gubernandas. quemadmodum autem in ea parte quæ regenda cessit vicario vrbis, plures erant Ecclesiasticæ prouinciæ,vt Romana, Capuana, Sicula, Sardiniensis, Calabra, &c. sic etiam in altera parte quam vicarius Italiæ regebat, plures fuere: tres enim fuisse liquet, Rauennensem, Mediolanensem, & Aquileiensem. Tu vero septem illarum prouinciarum vnicam metropolin fuisse Mediolanum, & vnicum illis Metropolitam præfuisse

Mediolanensem episcopum asseueras. at tantum abest, vt solus ille in illa Italiæ parte fuerit metropolitanus, vt etiam legamus Rauennensem & Aquileiensem in Conciliis primo loco subscripsisse, & Mediolanensi prælatos esse. Maxima siquidem post Romanum Pontificem auctoritas Aquileiensis episcopi fuit, qui & Patriarcha dicebatur, & secundum a Pontifice locum facile obtinebat, vt tertium Rauennensis. sic quarto tantum loco, post Aquileiensem & Rauennensem sedebat episcopus Mediolanensis. hinc in concilio Romano quod sub Iulio celebratum est, hunc ordinem tenuere metropolitæ: *Benedictus Aquileiensis, Rufus Carthaginiensis, Agapitus Rauennas, Iulius Mediolanensis.* in Concilio Aquileiensi sub Damaso, primo loco sedit, Valerianus Aquileiensis, deinde Ambrosius Mediolanensis. Peramplam sane olim & multo ampliorem quam nunc est fuisse constat prouinciam Mediolanensem, sed ita nunquam, vt Rauennensem ecclesiam, aut Aquileiensem iure metropolitico sedi suæ subiectas habuerit. Ciuitates porro Mediolanensi olim Archiepiscopo subditas, lubet heic subiicere ex veteri Notitia Bibliothecæ Thuanæ, quæ Italiæ metropoles hoc ordine recenset, vt Mediolanensem vltimo loco ponat, & Romanam primo, quam in Tuscia collocat. *In prouincia Etruria siue Tuscia, ciuitas Romensium, metropolis. In prouincia Capuensi, ciuitas Capuensis, metropolis. In prouincia Flaminiensi, ciuitas Rauennensium, metropolis. In prouincia Venetiensi & Histriensi, ciuitas Aquileien-*

sium, metropolis: ipsa est Forum Iulij. In prouincia Ticinensi seu Liguriensi, ciuitas Mediolanensium metropolis: ciuitas Vigintimiliensium, ciuitas Albingensium, ciuitas Vadis, ciuitas Genua, ciuitas Dertona, ciuitas Eporedia, ciuitas Taurinis, ciuitas Alba, ciuitas Astensis, ciuitas Aquis, ciuitas Vercellis, ciuitas Nouaria, ciuitas Cremona, ciuitas Bergomo, ciuitas Laude, ciuitas Regium, ciuitas Parma, ciuitas Brixia, ciuitas Curia. Hæ ciuitates omnes metropoli Mediolanensi olim fuere subditæ, partim in Æmilia Liguriaque, partim in Rhætiis, partim in Alpibus sitæ.

Stolidus igitur ipse es cum stolide sciscitari me dicis de Campania & Apulia & Calabria, cuius sint prouinciæ, Italiæne an Romanæ. An non hoc me sciscitari oportuit? cum enim Italiam in duas diœceses diuisisses, in Romanam vel vrbanam, quæ vrbis vicario cesserat, & Italiam quæ vicario Italiæ attributa erat, de Italiæ autem diœcesi vnicam prouinciam Ecclesiasticam constituisses, episcopo Mediolanensi subiectam, quid restabat, nisi vt ex altera quoque diœcesi quam vicarius vrbis regebat, vnicam faceres prouinciam, quæ vrbis episcopo tanquam primati suo pareret? sane cum ex tua sententia de vicariana Italiæ diœcesi vnica prouincia Mediolanensis conflata esset, cur non & eodem modo, altera vicariana vrbis, & vrbicariarum, vt putabas, regionum administratio suam quoque, & vnicam non peperit, ac formauit ecclesiasticam prouinciam? & quoniam septem illæ prouinciæ quas vicarius Italiæ administrabat, vni

episcopo

episcopo Mediolanensi erant subiectæ, cur non, & illæ omnes, quas vicarius vrbis regebat, Romano episcopo immediate, vt primati seu metropolitano, non sunt assignatæ? Si vero omnes vrbicariæ regiones, quæ vicario vrbis parebant, prouinciæ Romanæ adscriptæ non sunt, nec Romano episcopo subditæ, cur eas omnes, quæ sub vicario Italiæ fuere, vni episcopo Mediolanensi gubernandas assignasti? cum Ecclesiasticas prouincias & administrationes ad ciuilium formam constitutas esse tibi non placeat; qua de causa, in episcopi Mediolanensis prouincia ita obtinuisse censes, in Romana non obtinuisse? ante vicariorum vrbis & Italiæ institutionem, nulline per Italiam episcopi fuere constituti? nulline episcopi in subiacentibus & vicinis vrbi regionibus extitere? Romana Ecclesiastica prouincia fuit nulla, cuius curam ageret episcopus Romanus? an Mediolanensis, Rauennensis, Aquileiensis, vt de ceteris taceam, metropolitæ tunc nondum erant? qui sunt igitur illi episcopi per vrbem & Italiam qui in edicto Aureliani memorantur apud Eusebium lib. VII. hist. Eccles. cap. XXIV. Βασιλεὺς ὁ Αὐρηλιανὸς τούτοις νέμειν προστάττει τὸν οἶκον οἷς οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. isti qui per vrbem Romam & Italiam episcopi heic nominantur, quam ad formam erant constituti? vrbis Romæ episcopus quam prouinciam tunc habebat? sub quibus metropolitanis reliqui illi per Italiam episcopi? *Nondum*, inquis, *Italia in duas diœceses erat*

diuiſa. nunquid & nondum Eccleſiaſtici regiminis erat forma conſtituta? Hæc tua videtur eſſe ſententia. Poſtquam igitur ex tota Italia duæ diœceſes ciuiles factæ ſunt, quæ a duobus vicariis regerentur, ſtabilita tandem etiam eſt Eccleſiaſticæ gubernationis forma. ſic diœceſis Italiæ, epiſcopo Mediolanenſi tota ſubiecta eſt. cur hæc eadem forma in epiſcopo Romano obſeruata non eſt, nec ille itidem alteram diœceſin totam gubernandam accepit, quæ a vicario vrbis regebatur, quemadmodum Mediolanenſis Italiam omnem, quæ vicario Italiæ ſuberat, vt prouinciam ſuam iure metropolitæ adminiſtrabat? cur denique in diœceſi vrbicariarum regionum plures fuere Eccleſiaſticæ prouinciæ, quarum fuit vna Romana; per Italiæ vero diœceſin vnica conſtituta eſt, eaque Mediolanenſis? Profecto ſi Mediolanenſis epiſcopus totidem illas ſub ſe prouincias habuit, quas ſub ſua diſpoſitione habebat vicarius Italiæ, oportet prouinciam Mediolanenſem, ad typum vicarianæ diœceſis fuiſſe formatam: ſiquidem prouincia illa Eccleſiaſtica, ex totidem prouinciis ciuilibus conſtabat, quot vicarij Italiæ diœceſis. ſin autem Mediolanenſis prouincia, ante quam vlli inſtituerentur vicarij, iam conſtituta erat, & totidem prouincias ciuiles complectebatur, quot vicario Italiæ poſtea adminiſtrandæ ſunt attributæ; ſequitur neceſſario, Italiam proprie ac peculiariter iam tum fuiſſe appellatam illam Italiæ partem, quæ Galliæ togatæ olim nomine cenſebatur, antequam vlli

vicarij per vrbem Italiamque essent instituti. at volebas Italiam eam sic proprie vocari cœpisse, ex quo vicarius Italiæ creatus est. sic quocunque te vertes, non habebis quo te vertas. primum constat Mediolanensem prouinciam, non omnes ciuiles prouincias complexam fuisse quas vicariana Italiæ præfectura complectebatur, vt nec Românam prouinciam omnes sub sua metropoli prouincias habuisse, quas vicariana vrbis potestas sub sua dispositione habebat. nihil igitur in forma Ecclesiastici per Italiam regiminis, ex vicariorum institutione immutatum est. nihil ad ciuilis eorumdem administrationis exemplum typumque constitutum est. Deinde certum etiam & exploratum est, vrbicariarum regionum appellatio quemadmodum a vicariis vrbis originem non sumpsit, sic nec Italiæ angustius sumptæ appellationem ab Italiæ vicariis manasse aut initium cepisse. nam multo ante quam vrbis & Italiæ vicarij instituerentur, vrbicariæ & suburbicariæ regiones dicebantur, quæ in vrbico territorio sitæ, centesimo lapide terminabantur, quæque ad iurisdictionem præfecturæ vrbicæ pertinebant. ideo etiam suburbicariæ appellatæ, quia nullæ magis essent suburbanæ. Italia etiam vocabatur pars illa Italiæ Mediterranea, Cispadana Transpadanaque, quam olim Gallia togata occupabat. creatis igitur & institutis a Constantino præfectis prætorio Italiæ, qui tres diœceses regerent, Italiam, Illyricum & Africam, Italiæ diœcesis duobus vicariis pro præfecto re-

genda data eſt. Horum vnus qui Italiam Mediterraneam ſumpſit adminiſtrandam, vicarius Italiæ dictus eſt: alter qui vicarius vrbis eſt appellatus, cum vrbe & vrbicariis regionibus, quæ numero paucæ fuere, vt centeſimo comprehenſæ, reliquas Italiæ prouincias, & in his Siciliam, Corſicam & Sardiniam adminiſtrationi ſuæ commiſſas rexit. quemadmodum autem Romana prouincia quæ ſuburbicariis eccleſiis a Ruffino circumſcribitur, & ſuburbicariis locis a Vaticano interprete determinatur, non omnes ſub ſe prouincias habebat, quæ vicario vrbis parebant, (nec enim ſuburbicariæ omnes dicebantur, quæ ſub vicario vrbis erant) ita nec Mediolanenſis epiſcopus omnes eas prouincias ſedi ſuæ ſubiectas habuit, quæ vicarij Italiæ diſpoſitioni ſubiacebant.

Suburbicarias porro vrbicariaſque regiones, eas ſolas fuiſſe dictas quæ ſuburbanæ eſſent, quæque in vrbicario territorio conſtitutæ centeſimo ab vrbe lapide continerentur, etſi iam in ſuperioribus ſatis abundeque probatum eſt, nunc etiam alio argumento vincam, quod ἄῤῥηκτον eſſe, & ἀναντίῤῥητον, niſi fateris ipſe, omnes æqui bonique fatebuntur. Valentinianus Vrſicinum relegarat, exiliumque eius vno intra Gallias loco circumſcripſerat: mox liberiore indulto exilio, & inde abſcedendi facta copia, quocumque vellet etiam euagandi, ſub ea conditione poteſtatem dedit, ne in vrbem vel ſuburbicarias regiones pedem inferret. verba reſcripti, vt apud Baronium legitur anno

Christi CCCLXXVII. ita habent: *Dudum Vrsicini inquietudine prouocati, fauentes concordiæ populi Christiani, quinetiam vrbi sacratissimæ prouidentes, vno interim loco, intra Gallias dumtaxat, perturbatorem tranquillitatis publicæ statueramus iure cohiberi, scilicet ne applicatione morum late dissensionis incommodum spargeretur. verum naturæ nostræ mansuetudine leuigati, ita memorato abscedendi copiam, ne ad vrbem Romam vel certe suburbicarias regiones pedem inferat, neque nequitiæ suæ contagionem conetur infundere.* Datum est hoc rescriptum ad Ampelium præfectum vrbi. eodem porro exemplo etiam rescripserunt iidem imperatores ad Maximinum vicarium vrbis, hoc modo inter alia: *ex quo oritur vt Vrsicino quem propter quietem populi Christiani, & debitam religioni ac legibus disciplinam, vno interim loco morari intra Gallias iusseramus, discedendi copiam fecerimus sub ea conditione, ne vagandi arbitrium præberemus, neue ad vrbem Romam vel regiones suburbicarias valeat commanere.* Nunc te mihi da, Sirmonde, tantisper, & adesdum, quæso te, vt hanc rem pensitatius mecum consideres. suburbicariæ tibi sunt regiones Sicilia, Corsica, & Sardinia, nimirum quia sub vicario vrbis essent: at Picenum & Flaminia ideo tibi inter suburbicarias non computantur, quia vicario Italiæ parebant. Sicilia quingentis aliquot millibus passuum plus minus ab vrbe distabat, transmarina erat, extra Italiam posita erat. longius etiam ab vrbe & Italia summotæ, & magis etiam transmarinæ Corsica Sardiniaque; Picenum vero cum Flaminia, etsi extra cen-

tesimum situm, tamen ad centesimum erat positum, tamen intra Italiam,& centum tantummodo millibus passuum ab vrbe dissitum. Tuam fidem Sirmonde, an ratione tibi videtur vsus Imperator, vt Vrsicinum intra Gallias relegatum ab ea parte Italiæ qua Romam e Gallia venientibus iter est, qua facilis ad vrbem & suburbicarias regiones accessus datur, non solum Italiam ingredi permiserit, sed etiam regiones prope centesimum positas, ab altero vero Italiæ latere, vnde minime verendum erat, ne ad vrbem accederet, ita longe submoueri voluerit, vt non tantum Italiæ ab ea parte ingressu, sed etiam Siciliæ, Corsicæ, Sardiniæque accessu prohibuerit? hoc tu verisimile credis? hoc credibile censes? an potes aliquam rationem edere, aliquid causæ dicere, cur Imperator Vrsicinum ab vna parte tam longe ab vrbe repulerit, ab altera tam prope accedere passus sit? Certe qui Vrsicino liberam vagandi potestatem ita dederat, ne ad vrbem aut suburbicarias regiones accederet, Picenum & Flaminiam accedere non prohibuit, quia suburbicariæ non erant; Siciliam vero & Corsicam & Sardiniam intrare vetuit, quia tuo iudicio suburbicariæ fuere. quid absurdius autem dici vel fingi potest? vt Asculi vrbis ingressus per illud edictum Valentiniani, Vrsicino patuerit, quæ vrbs in Piceno annonario sita, ad centesimi fines erat posita; Sardiniæ vero & Corsicæ Siciliæque aditus fuerit interdictus, quæ prouinciæ tot centum millibus ab vrbe distabant, & mari etiam interiecto ab Italia

diuidebantur? ideo Vrſicinum & eiuſdem erroris conſortes non ſolum vrbis, ſed etiam ſuburbicariarum regionum aditu ſe prohibuiſſe refert Imperator in eo reſcripto, ne ex vicinitate hominum inquietorum turbæ in vrbe mouerentur, & populus ad vociferationes & tumultus excitaretur. *ſic enim*, inquit, *manſuetudinis noſtræ indulgentiam te nperemus, ne occaſione præſtita vicinitate inquietorum ad aliquam forſitan vociferationem religioſi populi ſtudia prouocentur.* cur igitur eos ab vna parte vrbis non longius quam vltra centeſimum ab vrbe ſummouit, ab altera vero, vltra quingenta aliquot milliaria ſummotos, nec Italiam ſolum intrare vetitos, ſed etiam prouinciarum aliquot tranſmarinarum, & extra Italiam poſitarum acceſſu prohibitos, exulare voluit? an vicinitas eorum ex illa parte magis vrbi nocere poterat, quam ex alia? immo minus. nec enim e Galliis intra quas primo relegati fuerant Romam tendentibus iter per Siciliam eſt, ſed per illam alteram partem. ea parte tamen non longius ab vrbe pelluntur quam vt ne centeſimi fines ingrediantur. ſi nulla ratio eſt quare longius hinc quam illinc ab vrbe pelli ſummouerique debuerint, neceſſe eſt, certum aliquod ſpatium extra vrbem quaſi circino ductum accipiamus, intra quod ſpatium ingredi & conſiſtere edicto ſuo vetuerit Vrſicinum Valentinianus. ita moris etiam hodie eſt principibus, cum alicui aula ſua vel Regia vrbe interdicunt, ſic abeſſe iubere, vt dicis gratia, decem leugis propius, aut viginti per

circuitum, vrbem illam vel aulam ne accedant. Romani principes vt plurimum, huiuſcemodi expulſionem ab vrbe qualibet, centum millium ſpatio definiebant. leg. II. Cod. Theod. de epiſcopali iudicio: *Sancimus itaque hac lege vt quicunque reſidentibus ſacerdotibus fuerit epiſcopali loco detruſus & nomine, ſi aliquid vel contra ſententiam vel contra quietem moliri fuerit deprehenſus, procul ab ea vrbe quam indignus infecit, ſecundum legem diuæ memoriæ Gratiani centum millibus vitam agat, ſit ab eorum cœtibus ſeparatus, a quorum eſt ſocietate diſcretus, careat vrbe quam tenuit.* Hoc autem centeſimi ſpatium eo magis in iis qui vrbe Roma pellebantur, ſeruari ſolebat, quod vrbis territorium iuriſdictioque vrbicæ præfecturæ centeſimo lapide terminaretur. ideo quibuſcunque vrbe interdiceretur, etiam centeſimi finibus excedere iubebantur, hoc eſt terminos egredi vrbicarię regionis. infinita huius relegationis cum facile colligi queant exẽpla, vnicum tãtum modo ponam quod ad rem facit. Theodoſius ſchiſmaticos qui ſeſe a communione Papæ vrbis Romæ ſegregauerant, vltra centeſimum ab vrbe iubet expelli, leg. LXII. Cod. Theod. *de hæreticis.* verba legis hæc ſunt: *circa hos autem maxime vrgenda commotio eſt, qui prauis ſuaſionibus a venerabilis Papæ ſeſe communione ſuſpendunt, quorum ſchiſmate plebs etiam reliqua vitiatur. his conuentione præmiſſa, viginti dierum condonauimus inducias, intra quos niſi ad communionis redierint vnitatem, expulſi vſque ad centeſimum lapidem ſolitudine quam eligunt macerentur.* ſic igitur & in Valentiniani reſcriptis

ſupra

ſupra citatis, quibus Vrſicino tam vrbe quam ſuburbicariis regionibus interdicitur, non vltra centeſimum ſuburbicarias illas regiones patuiſſe cenſendum eſt, ſed vicinas, & vrbi circumiacentes regiones æqualiterq. ab vrbe vndiquaque diſtantes accipere par eſt. atque hæ ſunt ſuburbicariæ regiones, hoc eſt ſuburbanæ, quæ centeſimi milliarij ambitu claudebantur, quæque intra vrbis territorium conſtitutæ, vrbicariæ etiam inde dicebantur. quare idem erat, ſi quis vltra centeſimum vrbis milliare pelleretur, & ſuburbicariarum regionum finibus excedere iuberetur. quod vt certius conſtet, ſciendum eſt eumdem Vrſicinum, quem Valentinianus ſenior pedem in ſuburbicarias regiones inferre prohibuerat, Valentiniani iunioris edicto, vltra centeſimum vrbis milliare fuiſſe quoque expulſum. reſcripti exemplum apud Baronium extat ad annum Chriſti, CCCLXXXI. ex eo hæc verba ſunt inter alia: *at nonne abſurdius eſt quod Vrſicini iuſſit amentia, quam quod ſerenitas noſtra mitibus perſuaſit edictis, vt omnes qui impios cætus profanata religione tentarent, ad centeſimum vrbis milliare pellerentur?* & ſub finem: *poſt hæc niſi omnes, vt nominatim iuſſionis noſtræ ſumma complectitur, vel quos turbas iſtiuſmodi molientes ſanctorum epiſcoporum concilia conſenſu oſtenderint, vltra centeſimum milliarium ab vrbe depuleris, atque earum ciuitatum finibus extorres eſſe præceperis, quarum plebem vel eccleſias vel per ſe, vel per ſimile ſui vulgus exercent, præter æſtimationis iniuriam cuius apud bonos non leuis iactura eſt, piaculum neglectæ ſanctionis*

incurres. vides eos ab vrbe Roma nominatim vltra centeſimum expelli, aliarum vero ciuitatum finibus ſimpliciter extorres fieri, quia ſcilicet aliarum ciuitatum fines, non vſque ad centeſimum milliare patebant, vt vrbis Romæ. centeſimi igitur milliarij terminus, & ſuburbicariarum regionum idem omnino fuit. ſic lex XII. Cod. Theod. *de integri reſtitutione*, centeſimum ita ab *omni Italia* ſecludit, vt lex vnica, *per obreptionem*, eodem Cod. *omnem Italiam* ab vrbicariis regionibus ſeparat. & lex item IX. *de extraordinariis muneribus*, *vrbicarias* eaſdem *regiones*, ab Italia Siciliaque diſtinguit.

Sed quoniam in Italia adhuc ſumus, breuiter heic & obiter explicabimus, quid ſit τὸ *κανάλιον τῆς Ιταλίας* apud Athanaſium Apologia ſecunda, pag. DXCV. poſtquam enim commemorauit epiſcopos qui Concilio Sardicenſi interfuerunt, ex Hiſpania, Roma, Italia, Gallia, Africa, Ægypto, ita ſubiungit: *οἱ ἐν τῷ καναλίῳ τῆς Ιταλίας, Προβάτιος, Βιάτωρ, Φακουνδῖνος*, & ceteri. male ibi interpretes *Canalium Italiæ* reddunt, & de loco Italiæ quodam ſic nominato intelligunt. τὸ *κανάλιον* Latina vox eſt cum Græca terminatione. τὸ *κανάλιον* igitur eſt *canalis:* vt τὸ *βρέβιον*, eſt *breuis:* Græci enim breuem τὸ *βρέβιον* appellant. *Canalis* autem Latinis ſignificat viam publicam, in qua curſus publicus explicatur. ita accipitur leg. XV. Cod. Theod. *de curſu publico. neque tamen ſit cuiuſquam tam inſignis audacia, qui parangarias aut paraueredos in ciuitatibus ad canalem audeat commouere*. & leg. II. eod. Cod. *de curioſis*, his verbis: *nec*

vero multos esse per singulas prouincias iussimus, quippe sufficit duos tantummodo curas gerere, & cursum publicum gubernare, vt licet in canalibus publicis hæc necessitas explicetur, numerus tamen amplior esse non debeat. sic etiam τὸ κανάλιον ponitur Can. XXI. Concilij Sardicensis: καὶ τοῦτο δὲ ἐκεῖθεν μάλιστα γνώριμον γενήσεται, καὶ πληρωθήσεται ἐὰν ἕκαστος ὑμῶν τῶν ἐν ταῖς παρόδοις ἢ τῷ κανάλιῳ καθεστώτων ἐπισκόπων θεασάμενος, ἐπίσκοπον ἐπιζητοίη τὴν αἰτίαν τῆς παρόδου καὶ ποῦ τὴν πορείαν ποιεῖται. τὸ κανάλιον, παρόδους ipse Canon interpretatur. Balsamon & Zonaras, δημοσίας ὁδοὺς, δι' ὧν διέρχονται οἱ διοδεύοντες ἀδιακόπως, ὡς δίεισιν ἐν ὑδραγωγίῳ τὸ ὕδωρ. κανάλης γὰρ ἀγωγὸς ὕδατος λέγεται, ἡ δὲ λέξις Ρωμαϊκή. κανάλιον igitur est canalis. at Baronius perperam *canalium* Latine reddit, quod idem est ac si quis *breuium* Latine diceret, quia Græci breuem βρέβιον dicunt. Episcopi igitur apud Athanasium, οἱ ἐν τῷ κανάλιῳ τῆς Ιταλίας, hoc est in canali Italiæ constituti, erant episcopi earum Italiæ ciuitatum, per quas publicus cursus agebatur, & quæ in viis publicis erant sitæ. *peruias* huiuscemodi vrbes vocat Ammanianus: vt contra *deuia oppida* Ciceroni in Philippicis quæ extra viam publicam erant posita. Glossæ veteres Conciliorum manuscriptæ *canalem* strictam viam & angustam inter montes interpretantur. ita enim habent: *Thymelici, ioculatores, comitatus, vbi potestas est. in canali, vbi via angusta inter montes est.* sine dubio respexit huius glossulæ auctor ad illa verba can. XXI. Sardicensis, *si vnusquisque vestrum qui in transitu seu canali constituti estis episcopi.* ἐν ταῖς παρόδοις, ἢ τῷ

χελιδονίῳ. ita legendum in Græcis, non vt vulgo, ἤτοι χελιδονίῳ. ſic habent omnes ſcripti codices. ſed hæc alias.

CAPVT V.

De numero ſuburbicariarum, nihil certius eſſe quam quattuor eas fuiſſe. Hoc probari ex leg. 1. Cod. Theod. de calcis coctoribus, quæ non plures numerat. Omnes intra centeſimum ab vrbe fuiſſe comprehenſas. Quidquid Vmbriæ intra centeſimum erat, Piceno attributum, Piceni ſuburbicarij nomine veniſſe. Latinam regionem ſiue Latinam Campaniam, vtrumque Latium complexam, in ſuburbicariarum numerum recte relatam eſſe ab auctore epiſtolæ. Cur in deſcriptione prouinciarum Italiæ Latina regio vel Latium locum non habeat inter Italiæ prouincias. Ex duabus Italiæ prouinciarum deſcriptionibus, antiquam pro recentiore, & vice verſa quæ recens eſt, pro vetuſta perperam laudari ab auctore Aduentoria. Quattuor ſuburbicarias has fuiſſe, Tuſciam ſuburbicariam, Picenum ſuburbicarium, Valeriam, & Latinam regionem. Valeriam a via Valeria denominatam, antiquam eſſe prouinciam. Intra quattuor harum regionum fines centeſimo circumſcriptos iuriſdictionem habuiſſe præfectum vrbi. De præfecturæ vrbicæ terminis pugnantia ſcripſiſſe Sirmondum in Cenſura & in Aduentoria. De iuriſdictione vicarij vrbis. Symmachi epiſtolæ recta expoſitio.

PRÆCIPVVS Ariſtarchi noſtri labor eſt, vt victus non cedat, conuictus non fateatur, toties deuictus tamen iterum rebellet. Sed omnes vires ſuas tandem collegit, vt eas in hoc poſtremo conatu effunderet. quod voluit, & quod voluimus efficit. eas quidem, ſed in ventum & vacuum effudit, & effuſus ipſe ſuper, cum totis viribus ad ſolum datus, ſic ſolidum

inuenit. Suburbicarias ille regiones intra centesimum contineri quantopere indignatus est. quid non fecit vt hoc ne fieret? quam ægre hoc sibi de mente ac manibus eripi & extorqueri passus est! nihil nòn mouit, vt ab hac opinione non demoueretur. Siciliam, Corsicam, Sardiniam, quæ a suburbicariis regionibus distinguuntur, cum in Notitia imperij, tum in Codice Theodosiano, suburbicarias tamen esse vi & ingratiis voluit. Apuliam, Calabriam, & Campaniam quæ diuersæ a suburbicariis regionibus apud eosdem auctores notantur, vellent, nollent, hunc titulum subire coegit. de duabus Tusciis, suburbicaria annonariaque, suburbicariam fecit vnam, nec eam quæ annonaria dicebatur a suburbicaria distinxit, vt passim distincta legitur apud auctores. Nouam præterea Grammaticam instituit, & nouæ Latinitatis auctor extitit, vt *suburbicarium* scilicet non esset idem quod *suburbanum*, sed prouincia *suburbicaria* diceretur, quæ sub vrbis erat vicario posita. Hæc omnia Censor ille, vt viam sibi muniret ad suburbicarias ecclesias per totum Occidentem construendas, ipsumque adeo Occidentem suburbicarium constituendum. Præcipuus vero, Sirmonde, tuorum duumuirum si scire cupis, labor hic fuit, vt tu in euertenda veritate quam ipsi adstruxerunt, incassum laborares. sic non illi frustra sudarunt, quia tu frustra. illi duumuiri vt video tibi negotium facessunt: sed quod magis te vrit, iuuenes sunt.

Ω γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι πείρουσι μαχηταί.

Parum esset, si senex tantum esses, sed γέρων εἶ καὶ μωρός. Nam quæ maior stultitia est, quam te id ætatis, non solum per te non sapere quid rectum sit, sed etiam ab aliis monitum discere nolle? Hoc licet nolis, tamen te docebo:

Νέος γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ.

De suburbicariis regionibus, quæ proprie sic dictæ forent, & vnde hoc nomen inuenerint, iam diximus, nunc quot numero fuerint, dicendum restat. Hoc ipsum equidem iam docueramus in Epistola ad amicum; sed quoniam quæ ibi scripsimus, in tuo lapideo cerebro nondum satis commalleolata sunt, iterum heic ea inculcemus, vt validius imprimi queant. quattuor fuisse suburbicarias plus satis confirmari putabam ex leg. 1. Cod. *de calcis coctoribus vrbis Romæ*, quæ ad præfectum vrbi data est, & in qua regiones tantum quattuor vrbicariæ nominantur. nam in ea lege ita legendum esse ostendimus: *vecturarios etiam ex quattuor regionibus suburb. præcipimus dari.* Heic tu vt inepte facetum te faceres, ex pessimis magistris hoc est calcis coctoribus, quattuor suburbicarias regiones esse, didicisse nos iocaris. sed optimum tibi esse censeo, vt iocos nunquam attingas: nihil salibus tuis insulsius. scholasticum pingue redolent, & pædagogicam fatuitatem. scilicet quasi coctores illi calcis quorum in lege mentio est, & non lex ipsa quattuor fuisse suburbicarias nos docuerit, quæ quattuor tantum ponit. sed vnde tu, aut ex

quibus doctoribus, o famæ tuæ decoctor, decem eas numero fuisse didicisti, quæ quattuor tantum fuere? *Hoc Notitia*, inquis, *imperij docet.* quomodo id docet? decem Italiæ prouincias sub vicarij vrbis dispositione recenset, & vnam inter eas tantum suburbicariæ cognomine notanter insignitam. an tu illas omnes decem suburbicarias esse voles, cum vna tantum suburbicaria nominetur? non igitur imperij Notitia, cuius notitiam nullam habes veram, sed inscitia tua, & pertinacia te decem suburbicarias esse docuit. cui doctrinæ, etsi alia omnia suffragarentur, vel nomen ipsum ac notio suburbicariarum maxime refragatur. cum enim suburbicariæ sint suburbanæ, quasdam prouincias sub dispositione vicarij vrbis constat fuisse, non tantum non suburbanas, sed etiam extra Italiam positas, vt Siciliam, Corsicam, & Sardiniam. Scio tamen Ciceroni secunda Verrina, Siciliam suburbanam prouinciam dici. Sed sciendum est Ciceronis tempore nullam fuisse prouinciam intra Italiam. ex transmarinis autem prouinciis nulla vicinior erat Sicilia, vt pote quæ angusto freto ab Italia disiungeretur. ideo suburbanam eam prouinciam appellat, & Florus *quodammodo suburbanam,* quia nulla tunc magis fuit suburbana. postquam vero Italia ipsa in multas prouincias diuisa est, & singulis Italiæ regionibus consulares rectores & præsides impositi sunt, suburbicariæ vel suburbanæ exinde proprie appellari cœptæ, quæ viciniores vrbi essent, & sic porro κατ' ἐξοχὴν nominatæ, quæ

centeſimo continebantur, & in vrbicaria regionē erant ſitæ, quia nullæ magis ſuburbanæ. atque hæ quattuor in totum numero fuere. quod igitur male didiciſti, nunc tibi bene dediſcendum eſt.

De Piceno, inquis, *& Tuſcia quin ſuburbicariæ ſint, quia ambigi non poſſe intelligunt, de reliquis duabus inter ſe non conſentiunt*. Nec igitur ipſe ambigis quin Tuſcia & Picenum ſuburbicariæ fuerint. de Tuſcia bene eſt, quod heic fateris eam fuiſſe ſuburbicariam. vnde ergo ſuburbicaria illa dicta eſt? ſuperfluum eſt quærere, cum certum ſit te ideo ſuburbicariam cenſere dictam quod ſub vrbis eſſet vicario: ſed magis erat quæſtionis, cur altera Tuſcia, quæ fuit quoque ſub vrbis vicarij diſpoſitione, annonaria ſit appellata, quum ſuburbicaria etiam dici debuerit. Hoc ſi ex te quæram, quid reſpondebis? quam rationem diſtinctionis allegabis? cum vtraque ſub vicario vrbis eſſet, vtraque ſuburbicaria, cur alteri ſuburbicariæ cognomen hæſit, alteri nunquam id cognominis tributum eſt? atqui ſi ſuburbicariæ omnes appellatæ, quæ vicario vrbis parebant, hæc annonaria Tuſcia, quæ ſub eodem vicario fuit, cur non & ſuburbicaria cognominata eſt? immo cur ab altera quæ ſic cognominabatur diſtincta eſt? cur ex vna Tuſcia duæ factæ, & hac nota inuicem diſcretæ ſunt, quum tota ab vno eodemque vicario regeretur? hunc locum ſupra pluribus tractauimus. Expedi igitur hinc te ſi potes; ſi minus potes, æternum hæreas licet in hac lutoſa voragine defixus, more mali Aruernatis, iam defeſſi, ac plus

iuſto

iusto onerati. Magnus mihi vir eris, si ex hoc cœno plantam euellis. Nobis expedita & in promptu ratio est, qui suburbicariam Tusciam inde vocatam probauimus, quod suburbana esset, & vrbicariam quod in vrbicaria regione, hoc est vrbis territorio situm haberet, & intra centesimum comprehenderetur. Alteram vero Tusciam quæ extra centesimum posita erat, annonariam appellatam ad discrimen suburbicariæ, & propter eas quidem quas superius exposuimus rationes. Pars autem ea Tusciæ, quæ suburbicaria dicebatur, quin tota intra centesimum sita fuerit, ne te quidem qui negare posses solem de die lucere, negaturum esse confido. de Piceno suburbicario, vbi nomen est idem, cur non & eadem sit nominis ratio? sed Picenum ideo suburbicarium quasi suburbanum dici nolebas, quia totum, vt volebas, extra centesimi fines esset positum: Vmbriam contra suburbicariam negari nobis esse ineptum tibi videbatur, quæ tota, vt rebaris, intra centesimum erat. Hoc indignabaris, hoc moleste ferebas. nunc quantum ad hanc rem, animo tranquillo esse potes & quieto. Iam enim tibi supra demonstratum est, quidquid Vmbriæ intra centesimum continebatur, vna cum Sabinorum regione, Piceno olim vindicatum, & Piceni suburbicarij nomine fuisse comprehensum. Fixum igitur istud tanquam trabali clauo maneat, cum suburbicariæ Tusciæ, tum Piceni suburbicarij, non aliam fuisse cognominis causam ab ea quam diximus, nec plures ab illa parte vrbis, quæ

versus Alpes spectat, suburbicarias fuisse. Nec enim ex eo suburbicariæ dictæ possunt videri quod essent sub vrbis vicario; alioquin annonaria etiam Tuscia, suburbicaria etiam dicenda foret, quæ sub vrbis etiam vicario fuit. sic discrimen confunderetur annonariæ suburbicariæque Tusciæ, quo passim veteribus istæ duæ solidæ Tusciæ partes inuicem distinguuntur. Duas igitur iam habemus ex illis quattuor, etiam tua confessione suburbicarias, *Picenum* & *Tusciam*. De reliquis duabus, verum est, me ab Anonymo coniectore dissentire, cum in aliis fortasse inter nos consentiamus. Duas ille, quæ restabant quærendæ, suburbicarias in vtroque Latio reperiebat, veteri & nouo, & vtrumque Latium pro duabus computabat. Ego vero totum Latium, vetus & nouum, pro vna regione vt par erat numerando, hac posita tertia, quartam ad explendum numerum adtexebam *Valeriam*. quam prouinciam a Valeria via nomen sumpsisse, & totam intra centesimum fuisse liquet. Hanc nostram de Latina regione & Valeria sententiam ita multis & certis rationibus in Epistola amici comprobauimus, vt doctis etiam ferme omnibus adprobauerimus. Tu solus, repertus es qui reclamares, domine quondam Rector. tu inquam, cui recta curua sunt, qui curua pro rectis habes. an mirum est tam peruerso cum sis ingenio natus, eam te improbasse, quæ aliis omnibus proba & recta visa est? ac de Latina primum regione stomachabundus indignaris, eam in suburbicariarum

numero reponi, facinus hoc esse, clamitans, mentis errorem, & audaciam. sed quæ dementia ista, vel quæ audacia est, dic nobis, o modestiæ tu & sapientiæ specimen, Latinam regionem quæ Latium vtrumque complectebatur, vnam ex suburbicariis facere, quum totam suburbicariam fuisse, totam intra centesimum conclusam ne tu quidem possis inficiari? at tu non solum suburbicariam negas, sed etiam nullam fuisse vis, quia in recentioribus Italiæ prouinciarum descriptionibus, Latij aut Latinæ regionis nomen nusquam legitur. eodem exemplo etiam neges licebit vllam fuisse Tusciam suburbicariam: Nam nulla suburbicariæ Tusciæ mentio fit, in illis ipsis descriptionibus prouinciarum Italiæ, quæ hodie in antiquis Bibliothecis extant. neutra sane ex illis duabus, quas posuisti, prouinciarum Italiæ notitiis, Tusciæ suburbicariæ nomen aut mentionem exhibet. Tuscia enim illa quæ cum Vmbria in vtraque descriptione coniuncta habetur, aut annonaria sola fuit, aut tam annonariam quam suburbicariam complexa est. Igitur si cum duæ essent Tusciæ, vna tamen tantum in omnibus quæ extant Italiæ prouinciarum notitiis ponitur, cur similiter Latina regio suburbicaria non erit, & vna de suburbicariis regionibus, licet sub alia prouincia comprehensa? sic enim suburbicaria aliqua fuit Tuscia, & diuersa quidem ab annonaria, quamuis solo Tusciæ nomine vtramque indiscretim comprehendant omnes Italiæ regionum Notitiæ. sed quis nisi mente

captus & oculis ignorare potest secundum Augusti descriptionem, Latium ex vndecim prouinciis fuisse vnam, in quas ille totam Italiam distribuerat. si mentem habes, mentem aduerte. Latina regio, vtrumque Latium complexa, vetus & nouum, tota intra centesimum fuit, vna ex vndecim Italiæ regionibus fuit Augusti temporibus, qui & præfectûm vrbi primus instituit, & iurisdictionem eius vsque ad centesimum extendit. sic & Augusti temporibus & diu post Augustum, cum vndecim Italiæ regiones numerarentur, Latium pro vna computabatur. mutauit hæc res postea diuersis vicibus, cum sub Hadriano, tum sub Constantino, & plures in Italia prouinciæ factæ sunt: an propterea Latium in sua regione non mansit? in suis finibus non stetit? aut intra centesimum, sicut antea erat, non substitit? per se quidem sub posterioribus imperatoribus seorsim suum rectorem aut præsidem non habuit, nec ipsa prouinciam vnam fecit: non tamen idcirco minus suburbicaria fuit, quod cum alia prouincia iuncta, & Campaniæ attributa, ab vno eodemque consulari regeretur. vt numerus suburbicariarum constaret, integræ solidæque regiones in duas sectæ sunt prouincias, vt Tuscia in suburbicariam & annonariam, Picenum in suburbicarium & annonarium. & tu Latinam regionem, quæ olim ipsa per se vna inter vndecim regiones Italiæ, quum vndecim tantum erant, numerata est, & intra iurisdictionis vrbicæ, & vrbici territorij terminos

comprehenſa, ſuburbicariam negabis eſſe? ſed non legitur vlla Latina regio in deſcriptionibus prouinciarum Italiæ, quæ nunc habentur. quid tum o iunceum acumen, quid tum? an ſuburbicaria Tuſcia locum habet in vlla deſcriptione earumdem prouinciarum? etſi grauiter impudens es, hoc tamen certo ſcio, non dices. quod autem inter eas Italiæ prouincias quæ poſt Conſtantinum cognitæ ſunt, Latij aut Latinæ regionis nomen nuſquam compareat, hæc ratio eſt, quod Latium per ſe prouincia non fuit, nec præſidem ſuum ſeorſim habuit, a quo regeretur. Conſularis enim Campaniæ Latium quoque regebat. eo factum eſt, vt Latium in Campaniæ nomen conceſſerit, ſed cum hac diſtinctione, vt Campania Latina diceretur ad differentiam Felicis vel Capuanæ, quæ proprie olim ſolaque dicebatur Campania. Sciendum eſt igitur iam inde ab Hadriani temporibus vſque ad Conſtantini & deinceps, Italiam non per regiones diuiſam fuiſſe, ſed per prouincias, hoc eſt præſidum præpoſituras. Hadrianus primus totam Italiam ex Auguſti diuiſione in vndecim regiones diſtributam quattuor conſularibus regendam dedit. ſic totidem Italiæ prouincias conſtituit, quot conſulares per Italiam inſtituit. ita vnuſquiſque illorum conſularium tres ſub ſe Italiæ regiones habuit, vno excepto qui duas tantum habebat. Hinc vndecim Italiæ regiones quattuor conſulares adminiſtrabant Hadriani ætate: totidem igitur Italiæ prouinciæ tunc factæ ſunt. Poſtea vero nu-

merus prouinciarum & rectorum ampliatus est, siue a Constantino primum, siue etiam ante Constantinum. plures tamen semper fuere regiones quam prouinciæ. nam binæ interdum, ternæ etiam interdum regiones simul iunctæ, vnam prouinciam constituebant, quæ ab vno præside aut consulari regebatur. sic Flaminia cum Piceno vna prouincia erat, & vnum consularem habebat. Calabria cum Apulia correctorem vnum. Bruttij cum Lucania similiter, & pro vna prouincia computabantur, & vni correctori parebant. sic Venetiæ & Histriæ combinatis vnus præerat consularis. Vtramque vero Tusciam cum Vmbria sociatam vnus item consularis rexit, atque ita tres regiones in vnam prouinciam coaluerunt. Postea tamen suus etiam datus videtur Tusciæ suburbicariæ consularis, cuius habetur mentio in Nouella Leonis & Maioriani *de adulterijs*, quæ inscripta est, *Rogatiano Consulari Tusciæ suburbicariæ.* Hic sub Theodosio nondum, vt apparet, institutus erat. nam Imperij Notitia quæ Theodosij filiorumque eius temporibus scripta est, nullam eius mentionem facit inter octo Italiæ consulares. Italiæ igitur prouinciæ non per regiones, sed per præsides & consulares, atque correctores dinumerabantur. Notitia imperij per Italiam octo consulares recenset, duo correctores, præsides septem. sic septemdecim tunc temporis erant Italiæ prouinciæ. at longe plures fuere regiones. Hinc non mirum est, si Latium inter illas prouincias, nec nomen habuit

nec locum, quippe quod nec ſpecialem habuerit præſidem aut correctorem. ſic neque Tuſcia ſuburbicaria ibi nominatur aut numeratur ob eamdem rationem. Aurelia Italiæ etiam regio fuit ab Aurelia via denominata. Huius meminere ex veteribus, limitum conſtituendorum auctores, & qui de coloniis ſcripſerunt: ex recentioribus vero Paulus Diaconus. at nuſquam illa comparet in eo prouinciarum Italiæ Catalogo qui in Notitia extat. quia ſcilicet præſidem proprium conſularemve nullum habuit,& hæc eadem ratio eſt cur Latinæ regionis in ea Notitia nec vola nec veſtigium appareat. non enim ſingularis prouincia fuit, nec peculiarem præſidem habuit, ſed a conſulari Campaniæ regebatur, ac nomine etiam Campaniæ, ſed Latinæ cenſebatur, vt a vera Campania diſcerneretur. Nihilo tamen ſecius hanc Latinam Campaniam ſiue hanc Latinam regionem vnam de ſuburbicariis fuiſſe liquet, vt pote quæ intra centeſimum conſtituta, & in vrbico territorio ſita, ad præfecturæ vrbicæ iuriſdictionem tota pertineret. Adeo autem verum eſt Latinam regionem, vrbicariam olim fuiſſe, & intra vrbicum territorium poſitam, vt etiam hodieque totus ille Latinæ regionis tractus centeſimo ab vrbe lapide comprehenſus, *Campania Romana* vulgo dicatur, & *territorium Romanum.*

Hæc tertia quum ſit de noſtris quattuor ſuburbicariis, Valeria quarta eſt. de qua dicemus ſi prius examinauerimus deſcriptionem prouinciarum

Italiæ, quam pro antiqua nobis obtrudis, quamque adeo a Conſtantino Magno vſque ad Theodoſium obtinuiſſe vel ipſe male tibi perſuades, vel maligne nobis perſuaſum cupis. ſic igitur habet illa: IN ITALIA PROVINCIÆ NVMERO XVI. *Campania, in qua eſt Capua, Tuſcia cum Vmbria in qua eſt Roma, Æmilia, Flaminia, in qua eſt Rauenna, Picenum, Liguria in qua eſt Mediolanum, Venetia cum Hiſtria in qua eſt Aquileia, Alpes Cottiæ, Samnium, Apulia cum Calabria in qua eſt Tarentus, Bruttia cum Lucania, Rætia prima, Rætia ſecunda, Sicilia, Sardinia, Corſica.* hanc eamdem dinumerationem, ne te ſolum beatum pulcrumque hoc nomine putes, nos quoque in antiquis multis codicibus ſcriptam vidimus & legimus. Ac penes me etiam nunc ſunt ſchedæ veteres, quibus continetur. Hoc etiam te monebo, in pleriſque exemplaribus manu exaratis non XVI. ſed XVII. numero prouincias exhiberi, & Graias Alpes pro Valeria in eumdem numerum referri, quas alij inter Galliæ prouincias reponunt. ſunt & Codices qui XVIII. prouincias Italiæ numerant, Valeria tamen omiſſa, quam non præteriit Paulus Diaconus qui & ipſe decem & octo prouincias Italiæ recenſet. Cum hac porro deſcriptione conferre nos iubes alteram quæ in vtriuſque imperij Notitia legitur, & habetur his verbis: PROVINCIÆ ITALIÆ XVII. *Venetia cum Hiſtria, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picenum annonarium, Tuſcia & Vmbria, Picenum ſuburbicarium, Campania, Sicilia, Apulia & Calabria, Lucania & Bruttij, Alpes Cottiæ,*

Cottiæ, Rætia prima, Rætia secunda, Samnium, Valeria.
Ex his duabus prouinciarum Italiæ adnotationibus priorem a Constantino Magno, ad Theodosium vsque vsitatam fuisse, posteriorem Theodosij filiorumque eius temporibus natam vsurpatamque asseris, ac præ te fers etiam facile esse hoc docere si dubitari posse crederes. Tu dubitari de hoc non posse credis? tu hoc docere te posse confidis? o stultam credulitatem! o stolidam confidentiam! verba mihi desunt quibus tantam, quanta in te est, impudentiam imperitiamque, digne exagitem. alterutrum confitearis oportet, aut cor te non habere nisi plumbeum, aut os tibi non esse nisi ferreum. Doceres, inquis, hoc ita esse, si dubitari a me posse crederes? Nunc igitur id doce, quæso, nam tibi narro, me dubitare. Sed quibus argumentis, quibus testimoniis, quibus denique auctoribus probabis antiquam illam esse, quam priore loco posuisti, descriptionem, istam recentem? an quia Piceni annonarij nulla extat in illa mentio, quæ habetur in ista? atqui iam ante Constantini Magni tépora annonarias in Italia regiones fuisse cognitas locus Trebellij Pollionis in Tetrico potest te docere. an quia suburbicarij Piceni non meminit illa, cuius ista mentionem facit? atqui suburbicarias regiones iam inde a Constantino Magno notas fuisse nec ipse diffiteri potes, qui earum nomen & originem ab vrbis vicariis arcessis, quos Magnum Constantinum instituisse constat. an ideo antiquam iudicas, & Constantini Magni temporum,

quod Flaminiam seorsim prouinciam faciat a Piceno seiunctam? atqui & ante Constantini imperium, & post eumdem vsque ad Theodosium & deinceps, Flaminiam semper cum Piceno iunctam, & pro vna prouincia numerari solitam fuisse, & ab vno correctore regi certum est. Trebellius qui ante Constantinum vixit, Piceni & Flaminiæ iunctim meminit in Tetrico. Vetus inscriptio Fani Fortunæ in Piceno, Constantino Magno posita, mentionem facit correctoris Flaminiæ & Piceni. CVRANTE L. TVRCIO SECVNDO APRONIANI PRÆF. VRB. FIL. ASTERIO CORR. FLAM. ET PICENI. Turcius Apronianus præfectus vrbi, cuius & mentio est in alia veteri inscriptione, præfecturam vrbis accepit Constantino II. & Constante Coss. & per tres tantum menses eam administrauit. Vetus catalogus præfectorum vrbis qui ex Gallieni temporibus vsque ad Constantij imperium fuere: *Constantio II. & Constante Coss. prid. Id. Iulias Turcius Apronianus menses tres præfectus vrbi.* sed hæc obiter. Lex Valentiniani & Valentis prima Cod. Theod. *quibus equorum vsus concessus*, Flaminiæ quoque & Piceni iunctim mentionem exhibet: *ceteris omnibus per Picenum & Flaminiam, nec non etiam Apuliam & Calabriam, Bruttios & Lucaniam habendi equi vel equæ copiam præclusam esse sancimus.* Notitia postremo imperij, quæ sub Theodosio filiisque eius scripta est, Flaminiam etiam cum Piceno iunctam sic recenset, vt vnus idemque corrector vtriusque prouinciæ fuerit. quis igitur nunc am-

bigere queat, Flaminiam & Picenum sic simul iunctas, ab vno correctore administrari solitas, non solum ante Constantinum, sed etiam ab ipso Constantino vsque ad Theodosij filiorumque eius tempora, in hoc eodem statu mansisse, & Picenum illud quod cum Flaminia iunctum erat, ab altero Piceno quod seorsim ab vno Consulari regebatur diuersum fuisse? Hoc si verum est, quomodo verum erit illud quod asseris, a Constantino Magno vsque ad Theodosium obtinuisse prouinciarum Italiæ descriptionem illam, quæ vnum tantum Picenum nominat, quæ Flaminiam ab illo Piceno seiungit, quæ nullum Picenum annonarium agnoscit, nullum suburbicarium? atqui si nullum tunc, hoc est sub Constantino, & post Constantinum vsque ad Theodosium, si nullum, inquam, suburbicarium fuit Picenum, nulla etiam fuerit necesse est regio suburbicaria. quomodo igitur hæc stabunt? aut qua ratione tecum ipse consenties? tu suburbicarium Picenum inde dictum affirmabas quod esset sub vrbis vicario. tu suburbicariarum originem ac denominationem ab vrbis vicariis repetebas. vrbis porro vicarios ex Constantini Magni institutione constitutos fuisse constat. Ergo & prouincias suburbicarias tunc cognitas & auditas fuisse oportet. At si prouinciæ suburbicariæ tam notæ fuere, notum etiam, vt par est, iam tum erat Picenum suburbicarium, & iam tũ hac nota distinguebatur ab annonario Piceno. Cur igitur notitia illa prouinciarum Italiæ, quam

antiquam esse vis, & Theodosij quidem temporibus anteriorem, neque Piceni annonarij meminit, neque suburbicarij, quum tamen satis constet annonariæ regionis appellationem Constantino Magno antiquiorem esse, suburbicariæ vero tua sententia sub Constantino ipso natam demum & inuentam? Dixeris fortasse, atque ita etiam certe dicis, suburbicarias quidem sub Constantino dici primum noscitarique cœpisse; ceterum Piceni integri diuisionem in suburbicarium & annonarium, & Tusciæ in suburbicariam & annonariam, longe posteriorum esse temporum. Sed age, Sirmonde, indica nobis, si tanti nos putas, quis auctor tibi ita sentiendi? doce nos, si potes docere, quo primum tempore, aut qua de causa, Picenum & Tuscia, quum integræ antea essent prouinciæ, in duas postea sint diuisæ? Partem illam Piceni, quæ sub vrbis erat vicario, suburbicariam dictam esse affirmas, & distinctam ab altera parte, quæ annonaria dicebatur, quæque sub Italiæ vicario fuit. Ergo statim atque vicarij per Italiam creati sunt, & prouincias Italiæ inter se partiri cœperunt, hæc diuisio quoque instituta est, vt Picenum nempe suburbicarium vocaretur quod esset sub vicarij vrbis dispositione, & annonarium quod vicario Italiæ pareret. At cur ille tuus prouinciarum Italiæ catalogus quem a Constantino Magno hoc est ab ipsa vicariorum institutione vsque ad Theodosium obtinuisse contendis, neutrius Piceni mentionem facit, nec suburbicarium aut annonarium

nominat? an nondum tunc erat Picenum in duas prouincias diuisum? atque ideo vnius tantum meminit Piceni? hoc velle videris. ſub quo igitur vicario tunc fuit integrum illud Picenum? vtrum vrbis an Italiæ vicario parebat? ſi vicario vrbis ſuberat, vtique iam tum ſuburbicarium fuiſſe Picenum illud oportet. omnes enim tua ſententia ſuburbicariæ, quæcunque ſub vrbis vicarij diſpotione fuere. ſic totum ſolidumque Picenum ſuburbicarium tunc fuit, quia ſub vrbis vicario. quando igitur diuiſum eſt aut quare? cur alterum Picenum annonarium factum eſt? quid ita pars eius altera, quæ vicario Italiæ attributa eſt, annonarij Piceni nomen accepit? an quia ſolas annonarias regiones rexit Italiæ vicarius? atqui Tuſciam annonariam rexiſſe vicarium vrbis non potes inficias ire. Sed malles fortaſſe Picenum, tunc quum integrum fuit, totum fuiſſe ſub vicario Italiæ. annonarium ergo tunc erat totum. Nam ſi poſtquam in duas partes diuiſum eſt, pars illa quæ remanſit penes vicarium Italiæ, annonaria dicta eſt, ad differentiam ſuburbicariæ, quæ vicario vrbis eſt tradita, profecto priuſquam diuideretur, & quum totum adhuc eſſet ſub Italiæ vicario, totum annonarium fuiſſe, ac totum ita appellatum eſſe neceſſe eſt. ſed cur annonarium quod ſub Italiæ vicario, quum certum ſit, nec omnes annonarias ſub vicario Italiæ fuiſſe, nec ſolas dictas annonarias quas ille adminiſtraret? verum fortaſſean tibi magis placeat neutra appellatione donatum fuiſſe quum

integrum & vnum fuit Picenum. Sane possemus hoc tibi non concedere. nam si sub vrbis vicario fuit, vtique etiam tuo iudicio suburbicarium fuit; si sub Italiæ vicario, omnino etiam ex tua sententia annonarium. sed hoc tibi concedamus. restabit semper quærẽdum nobis ac tibi docendum, cur aut quando de Piceno integro duæ prouinciæ factæ sint, quarum vni Piceni suburbicarij, alteri annonarij cognomen datum est. Hoc sub Theodosij filiorumque eius imperio factum esse dicis. sed quum sine teste dicas, sine auctore, sine ratione, adeone quemquam stultum esse credis, qui tibi credat? Igitur cum exploratum sit omnibus, ac tibi etiam confessum, annonariarum regionum appellationem Constantino Magno antiquiorem esse, annonariæ autem regiones nusquam expresse ac disertim nominatæ reperiantur, nisi ad discrimen suburbicariarum, vt in Piceno & Tuscia cernere est; certo etiam certius haberi debet, Piceni annonarij suburbicariique diuisionem, item Tusciæ annonariæ & suburbicariæ distinctionem priorem esse temporibus Constantini Magni, ac proinde descriptionem illam prouinciarum Italiæ, quæ huiusce distinctionis nullam rationem habuit, nullamque mentionem fecit, non solum Constantiniano, sed etiam Theodosiano æuo longe posteriorem iudicandam. Atque vt scias recentem illum esse Catalogum, & sequioris æui, quo nullum amplius in vsu erat suburbicariæ annonariæque regionis discrimen, scito eamdem quoque diuisio-

nem apud Paulum Diaconum reperiri, nulla facta mentione, aut distinctione Piceni annonarij, aut suburbicarij. sic enim ille lib. 11. de gestis Longobardorum, cap. xx. *Dehinc prouincia est Flaminia, post Flaminiam Picenus occurrit, habens ab austro Apenninos montes, ex altera vero parte Hadriaticum mare. Hæc vsque ad fluuium Piscariam pertendit, in qua sunt ciuitates, Firmus, Asculus & Pinnis, & vetustate consumpta Hadria.* Vides hunc Paulum Diaconum, recentissimum scriptorem in hac sua Italiæ prouinciarum dinumeratione, vnum duntaxat Picenum ponere, & a Flaminia illud distinguere ac disiungere, cum & ante Constantinum, & sub Constantino, & post Constantinum, ad Theodosiana vsque tempora, vt constat ex vtriusque imperij Notitia, Picenum semper annonarium Flaminiæ adnexum prouinciam vnam Italiæ constituerit, quæ ab vno correctore regebatur: Picenum porro alterum fuerit suburbicarium, cui suus seorsim præerat consularis. at eamdem quam Paulus Diaconus, rationem seruat in describendis Italiæ prouinciis Elenchus ille tuus, quē nobis pro antiquo obtrudis. sic enim scribit: *Flaminia in qua est Rauenna, Picenum, Liguria.* Picenum, vt vides, seiungit a Flaminia, Picenum tantum vnum facit. at Flaminiam semper cum Piceno iunctim positam reperies, non solum sub Theodosio, sed etiam sub Constantino Magno & retro. quo igitur mentis errore, vt verba tua tibi reddam, qua audacia, quod vetustum est, nouum facere voluisti, & quod recens erat vetustati adscribere

potuiſti? Cui porro, niſi tibi, veriſimile fiat antiquiorem illam Italiæ diuiſionem, quæ ſub Conſtantino Magno obtinebat, in omnibus libris ſeruatam eſſe,& ad nos vſque perueniſſe; poſteriorem vero iſtam, quæ Theodoſianis temporibus demum nata ac reperta eſt, quæque priorem illam Conſtantinianam aboleuit, minime ad nos tranſmiſſam fuiſſe, nec in libris vulgariis deſcriptam? atqui poſteriora ſolent prioribus derogare, & in eorum locum ſuccedere, non contra. quis hodie nobis liber ſeruauit diſtributionem illam Italiæ in vndecim regiones, quam Auguſtus inſtituerat, quamque Plinius deſcripſit? nec ſane mirum eſt. multæ enim aliæ atque aliæ ſubinde diuerſis temporibus, ac ſub variis imperatoribus factæ ſunt Italiæ prouinciarum diuiſiones ac deſcriptiones, quæ abolitionem illius induxere, quæ ab Auguſto fuerat inſtituta. quare omnium recentiſſimam hanc conſtat eſſe, quæ in libris manuſcriptis hodie legitur, quotquot in antiquis bibliothecis aſſeruantur. Hinc in iiſdem libris veteribus fere ſemper ſubiungi ſolet eadem manu deſcriptus Galliæ prouinciarum catalogus, quem ex Iſidori breuiculo ſumptum eſſe recte doctiſſimi viri affirmant: vt hinc etiam noueris non admodum antiquam, ſed omnium recentiſſimam eſſe tuam illam Italiæ prouinciarum adnotationem.

De Valeria nunc ſupereſt, quam vnam ex ſuburbicariis diximus eſſe, vt ſuburbicariá quoque fuiſſe doceamus. Huius prouinciæ nomen in illo tuo

Catalogo

Catalogo prouinciarum Italiæ non legitur:& hinc recentem intelligere debes, atque illorum temporum, quibus nulla amplius hoc nomine prouincia extabat. Nam postremis temporibus pro Valeria, Marsorum regio vt diceretur, inualuit. Marsi sane ipsi olim in Valeria, sed extincto & abolito Valeriæ nomine, Marsorum regio appellata est tota illa prouincia. Anastasius de vitis Pontificum in Bonifacio quarto ciuitatem Valeriam in Marsorum regione ponit: *Bonifacius natione Marsorum, de ciuitate Valeria.* Notitia Vaticana apud Baronium, quæ suffraganeos episcopi Romani episcopos recenset, quæque infimis temporibus scripta est, inter alias ciuitates quæ Valeriæ olim censebantur Furconam quoque in Marsis collocat. At Furconam Valeriæ ciuitatem fuisse tradit etiam Paulus Diaconus de gestis Langobardorum lib. II. cap. XX. sic enim de Valeria scribit: *hæc habet vrbes, Tiburim, Carseolos, Reate, Furconam, & Amiternum, regionemque Marsorum & eorum lacum qui Fucinus appellatur.* sic Marsi qui olim intra Valeriam computabantur, toti fere regioni nomen dederunt, oblitterato prouinciæ Valeriæ nomine. idem Paulus ibidem: *Marsorum quoque regionem ideo æstimo intra Valeriam cōputari quia in Catalogo prouinciarum Italiæ minime ab antiquis descripta est.* At Valeriæ prouinciæ meminit vetus vtriusque imperij Notitia sub Arcadio & Honorio, & inter eas Italiæ prouincias eam recenset, quæ a præsidibus regebantur. meminit & lex vltima Cod. Theod. *quibus equorum vsus concessus,*

his verbis: *paſtores Valeriæ prouinciæ vti equinis animalibus non iubemus.* an illis demum temporibus prouinciam Valeriam natam putas, nec anterioribus fuiſſe temporibus cognitam? ſane leges illæ omnes Codicis Theodoſiani, quæ ſuburbicariarum regionum meminere, & ex quibus quattuor in totum ſuburbicarias fuiſſe diſcimus, antiquiores non ſunt. ſatis ſit vel illo tempore prouinciam Valeriam fuiſſe notam, vt ſciamus vnam de ſuburbicariis fuiſſe. immo ſatis hoc non ſit; oſtendendum enim nobis eſt longe eſſe antiquiorem. profecto ſi quis hoc tibi docendum relinqueret, Valeriam cum antea prouincia non eſſet, Theodoſij demum filiorumque eius imperio, prouinciam eſſe factam, multum ſudares. ſed nolumus te tantum laboris tam fruſtra ſumere. atque vt ſcias nos gratiam tuam velle, hoc onere te leuabimus. Docemus igitur te, modo doceri patiaris, Valeriam, antiquum viæ nomen eſſe, nec adeo recens prouinciæ; ſane non recentius eſſe quam Flaminiæ aut Aureliæ, quæ & ipſæ Italiæ regiones, a conſtratis viis Flaminia & Aurelia nomen ſimiliter acceperunt. In libris de limitibus agrorum ex libro Balbi, poſt prouinciam Piceni, ſtatim ſubiungitur PROVINCIA VALERIA. & in ea prouincia recenſentur, *Ager Amiterninus, Ager Veius, Ager Corſinius, Colonia Superæquana, Colonia Peltinorum, Marſum municipium, Colonia Solomontina.* Huius etiam prouinciæ mentio duobus aut tribus locis apud Frontinum de Coloniis occurrit, ſed ſemper cum vitio. *Ex Commentario*

Claudij Cæsaris. Lex agris limitandis, metiundis, partis Tusciæ, & Campaniæ, Apuliæ & Valeriæ regionis collecta territoria. idem alio loco: *Lex agrorum ex commentario Cæsaris. Lex agris limitandis, metiundis, partis Tusciæ prius & Campaniæ, Apuliæ & Valeriæ regionis collecta territoria.* Perperam in his duobus locis hodie legitur, *vel variæ regionis.* sic Valeria prouincia a Valeria via denominata est, vt Flaminia & Aurelia regiones, a viis Flaminia Aureliaque. totus igitur ille tractus quem via Valeria occupauit, Valeriæ prouinciæ nomen dedit, quæ tota intra centesimum erat, ideoque vna de suburbicariis censebatur. quo nomine olim appellata fuerit, nihil refert. regio enim illa vel pars regionis, cui postea Valeriæ prouinciæ nomen impositum est, cum semper intra centesimum fuerit, semper etiam suburbicaria, & vrbicaria fuit. Centesimus ab vrbe lapis, finis erat vrbici territorij, vrbicæque iurisdictionis. omnes vero regiones aut regionum partes intra illum centesimum comprehensæ, & in illo territorio vrbico sitæ, quotcunque numero fuere, & quibuscunque nominibus appellatæ, vrbicariæ suburbicariæque hoc est suburbanæ censebantur, & ad præfecturæ vrbanæ iurisdictionem pertinebant. quod enim nomina sæpe variarunt, hoc earum situm non mutauit, nec conditionem aliam fecit. Latium olim dicebatur, & duplex fuit, vetus ac nouum: ac vtrumque intra centesimum erat. sic Latina regio tota fuit suburbicaria & vrbicaria, postea nomen mutauit, & sub Latinæ Campaniæ

Aa ij

nomine, Consulari Campaniæ regenda commissa est. an propterea sedes mutauit, aut suburbicaria esse desijt? Partem Samnij intra centesimum, Marsos Pelignosque peruadebat via Valeria. postea, sed longe ante Constantinum, de toto illo tractu facta est prouincia, quæ vrbicaria & ipsa suburbicariaque, quia intra centesimum tota. atque hæc est prouincia Valeria, a via sic nominata. quidquid Vmbriæ intra centesimum fuit, cum parte Piceni, & Sabinorum regione, suburbicarij Piceni nomine comprehensum est, & prouincia inde seorsim constituta, quæ peculiarem Consularem accepit, & a Piceno annonario, quod extra centesimi fines positum erat, separata est. pars porro Tusciæ quæ intra centesimum deprehensa est, & in vrbico territorio centesimi finibus terminato sita erat, vrbicaria suburbicariaque est appellata, eoque duæ Tusciæ factæ sunt, annonaria & suburbicaria: annonaria quæ extra centesimum, suburbicaria quæ intra centesimi fines. sic quattuor regiones siue prouinciæ suburbicariæ, vel ante Constantinum, vel sane circiter Constantini tempora constitutæ sunt, Latina regio siue Latina Campania, Valeria, Picenum suburbicarium, & Tuscia suburbicaria. atque istæ sunt quattuor regiones suburbicariæ, quarum meminit lex prima Cod. Theod. *de calcis coctoribus*. in his quattuor regionibus tota præfecti vrbi iurisdictio constituebatur, hæ quattuor regiones totum vrbicum territorium centesimo comprehensum constituebant. Ex his porro quat-

tuor prouinciis tu Latinam regionem nullam esse, Picenum esse extra centesimum, Valeriam nimis recentem, Tusciam incertam dicis. quid imperite? an nullam Latinam regionem putas fuisse, quia nomen mutauerat, & pro Latina regione, Latina Campania dicebatur? an suburbicarium Picenum extra centesimum, quod vocabatur suburbanum, & Sabinos cum Vmbris Vilumbrisque intra centesimum positis complectebatur? an Valeriam nimis recentem quæ iam tum Balbi mensoris temporibus, qui sub Augusto vixit, prouinciæ nomen habebat? & quam sub Constantini imperio præsidem suum habuisse constat? Quod autem Tusciam incertam vocas, quare ita eam appelles, mihi prorsus incertum est. fortasse incertum habes an vlla fuerit suburbicaria Tuscia? certum poterat reddere lex xii. Cod. Theod. *de indulgentiis debitorum*, quæ Picenum & Tusciam *suburbicarias regiones* vocat. Poterat facere ne incertus esses Nouella Maioriani *de adulteriis*, quæ scripta est *ad consularem Tusciæ suburbicariæ*. præstare etiam poterant ne incerta tibi videretur Caius & Theodosius inter auctores de limitibus qui *Tusciæ vrbicariæ* & *annonariæ* meminere: si post hæc testimonia, & alia longe plura, quæ superius retulimus, adhuc est incerta tibi Tuscia, ego sum certus, nihil tibi esse certi. atqui initio huius capitis dicebas de Piceno & Tuscia ambigi non posse, quin suburbicariæ essent. sic tu omnium hominum incertissimus es, atque idem incertissimus. modo ais, modo negas, & paulo

momento huc atque illuc impelleris.

Nunc vt anus ad armillam, ſic tu ad veterem tuum errorem redis, quo in limine ipſo Aduentoriæ tuæ negabas præfecti vrbis iuriſdictionem ad centeſimum vſque lapidem ſeſe porrexiſſe. Præfectus, inquis, vrbi non prouincialis, ſed vrbanus fuit magiſtratus. Hoc verum eſſe iam tibi conceſſimus, & adhuc concedimus. prouincia nulla erat, nulla dicebatur quam præfectus vrbis adminiſtraret. Regio illa circa vrbem & ſub vrbe cuius intra fines iuriſdictionem habebat, prouincia nunquam dicta eſt, nunquam inter Italiæ prouincias ſiue ἡγεμονίας quæ decem & ſeptem fuere, numerata eſt. Sic tamen vrbanus fuit magiſtratus, vt eius iuriſdictio non vrbis muris terminaretur, nam vſque ad centeſimum ab vrbe milliare procurrebat. notiſſima ſunt Caſſiodori verba in formula de præfecto vrbi: *Ditioni tuæ non ſolum* Roma *commiſſa eſt, quamuis in illa contineantur vniuerſa, verum etiam intra centeſimum milliarium te poteſtatem protendere antiqua iura voluerunt, ne tantæ ciuitatis iudicem muralis agger includeret, cum Roma omnia poſſideret.* Vniuerſus ille tractus circa vrbem centeſimo comprehenſus, vrbis territorium quodammodo fuit, & vrbicaria regio & Romana dicebatur, & ad præfecturæ vrbicæ iuriſdictionem pertinebat. Ceterum, territorium illud vrbicum nunquam prouinciæ nomen habuit, ne vllam quidem olim intra ſe prouinciam hoc eſt ἡγεμονίας complectebatur, ſed ſub ſola præfecti vrbis iuriſdictione totum erat. At

ſub poſterioribus imperatoribus multiplicato prouinciarum præſidumque per Italiam numero, cum antea nullæ fuiſſent intra centeſimum & vrbicariam regionem prouinciæ, regionibus aliquot centeſimo comprehenſis, præſides impoſiti ſunt, & ex regionibus prouinciæ ſiue ἡγεμονίαι factæ ſunt. Iuriſdictio tamen præfecto vrbi ſemper intra illas regiones, etiam poſtquam ſingulæ proprios præſides habuerunt, ſalua & inlibata remanſit. Huiuſmodi regiones ſuburbicariæ ſiue ſuburbanę dictæ ſunt, & vrbicariæ, taleſque in totum numero quattuor fuere, quas ſupra aſſeruimus, Tuſcia ſuburbicaria, Picenum ſuburbicarium, Valeria & Latina Campania, quæ & in vrbicaria regione ſitæ, & intra centeſimum comprehenſæ, inde ſuburbicariæ vrbicariæque cognominabantur. nec dubium igitur intra harum regionum fines præfecto vrbi iuriſdicundi coercendique poteſtatem fuiſſe. Nec præfecturæ tantum vrbicæ, ſed etiam ceteris vrbicis magiſtratibus, quod notandum, intra centeſimum vrbis milliare iuriſdictio fuit conceſſa. id conſtat ex leg. 11. Cod. Theod. *de integri reſtitutione*, cuius hæc verba ſunt, iam ſuperius nobis allata, huc iterum adferenda: *placuit poſt completum vigeſimum & quintum annum, ex eo quo viceſimi & ſexti anni dies illuxerit ad interponendam conteſtationem, in vrbe Roma vſque ad anni triceſimi extremum diem ſpatia prorogari, & intra centeſimum vrbis Romæ milliarium, ſi tamen ab ijs iudicibus qui Romæ ſunt, fuerit iudicandum.* ex hac lege agnoſcitur ſi quid a iudicibus

vrbanis iudicatum ac decretum esset, non solum id in vrbe Roma obtinuisse, sed etiam intra centesimum vrbis milliare. ex quo ostenditur iurisdictionem eorum vsque ad centesimum sese extendisse. sic senatores vrbis, ita enim vocabantur, vltra centesimum tutelam gerere nulla lex erat quæ cogeret. in vrbe igitur tantum, & intra centesimum id oneris suscipere cogebantur. vide leg. xxi. *de excusat. tut.* Vniuersa enim regio, quam centesimus cingebat, & vrbicaria ac Romana regio dicebatur, vt supra ostendimus, & vrbis territorium censebatur, intra cuius fines iurisdictionem coercitionemque habebat præfectus vrbi, qui omnium vrbicorum magistratuum vertex erat, & summus vrbis custos audiebat. Sed quid argumentis ad hanc rem confirmandam pluribus vtimur? quid testimonia citamus, aut testes alios frustra sollicitamus? vnicum iam mihi contra te, Sirmonde, testem placet ad testimonium vocare, cuius auctoritatem, nisi fallor, defugere non poteris. quis ille, dices, quis ille tantus auctor est, ac tanti faciendus? Sirmondus est. hominem nosti? an quisquam tibi pluris erit? atqui scripsit ille in Censura sua non vno loco, præfecti vrbis iurisdictionem centesimo milliario
» definiri, quidquid Cãpaniæ, Sãnij, Piceni, Valeriæ,
» Tusciæ intra centesimum ab vrbe lapidem erat, id
» totum ad præfecturæ vrbanæ terminos pertinuis-
» se, præfecti vrbis administrationi vrbem, vrbisque
» territorium, hoc est vniuersum terrarum spatium
» quod centesimo comprehendebatur cessisse. Hæc
ille

ille omnia in Cenſura capite ipſo ſecundo primæ diſſertationis de regionibus ſuburbicariis ad litteram ſcripſit. Capite vero quarto eiuſdem Cenſuræ ipſiſſima verba eius hæc ſunt: *nos vero vrbicarias & ſuburbicarias regiones dictas in primis eas fuiſſe quæ centeſimum ab vrbe lapidem, hoc eſt totam præfecti vrbis iuriſdictionem ambitu ſuo comprehenderent, nec ipſæ a centeſimo comprehenderentur, non abnuimus, quod iam ante profeſſi ſumus.* quis hæc dixit, aut ſcripſit? Sirmōdus. quis nunc id negat & contrarium ſcribit? Sirmōdus idem. Sirmondus igitur ipſe eſt, qui Sirmondum refellit ac refutat. cum igitur vtrumque verum eſſe non poſſit, & quod heic, & quod illic ab illo ſcriptū eſt, alterutrū ſaltem verū ſit oportet, aut illic eum pueriliter erraſſe, aut heic illum ſeniliter delirare. Dic nobis, o tuarum deſultor, & ſanarum opinionum deſertor, vtrubi hallucinatus es? Dices, τὰ δεύτερα ἀμείνονα. ſed hoc in te ſecus obtinet. tuæ poſteriores curæ, deteriores ſunt. ſic ætas tibi non ſolum ſapientiam decoquit, ſed & deterit ſcientiam. ante hoc biennium recte ſentiebas iuriſdictionem præfecti vrbi centeſimo lapide terminari, nunc in alia ſententia es, & agri Romani terminis eam definiri ſtatuis. quis tibi mentem mutauit? vt video, non citius œnophoro fundus vertitur, quam tibi ſinciput. ſed de agro Romano, cuius finibus iuriſdictionem præfecturæ vrbicæ circumſcribis, quidquid dici potuit, vt ineptire te doceremus, id abunde ſuperius a nobis dictum eſt: Nunc nouæ quas heic attuliſti rationes ſubuertendæ

ſunt, & noua quæ protuliſti, teſtimonia ſunt confutanda. nihil eſt facilius. nam & illæ te iugulant, & hæc ipſa te confodiunt. ſic arma nobis quibus ipſi defendamur, ſubminiſtras, & tela quibus petaris, aduerſum te ipſe ſuggeris. *Hunc agrum*, inquis, *Romanum quæ cingebant prouinciæ & quotquot omnino centeſimi partem aliquam attingebant, ſuos ſingulæ rectores habebant, conſulares, præſides, correctores, quibus nihil commune fuit cum præfecto vrbis. in vicarij autem vrbis erant poteſtate, qui reliquas eius diœceſis prouincias, hoc eſt ſuburbicarias ceteras adminiſtrabant.* Hæc tibi videtur ratio potentiſſima, & validiſſimum argumentum, quo iuriſdictionem præfecti vrbis, intra fines agri Romani concludas, hoc eſt ſexto ab vrbe milliario circumſcribas. Nunc audi ſis, Sirmonde, & quoniam nec mentem nec oculos habes, ſaltem aures adhibe. Agrum Romanum ſi quem putas fuiſſe illo tempore, qui ab illis prouinciis occupatus non fuerit, quas agrum illum Romanum cinxiſſe vis, miſerrime falleris. Ager Romanus tunc nullus fuit, tunc nullus dictus eſt: aut ſi vllus fuit, eum occupauerunt illę prouinciæ, quæ intra centeſimũ. non igitur agrum Romanum cingebant, ſed vrbem ipſam circumdabant prouinciæ ſuburbicariæ intra centeſimum poſitæ. Romam in Tuſcia prouincia conſtitutam ſcribit Paulus Diaconus in geſtis Langobardorum lib. 11. ſic ab ea parte qua Tuſcia erat, nullus ager Romanus erat. ſic Tuſcia ſuburbicaria non ſolum ſtatim ab vrbe incipiebat, ſed etiam vrbs ipſa intra Tuſciam prouinciam tota-

ſtabat. idem Paulus ibidem, Campaniam ſtatim ab vrbe incipere dicit, & hæc eius verba ſunt quibus hoc dicit: *Septima prouincia Campania ab vrbe Roma vſque ad Siler Lucaniæ fluuium perducitur.* ita nec ab illa parte ager vllus Romanus, aut ſi fuit, certe ſub Conſulari Campaniæ fuit. De Valeria idem dicendum. Nam Paulus eodem lib. cap. xx. prouinciam Valeriam inter Campaniam Picenumque conſtituit, & ab Oriente Samnium attingere ſcribit; partem vero eius occiduam ab vrbe Roma initium capere, vrbes autem habere, Tibur, Carſeolos, Reate, Furconam,&c. ſic inter Valeriam prouinciam, & vrbem Romam, nullus agro Romano locus relictus. Piceni porro ſuburbicarij prouincia quæ Sabinos, Vmbros & Vilumbros complectebatur, ſtatim etiam ab vrbe initium ducebat, nec ſpatij quidquam vacare circa vrbem agro illi Romano tuo ſinebat. quapropter ſi in prouinciis ſupraſcriptis ideo nihil iuris habuit præfectus vrbis, quod ſuos ſingulæ rectores haberent, quibus nihil commune cum præfecto vrbis, ſed in vicarij vrbis erant poteſtate, reſtat inde colligi, totam vrbicæ præfecturæ iuriſdictionem intramuranam fuiſſe, nec quidquam iuris ac poteſtatis extra vrbem illi competiſſe. omnes enim ſupra memoratæ prouinciæ vſque ad portas vrbis & pomœrium ipſum pertingebant. vbi igitur ager ille tuus Romanus? qui ſi aliquis fuit, profecto etiam fuit ſub vicarij vrbis poteſtate. vt hac etiam ratione intelligas nihil iuriſdictionis habere potuiſſe in agro Ro-

mano præfectum vrbis, si vera sunt quæ dicis. quid de agro Romano loquor? nullam, ne in vrbe quidem ipsa, iurisdictionem habuit præfectus vrbis, si vera est tua sententia. Cum enim scribas in suburbicariis prouinciis nullam competisse præfecturæ vrbicæ iurisdictionem, propterea quod illæ vicario vrbis suberant, eadem prorsus ratione etiam tibi censendum est, nullam, nec ipsa vrbe quidem iurisdictionem eius fuisse. Nam vicarius ille non minus per vrbem potestatem suam exercuit quam per suburbicarias prouincias. inde & vicarius vrbis audiebat, inde & *propræfectis in vrbe Roma, finitimisque prouincijs*, appellatur vicarius vrbis in antiqua inscriptione. Vicarius vrbis, non solum prouincias suburbicarias hoc est vrbi finitimas, & intra centesimum positas sub sua dispositione habuit, sed etiam vrbem ipsam, in qua ius dicebat, & quidem aliquando etiam cum præfecto ipso vrbis, vt constat ex leg. vlt. Cod. Theod. *de suarijs*. vt præfectus vrbis intra centesimum, sic vicarius intra quadragesimum tantum ab vrbe ius reddebat. Cassiodorus in formula vicarianæ vrbis præfecturæ: *ad similitudinem summorum carpento veheris. intra quadragesimum sanctissimæ vrbis iura custodis*. idem de præfecto vrbis in formula præfecturæ vrbanæ: *Ditioni tuæ non solum Roma commissa est, quamuis in illa contineantur vniuersa, verum etiam intra centesimum milliarium potestatem te protendere antiqua iura voluerunt*. vt diuersi igitur vtriusque iurisdictionis fines; sic diuersa vtriusque potestatis iurisdictio, præfecturæ, in-

quam, vrbanæ, & vicarianæ vrbicæ, fuit. quare vicarij vrbis inſtitutio nihil vnquam immutauit, nec imminuit de iuriſdictione quam ſemper in vrbe & intra centeſimum hoc eſt in tota vrbicaria regione habuit præfectus vrbi. Semper enim de omnibus criminibus tam in vrbe quam intra centeſimum admiſſis cognouit. Si quando vero præfectum vrbis abeſſe contingeret, vice illius cognoſcebat vicarius vrbis. Hoc me docuit Index manuſcriptus omnium præfectorum vrbi qui a Gallieni temporibus vſque ad Conſtantium præfecturam vrbis adminiſtrarunt, qui hodie in manibus eſt viri clariſſimi præſtantiſſimique Nic. Fabricij Peyreſij, in ſuprema Curia Aquenſi ſenatoris. ita igitur habet: *Coſs. quos iuſſerint* DD. NN. *Auguſti ex die* XIII. *Kal. Martias Gallicano & Baſſo Id. Maj Septimius Baſſus præfectus vrbis. Licinio* V. *&* *Criſpo Cæſ. ex die tertio Idus Iulias in Idus Aug. vice illius cognouit Iulius Caſſius eo quod ad Auguſtum profectus eſt. Septimius Baſſus regreſſus præfectus vrbis.* Hic Iulius Caſſius qui abſente præfecto vrbis vice illius præfecturam geſſit, & cognitionem pro præfecto exercuit, ſine dubio vicarius vrbis fuit. Hoc confirmatur & altero eiuſdem catalogi præfectorum vrbi loco qui ſic habet: *Conſtantio* II. *&* *Conſtante prid. Idus Iulias Turcius Apronianus menſes tres præfectus vrbi. item* VIII. *Kal. Nouembres Fabius Titianus præfectus vrbis. Acyndino & Proculo. ex die* III. *Non. Mai in* VII. *Idus Iun. Iunius Tertullus vicarius cognouit eo quod ad Auguſtum profectus eſt, poſtea reuerſus Titianus præfectus vrbis.* ſed hæc alias pluribus.

Nunc tibi restat Epistola cxix. lib. ix. Epistolarum Symmachi, in qua velut in arce summa fortissimum huiusce tuæ hariolationis præsidium collocasse videris, eoque dignam duxisti quæ priorem tuam dissertationem clauderet. quoniam vero semper infelix es in citandis pro te testibus, qui te testimonio suo subuertant; eamdem hanc tuam infelicitatem, similemque fati tenorem saxo & heic agnoscas. Ex ea probare instituisti præfecti vrbis angustos adeo iurisdictionis terminos fuisse vt Albam vsque non excurrerent. Integram Epistolam, sicut a te producta est, ipse quoque legendam proponam, vt intelligant omnes, nihil in ea te penitus intellexisse; vtque omnibus constet, non illud quod asseuerasti, sed contrarium plane constare. Ea igitur sic habet.

SYMMACHI EPISTOLA LIB. IX.
EPIST. CXIX.

Secundum proximæ ætatis exempla, clarissimo & excellentissimo viro, fratri nostro præfecto vrbi incestatæ Primigeniæ virginis quæ sacra Albana curabat, a collegio nostro vindicta delata est. Sed quia litteris eius causæ probabiles asseruntur, quod neque muros æternæ vrbis tanti criminis reos fas sit intrare, neque ipse ad longinqua possit occurrere: cum facinus vbi admissum est, debeat expiari, necesse perspeximus potestatem finitimam conuenire, & cui prouinciarum iura mandata sunt; vt in Primigeniam quæ publicarum cerimoniarum maculauit arcana, corruptoremque eius Maximum, qui quidem flagitium non

negauit, ſeueritas ſemper his adhibita exeratur. Dignaberis igitur, conſideratis confeſſionibus, quæ nefandi tragœdiam prodiderunt, iniuriam caſtiſſimi ſæculi reorum ſupplicijs vindicare.

Caret inſcriptione hæc Epiſtola. ſcriptam eſſe ad vicarium vrbis coniicis. coniecturam plane tuam agnoſco, hoc eſt friuolam falſamque. ſed cur ita tibi coniicere libuit? an quia finitimam poteſtatem dicit ſe conueniſſe Symmachus, & finitima poteſtas tibi videtur intelligenda de vicario, cum vrbana poteſtas diceretur de præfecto vrbi? an hic tuæ coniecturæ fundus? o perſpicacem & acutum coniectorem! ſaltem meminiſſe debueras, vicarium vrbis ita dictum fuiſſe, vt præfectum vrbis: in vrbe ſimiliter ſedem habuiſſe: in vrbe iudicaſſe: in vrbe vicariam poteſtatem pro præfectis exercuiſſe. ſic finitimam poteſtatem non magis de illo dici poſſe quam de præfecto vrbis: nec minus vrbicam poteſtatem eius fuiſſe, quam præfecti vrbis, certum eſt. per finitimam igitur poteſtatem, cui prouinciarum iura mandata ſunt, intelligendus eſt rector aliquis vnius ex prouinciis finitimis, præſes, vt puta, Valeriæ, vel Campaniæ conſularis. nullæ enim magis ab illa parte finitimæ prouinciæ. Sed ad rem veniamus quą de agitur, & videamus vtrum ex illa epiſtola colligi poſſit, quod tantopere contendis, præfecti vrbis iuriſdictionis terminos adeo fuiſſe anguſtos vt Albam vſque non excurrerent. Primigenia virgo Veſtalis quæ Albana ſacra curabat, inceſtata fuerat, vt verbo

Symmachi vtar, a quodam Maximo. huius rei cognitio ſpectabat olim ad Collegium Pontificum. poſtremis temporibus præfectus vrbis, vt de omnibus omnino criminibus cognoſcebat, ita huius quoque criminis cognitionem & animaduerſionem ſibi vindicauit. cuius moris aliquot exempla ætate ſua extitiſſe ſcribit Symmachus. igitur iuxta morem illum qui tunc inoleuerat, & cuius exempla tunc extabant non pauca, collegium Pontificum inceſtum Primigeniæ præfecto vrbi vindicandum detulerat. Præfectus vrbis cognitionem recuſauit propter eas cauſas quæ in epiſtola continentur, & quas paulo poſt excutiemus. Nunc de te quæro, cum Albæ crimen admiſſum fuerit, vtrum cenſeas aut Pontifices ignoraſſe, quovſque iuriſdictio præfecti vrbis excurreret, aut præfectum vrbis ipſum neſciſſe, quid ſuæ eſſet iuriſdictionis, aut quos ad fines procederet. ſi ſciuere Pontifices, vt id certe ignorare non potuerunt, Albam ſitam eſſe extra iuriſdictionis præfectianæ terminos, cur importune præfectum vrbis interpellarunt, vt ea de re cognoſcere vellet de qua iudicem illum ſedere non poſſe ſatis nouerant? præfectus vero vrbis qui ſcire debuit Albam extra iuriſdictionis ſuæ territorium eſſe, cur in recuſanda cognitione, non recta id reſpondit quod erat, rem ſuæ cognitionis non eſſe, crimen eo loci admiſſum, qui fines excederet ſuæ iuriſdictionis? regula autem iuris eſt, iudici extra territorium impune non pareri. Præfectus vrbis in reiicienda illa

cognitione

cognitione nihil horum allegauit. quid igitur ille? causas eum probabiles asseruisse scribit Symmachus, propter quas ea de re cognoscere non posset: *quod neque muros æternæ vrbis tanti criminis reos fas sit intrare, neque ipse ad longinqua possit excurrere.* Ergo si crimen ex eo genere criminum fuisset, quorum reos fas erat vrbis æternæ muros intrare, sine dubio de eo cognouisset præfectus vrbi. reos citari & ante se sisti iussisset, eosque iudicasset. Nam in vrbe positus omnium omnino criminum tam quæ in vrbe, quam quæ intra centesimum milliarium admitterentur, cognitionem coercitionemque habebat. pertrahebantur autem rei cuiuscunque criminis in vrbem ab ipso iudicandi, nec solum ex vigesimo, sed etiam ex centesimo lapide, qui terminus erat iurisdictionis vrbicæ præfecturæ. sic prouinciæ præses, in prima prouinciæ quam regebat ciuitate constitutus, omnes cum ciuiles tum capitales ex tota prouincia causas cognoscebat. Non igitur quod Alba extra territorium suum esset, ideo de crimine quod in ea vrbe admissum erat cognoscere se non posse præfectus vrbis allegauit, sed quod nefas erat tanti criminis reos vrbem intrare. at enimvero quoniam vrbis ingressu prohibebantur tanti facinoris rei, & neque intra vrbem stare, neque ante præfectum vrbis sisti poterant, ceterorum reorum more, restabat illud, vt præfectus ipse eo excurreret, ad noscendum crimen, vbi admissum erat, & reorum pœna expiandum. Sed nec ad

longinqua ſe poſſe occurrere idem litteris ſuis reſpondit. quare non poſſet, cauſam nullam attulit. duas afferri poſſe video. aut enim moles negotiorum vrbanorum quibus diſtringebatur, & reorum criminumque multitudo quibus audiendis cognoſcendiſque totos dies eum vacare oportebat, liberum illi ab vrbe egreſſum, & ad longinqua excurſum non præbebat. Et cum omnia crimina, non ſolum quæ in vrbe, ſed quæ in vrbicaria regione intra centeſimum committebantur, audire cogeretur, a ſummo mane vſque ad noctem horum cognitioni vacabat. Iuuenalis:

Hæc quota pars ſcelerum quæ cuſtos Gallicus vrbis
Vſque ab lucifero donec lux occidat, audit?

Adde quod vrbis tutela ac cuſtodia eius vnius curæ ac fidei erat commiſſa. hinc cuſtodem vrbis eum vocat idem poeta: & alio loco villicum vrbis. Dio ἐπιστάτην τῆς πόλεως. non igitur præfecto vrbi licebat ab vrbe longius abeſſe, aut extra vrbem abnoctare, ne cuſtode ſuo vrbs careret. Hæc prima ratio eſt, quare præfectus vrbis ad longinqua non poſſet occurrere, quam veram putamus eſſe. ſed verior fortaſſe hæc altera. præfectus vrbis, extra vrbem hoc eſt extra muros vrbis non habebat poteſtatem, vt conſtat ex leg. vlt. D. *de officio præfecti vrbis*. poteſtas eſt merum imperium, & ius gladij, & grauis coercitio, & capitalis criminum animaduerſio. Hanc maiorem poteſtatem, merumque imperium intra vrbem tantum vſurpare & exercere, præfecto vrbi fas erat. vrbem ſi egreſſus eſſet,

potestatem illam non habebat, sed iurisdictionem tantum, quæ magistratus iure competit, secundum quam & iubere iudicare, hoc est iudicem dare poterat, argumento eiusdem legis vlt. D. *de offic. præf. vrbi.* Crimen de quo agitur in Epistola Symmachi Albæ admissum fuerat intra territorium præfecti vrbis. sed huiusce criminis reos vrbem intrare fas non erat; quare ante præfectum sisti non poterant, vt ab ipso iudicarentur. Crimen igitur eo loco, vbi admissum erat, & audiendum fuit & vindicandum. sed præfectus vrbis illo excurrere non potuit, propter occupationes vrbanas; aut etiam si potuisset, potestatem tamen animaduertendi in facinorosos non habuisset. iudices tantum dedisset, quod vnum illi licebat extra vrbem, in causis scilicet capitalibus & quæ merum imperium, grauioremque coercitionem exigunt, quam intra vrbem solum habebat. sic in causa Primigeniæ & Maximi coacti sunt Pontifices potestatem finitimam conuenire, vt de his supplicium sumeret, quandoquidem facinus confitebantur. Quod si vrbem ingredi fas eos fuisset, & præfecto vrbis exhiberi potuissent, quis dubitet, quin eos iudicaturus fuerit? Nam & criminis qualitas, & personæ quæ deliquerant, ad iurisdictionem ipsius pertinebant, & locus vbi crimen erat admissum, in vrbico territorio situs intra iurisdictionis eius terminos continebatur, quos terminos centesimo lapide circumscribi, omnes antiqui nouique scripsere. tu solus ex hominum memoria repertus es qui negares, quum

tamen ante hunc & alterum annum hoc recte concessisses. Itaque quoniam & solus contra omnes stas, & parum ipse tibi constas, quid aliud expectare potes, aut sperare debes, quam vt magno consensu & constanter ab omnibus qua Iurisconsultis, qua philologis explodaris, pro ista tua tam noua, tam inaudita, tam inerudita, tam denique ridicula de præfecturæ vrbanæ iurisdictionis, vrbicique territorij finibus coniectatione? qua in re quum ne intelligentiæ quidem vulgaris vsum nec sensum communem habueris, nullius vel mediocriter eruditi possis assensum tibi polliceri. imperitorum plausum si captasti, capias etiam per me licebit. hæc imperitiæ tuæ merito merces debetur. hoc inscitia tua dignum est.



EVCHARISTICI AD ADVENTORIAM PARS POSTERIOR

DE ECCLESIIS SVBVRBICARIIS.

CAPVT I.

SVBVRBICARIAS *Ecclesias non alias dici posse quam quæ in suburbicarijs regionibus erant Ecclesiæ. Suburbicarias quum a situ & loco nomen habeant, certos quoque habere fines, nec pro rerum varietate ad quas referuntur, notionem earum esse diuersam. Aegypti vocem non magis ambiguam esse quam suburbicarij. Suburbicarijs locis & Ecclesijs metropolitanam episcopi Romani prouinciam olim fuisse determinatam. De hac prouincia Ruffinum Synodi Nicenæ sextum canonem accepisse, vt & Vaticanum & Arabem eiusdem canonis interpretes. Aristinum & Symeonem Magistrum Græcos & antiquos canonum collectores non aliter exposuisse. Nicenam Synodum eo canone de solis metropolitanis Ecclesijs agere, earumque iura ac priuilegia, ad metropolitanæ Romanæ prouinciæ formam constituere ac confirmare.*

PERVENIMVS iam tandem salui suburbicarijs ab regionibus ad Ecclesias suburbicarias. tertio pedatu ab his ad illas transiri poterat. quod in itinere tam breui conficiendo tantum temporis contriuimus, culpare nos fortasse posses, nisi ipse maximam

culpæ partem ſuſtineres. Dum te per ſingula, cæcorum more palitantem, errantemque ſequimur, dum errores tuos ſingillatim omnes perſequimur, & ipſi circumacti ſumus. ſic ſalebræ & ambages, per quas ſequendus fuiſti, aculei muriceſque, quibus totam viam ſparſiſti, de breui longam concinnarunt, de facili moleſtam moroſamque multum. ſed nos remotis remoris, quas obieceras, & diſiectis quas oppoſueras, obicibus, ex impedita expeditam planáque fecimus. iam ſumus in tuto. Bona pars noſtri laboris peracta eſt. Etenim explicata de ſuburbicariis regionibus quæſtione, minimũ habitura eſt difficultatis, de ſuburbicariis Eccleſiis diſputatio, quæ tractanda ſupereſt. Nam quis dubitet, niſi qui ſtultus ſit, niſi qui tuum habeat genium, ſuburbicarias Eccleſias eas eſſe, nec alias dici poſſe, quam quæ in ſuburbicariis regionibus erant conſtitutæ? profecto ſi quas Eccleſias habuere regiones ſuburbicariæ, oportet & illas fuiſſe ſuburbicarias. Eccleſiæ porro ſuburbicariæ, ſi quibus in regionibus fuere locatæ, neceſſe eſt & illas regiones ſuburbicarias fuiſſe. ſic igitur Eccleſiæ ſuburbicariæ in regionibus ſuburbicariis erant ſitæ, vt Africanæ Eccleſiæ in Africanis regionibus: vt Gallicanæ regiones, habuere Gallicanas Eccleſias. & ſic de ceteris. tu primus omnium extitiſti qui mirabili magis incertum an ridiculo commento ſuburbicarias Eccleſias a ſuburbicariis regionibus duceres ſeparandas. ſed ruebat illud commentum, nec poterat ſtare, niſi illi commentitium

fundamentum ſubſtruxiſſes. Ponendum igitur tibi primum fuit, & fingendum, ſuburbicarias regiones, non eas eſſe quas vocabuli vſus & ratio exigebat, ſuburbanas nempe, & circum vrbem, vel ſub vrbe ſitas regiones, ſed inde dictas ſuburbicarias fuiſſe, quod eſſent ſub vrbis vicario. Hoc confecto & illud factum habere te neceſſe erat, ſuburbicarias Eccleſias eas omnes dici poſſe, quæcumque ſub vrbis epiſcopo eſſent, quibuſcunque in regionibus, & orbis partibus forent ſitæ. ſic orbis totus, ſecundum hanc notionem, quia ſub vrbis Papa totus eſt, aut eſſe debet, totus fiet ſuburbicarius. de Occidente quid miramur, cuius omnes prouincias ſuburbicarias facis, vbi totum orbem per te fieri ſuburbicarium videmus? vrbs etiam ipſa Roma, ita me Deus amet, erit hac eadem ratione, ſuburbicaria. & triplici quidem ſenſu, ne putemus eam parum ſuburbicariam fuiſſe. nam ſuburbicaria dicetur, & quod ſub vrbico præfecto, & quod ſub vrbis vicario fuerit, & quod ſub vrbico Papa. Papæ! multis modis vrbem habebimus ſuburbicariam. quid mirum? eodem modo hæc eadem vrbs etiam futura eſt ſuburbana. quî enim minus ſuburbana, quæ ſub vrbana præfectura, & vicaria, & ἐπισκοπῇ, quam ſuburbicaria, quæ ſub vrbico præfecto, vicario & epiſcopo? nihil cauſæ poſſis dicere, quare magis ſuburbicaria fuerit dicenda, quam ſuburbana. ita & totum etiam orbem appellari conuenit ſuburbanum, qui totus vrbano Papæ ſubiectus eſt, vt Pontifici ſummo & Monarchæ: Occidens

vniuersus suburbanus, quia eidem vrbis Papæ paret, vt suo Patriarchæ: tota prouincia Romana, suburbana, & quia sub vrbe, & quia sub vrbis Papa, tanquam suo metropolitano. vrbs denique ipsa etiam suburbicaria & suburbana, quia vrbico Papæ tanquam Episcopo suo subiecta esset. vt omittam vicarium vrbis & vrbis præfectum, a quibus quoque dici potuit suburbana, etiam si non diceretur ab vrbano Papa. O mirificam Grammaticam! o miræ Grammaticæ mirificum potius architectonem, qui non solum nobis totum orbem suburbanum, sed etiam vrbem ipsam, si Deo placet, suburbanam fecit! ingeniosum qui te negabunt, ingeniosum quid sit esse, nescient. sed hoc ingenium tuum, Sirmonde, non laudo, miror magis. nec mirari tantum cogor, sed duabus additis litteris, miserari. præ nimio sane acumine interdum ineptus es. id me fateri non pœnitebit. Tu suburbicarias regiones inde nomen accepisse contendis, quod sub vrbis essent vicario. cur non & ipsam vrbem suburbicariam dictam esse concedis, quæ non minus sub illo vicario, quam regiones illæ? Erubesceres nunc, credo, & ineptiarum tuarum te puderet, si quid esset pudor scires, & nisi iam pridem ruborem omnem eiurasset istud os tuum. Iam si igitur suburbicariæ regiones non a persona aliqua magistratuve vrbico sunt denominatæ, sed a loco situque ipso circum vrbem aut sub vrbe; quis ambigere queat, quin & hæc eadem sit suburbicariarum Ecclesiarum denominationis

ratio?

ratio? vt ſuburbicariæ nimirum Eccleſiæ non ab vrbicis Papis nomen nactæ ſint, ſed ab vrbe, quod ſub vrbe ſitæ videlicet, & vrbi circumiacentes fuerint, & intra regiones ſuburbanas conſtitutæ. Hæc neceſſario præmittenda fuerunt diſputationi de Eccleſiis ſuburbicariis, vt de nomine earum vbi conſtitiſſet, facilius porro meliuſque de re ipſa conſtare poſſet.

Nunc his præmiſſis, ad quæſtionem ipſam, quæ de ſuburbicariis Eccleſiis agitatur, diſcutiendam accedamus. Hanc litem primus mouit Ruffinus in expoſitione ſexti Niceni canonis, dum in eo decretum ſcribit, vt quemadmodum Epiſcopus Romanus ſuburbicariarum Eccleſiarum, ſic Alexandrinus epiſcopus Ægypti, curam ac ſollicitudinem gereret. quærendum igitur fuit, & diu eſt cum quæritur, ecquas ſuburbicarias Eccleſias intellexerit Ruffinus, quæ ſpecialem diœceſim epiſcopi Romani conſtituerent. inter omnes autem conſtat, & conuenit Synodum Nicenam illo ſexto Canone de ſpeciali prouincia epiſcopi Romani loqui, ac proinde Ruffinum etiam per ſuburbicarias Eccleſias ſpecialem epiſcopi vrbis Romæ prouinciam intelligere. *Prouinciam* quoque appellat vetus ille eiuſdem Canonis interpres, quem ex Vaticana produxiſti primus, eamque ſuburbicariorum locorum finibus circumſcribit ac terminat. quænam illæ ſuburbicariæ Eccleſiæ, & ſuburbicaria loca, quæ denique prouincia illa fuerit ſuburbicariis Eccleſiis, & ſuburbicariis locis definita, cuius

ſpecialem curam geſſerit epiſcopus Romanus, nunc in eo ſumus, vt inueſtigemus, & exquiramus. Vniuerſum Occidentem tibi placet fuiſſe. cur vero ita placet? *Hanc prouinciam*, inquis, *Græci quoque ipſi Occidentem vniuerſum complexam eſſe fatentur.* itane Græci? Sed quinam illi Græci? vtrum antiqui & Orthodoxi, an recentiores iſti & ſchiſmatici? Zonaras, Nilus, Balſamo, & tota illa caterua. Deus bone quid audio? Schiſmatici illi omnes ſunt. & tu his hominibus credes in determinanda Romani Pontificis diœceſi? hos teſtes adhibebis ad eam confirmandam? Dic nobis, o Catholicæ fidei columen, o ſedis Apoſtolicæ columna, dic nobis, itane tibi Græculi ſatis idonei videntur, Romanæ diœceſeos adſertores, quos vnitatis Romanæ deſertores eſſe non ignoras? an exſpectas vt ſedis illius auctoritatem aſſerant, a qua defecerunt? & ſane ita eſt. Græci illi ſunt qui fatentur totum Occidentem diœceſim eſſe epiſcopi Romani. ſed ideo Occidentem fatentur, vt negent Orientem. intra Occidentis fines totam concludunt, vt ab Orientis finibus penitus eam excludant. partem orbis ea diœceſi contineri idcirco non negant, vt totum orbem complexum eſſe non concedant. poſtremo diœceſin epiſcopi Romani in Occidente quidem agnoſcunt, ſed ſolam in vno, ſed in ſolo totam. Præter Occidentem, nec ſpecialem nec vniuerſalem vllam diœceſim ſummo Pontifici fuiſſe fateri volunt. Nam ſi vniuerſalis epiſcopi titulo Occidentem ab eo regi confeſſi eſſent, ſimili iure ac titulo Orientem quo-

que sub eius imperio debere esse, confitendum habuissent. nec enim a parte, sed a toto dicitur vniuersalis: nec episcopus iure dici queat vniuersalis, qui partem tantum aliquam orbis, non orbem vniuersum regat. Græci ergo postquam vnitatem Ecclesiæ sciderunt, & sese ab illa petra Petro absciderunt, regni quidquid ac iuris in Occidente habuit episcopus Romanus, totum id eum non tanquam vniuersalem episcopum, sed tanquam specialem Occidentis Patriarcham habuisse contenderunt, ne sub illo scilicet vniuersali regimine, si concederent illud, Oriens ipse comprehenderetur. sic specialem totius Occidentis Patriarcham esse confessi sunt, vt totius orbis vniuersalem negare possent. ita omnem episcopi vrbis diœcesin specialem pariter vniuersalemque Occidentis intra limites & cancellos coegerunt. Græcorum hominum opinioni hoc in loco quum subscriberes, cur eam pro parte amplexus es, pro parte repudiasti? nequaquam illa diuidi potuit, aut diuelli. nam vel tota tibi recipienda fuit, vel tota fuit reiicienda. quod enim Græci Papam Occidentis Patriarcham constituunt, id amplexaris: quod iidem eumdem non cognosunt nec confitentur vniuersalem, id respuis; & recte quidem, quis negat? sed propter hoc, illud ab illis statutum est. vt istud habeant, illud habere tibi concedunt. nec enim alio fini, nec ob aliam rem confessi sunt ac consenserunt Papam esse totius Occidentis specialem Patriarcham, quam vt inficiari possent eumdem totius

orbis vniuersalem. Si vis illud cum illis obtinere, & istud debes iuxta illos tueri ac tenere. alterum siquidem ab altero pendet. nec enim aliter poterant efficere vt Papa non esset vniuersalis, nisi sententia sua Patriarcham illum specialem totius Occidentis esse dicerent. quo pacto non pro ea potestate, quam amplissimam in vniuersam Ecclesiam habere Papa creditur, sed pro ea quam vnusquisque habet Patriarcha in sua speciali diœcesi, totum Occidentem ab eo administrari regique affirmarunt. Et hoc certo consilio ac veluti de compacto videntur egisse, vt vniuersalis episcopi ius simul cum nomine, summo Pontifici denegarent, Orientemque eius dominationi subtraherent, quem pari iure, parique imperio ab suis Patriarchis regi asserunt, quo Occidentem a Papa vrbis Romæ. quam igitur ad rem, aut quo animi proposito, tu qui summum imperium in vniuersam Ecclesiam summo Pontifici contra Græcos aliosque schismaticos summopere defendis, quo consilio, inquam, cum Græcis eumdem totius Occidentis specialem statuis Patriarcham? atqui temet ipsum pugnare tecum videres ipse, ac menti tuæ sententiam istam repugnare, si quid sentires aut saperes. sic quod vna manu fundas & adstruis, altera funditus euertis, ac subruis. Romani sane omnes, Græcique veteres qui ante schisma vixere, parem omnino Papæ potestatem in Occidente atque Oriente semper agnouerunt, nec alio iure rexisse illum Occidentis prouincias, quam Orientis, cum primitiuæ Ecclesiæ

praxis oſtendit, tum antiquorum patrum ſcripta teſtantur. quod pluribus confirmabimus capite quinto & vltimo huius operis. Tu vero quaſi Græci veteres idem cum hodiernis ſenſerint de ſpeciali epiſcopi Romani prouincia, aut quaſi Romanos & Græcos ſchiſmaticos idem ſuper ea re ſentire ſit neceſſe, Ruffinum cum Zonara idem ſenſiſſe ac ſcripſiſſe contendis in illa prouincia determinanda: Ruffinum inquam, qui tanto anterior fuit, & qui Romanus vixit illo tempore quo Græci nondum a ſede fideque Romana deſciuerant. Quod enim Zonaras, & nouitius & Græculus, & ſchiſmaticus ſcriptor, in exponendo ſexto Canone Nicenæ Synodi prouinciam ſpecialem Romani Pontificis, ex ſuorum Græcorum ſententia, totum Occidentem eſſe interpretatus eſt; tu Ruffinum & Romanum & tanto antiquiorem Zonara auctorem, inuitum vis idem dixiſſe, licet non dixerit, in eiuſdem ſexti Canonis expoſitione, ſic ex mente Zonaræ ſenſum Ruffino affingis qui nunquam illi venit in mentem. & quaſi ſenſus vtriuſque idem fuerit, ex verbis illius, huius verba interpretaris, atque ita quod Græci prouerbio dicunt, τὰ ἀσύγκλωστα συνάπτεις. Zonaras Occidentales prouincias, τὰ δυτικὰ, τὰ ἑσπέρια Romano Pontifici ſubeſſe dicit. Ruffinus ſuburbicariarum Eccleſiarum curam eum gerere aſſerit. tu inde ſuburbicarias Eccleſias eaſdem cum prouinciis Occidentalibus eſſe tibi perſuaſiſti. Hoc vt obtineas, non res, non tempora, non homines, non mores, nihil horum diſtinguis

ac diſcernis, ſed ὑπὸ μίαν μύκονον coniicis, & mirifice cuncta conturbas. Ex hodiernorum igitur Græcorum opinione ſchiſmatica & erronea, qui ſpecialem epiſcopi Romani diœceſin totum Occidentem complecti fatentur, hoc neceſſario conſequi colligis, vt conſtet Ruffinum vel Synodi mentem non expreſſiſſe, vel ſuburbicatiarum nomine Occidentales omnes Eccleſias comprehendiſſe. ita tu quidem argumentaris, domine doctor, & hæc argumentatio tantam vim tibi habere viſa eſt, vt glorieris, ideo me tacitam illam diſſimulaſſe, ne me in anguſtias compelleret. vt falſus animi es, o bone! vt ſomnia tua te ludunt vmbris volitantibus! quam vnica negatione non ſolum eludere, ſed totam plane elidere licebat, eam ego ſuſpenſis pedibus, ne plantas ſcilicet mihi læderet, præteriſſem? Quid porro dices de altero tuo vetere Vaticano Niceni Canonis interprete, qui Pontificis Romani prouinciam omnem ſuburbicariis locis determinauit? an & illum concludes, aut male mentem Synodi cepiſſe, aut ſuburbicariorum locorum nomine totius Occidentis prouincias intellexiſſe? totum iſtud qui tibi negauerit, quid facies? ad Græculos nempe recurres, vt inde probes totum Occidentem fuiſſe, ſpecialem epiſcopi vrbis prouinciam, ac proinde loca ſuburbicaria, omnes eſſe Occidentis prouincias. ſatis illi confututi ſunt, alios quære. ſatis ipſe refutatus es, alia argumenta require. Negaſſe totum ſufficiebat quod a te probari non poſſe ſentiebam. ſed probare etiam volui

non esse, quod esse negare simpliciter potui. rebus igitur manifestis & aperto pignore tibi monstraui totum Occidentem non fuisse specialem episcopi Romani prouinciam, sed illam in Occidente quærendam. Occidentem vero fuisse partem vnam vniuersalis Pontificiæ diœcesis, & Orientem alteram; ex his duabus partibus totam vniuersalem constitisse. Præterea prouinciam illam specialem episcopi Romæ, de qua Synodus Nicena sexto suo Canone intellexit, & quam Ruffinus cum Vaticano interprete, suburbicariarum Ecclesiarum, aut suburbicariorum locorum nomine expressit, fuisse prouinciam metropolitanam, vrbici Papæ, quæ & prouincia Romana dicebatur. Postremo hanc prouinciam Romanam, quæ episcopo Romano tanquam suo metropolitano parebat, sic suburbicariis locis, aut Ecclesiis suburbicariis fuisse definitam, vt Romana regio, quæ sub vrbis præfecto erat, suburbicariis regionibus, intra centesimum comprehensis, terminabatur. Denique fines omnino eosdem olim fuisse Romanæ & vrbicariæ regionis sub præfecto vrbis & prouinciæ Romanæ sub episcopo vrbis, qui eam metropolitæ siue primatis iure regebat. Hoc iam multis in epistola ad Amicum probaui: hoc idem etiam pluribus in hoc opere confirmauero. inde ergo necessario sequeretur, & Ruffinum recte Synodi Nicenæ mentem expressisse, nec tamen suburbicariarum nomine Occidentales omnes Ecclesias comprehendisse. Hæccine fuit illa tua argumentatio, tam

valida tamque violenta? Hoccine fuit illam tacitam dissimulasse, quam totam dissipauimus ac minimo negotio difflauimus? tu potius eam nos dissimulasse, ipse simulasti, vt sic more tuo lectori imponeres, & offuciam faceres.

Nam quereris & me incusas, quasi confectum a te nihil esset, rem denuo a capite arcessere, & negare suburbicarias dici alias posse, quam quæ suburbicariis prouinciis contineantur. per hanc querelam iam tacito tibi, si mihi credis, & quieto licet esse. Vnde enim potius quam a capite ipso rem arcessendam putas? aut vnde tibi melius lis qua de agitur repetenda videtur, quam ab illa causa, quæ litis ansam præbuit? ceterum quid a te confectum sit, ipse videris. Ego me scio illud omne infectum fecisse, quod opere tanto confeceras. ideo tota tela retexenda, & a capite ipso denuo redordienda fuit. Hinc illæ lachrimæ. Hoc tibi cordolium est. sed quod fors tulit, ferendum est. immo ipsi tibi imputabis. cur non meliora dederas? Negaui porro, atque etiam nunc pernego, suburbicarias Ecclesias alias dici posse, quam quæ in suburbicarijs prouincijs erant collocatæ. vagum alioquin & ambiguum foret vocabulum, quod certas & statas Ecclesias non denotet, cum certam ac definitam Synodus Episcopi Romani diœcesis designarit, & designatam a Synodo Ruffinus signanter expresserit Ecclesiarum suburbicariarum nomine. Mea sunt hæc omnia, vt recte tu quidem opinaris. at enimuero hæc ipsa falsa & inepta esse, & ad rem

meam

meam nihil facere nisi vt me inærtia inscitiæque condemnent. Hæc etiam opinor tua sunt. bene habet, & gratum est. ego inscitus, ego iners. sed longe non ibimus, vt experiamur, ecquis nostrum inscitior inertiorque sit existimandus. heic heic vbi sumus, hoc videbitur. ἐνθάδε Ῥόδος. heic igitur illud apparebit. Primum ad ea quæ superius posuimus, opponis, suburbicarij notionem pro rerum ad quas refertur varietate, modo angustiorem, modo laxiorem esse. O sollertis ac sciti virum ingenij! atqui hoc ipsum est, o scientiarum omnium & artium medulla, hoc inquam ipsum est quod vocabulum illud vagum & ambiguum vnice possit reddere, si pro rerum varietate, modo laxius, modo angustius sumatur. Aliæ, vt reris, fuere suburbicariæ, quæ ad præfectum vrbis, aliæ quæ ad vicarium vrbis, aliæ quæ ad episcopum vrbis referebantur. quid laxius, aut incertius, aut ambiguum magis reperiri possit hoc vocabulo, quod tam varias admittat significationes, pro rerum scilicet ac personarum varietate, ad quas relatio facienda est? si memoratas vspiam suburbicarias regiones inuenero, non facta mentione vicarij vrbis, vt puta, vel præfecti vrbis ad quem referri debeant, quis me expediet, aut qua notione accipere me oportebit illas suburbicarias, vt in ambigui biuio non hæream? plures vrbis vicarius, pauciores præfectus vrbi sub se suburbicarias habuit. vtrum de his quas præfectus, an de illis quas vicarius vrbis regebat, exponam? exempli gratia; Procurator rei priuatæ

per vrbem & ſuburbicarias regiones in vtriuſque imperij Notitia notatur. quæ ſunt illæ ſuburbicariæ? quam ad rem, aut quam ad perſonam relationem fieri conuenit, vt ſcire poſſim quas & quot numero ſuburbicarias Procurator ille rei priuatæ rexerit? vtrum eas quas vicarius adminiſtrabat, an quas præfectus vrbis, intelligam? an & ſuas ille quaſdam rei priuatæ procurator vrbicus, & peculiares ſuburbicarias habuit, quæ ab ipſo denominatæ ſint, vt ab vrbis vicario præfectoque? Vicarium illum ipſum ſumamus vrbis, cuius proprias ſuburbicarias facis. ſi neſciam quot & quas prouincias ille ſub ſua diſpoſitione habuerit, & legero alicubi, aut aliquis mihi dixerit ſuburbicarias prouincias ſub eius eſſe diſpoſitione, nihilo certior inde vel doctior diſcedam: nam nec numerum earum, nec ſitum ex eo cognoſcere potero. cum enim ſuburbicarias ab eo dictas autumes, quod ſub vrbis eſſent vicario, quaſcunque ille, aut quot numero cunque rexit, aut vbicunque poſitas, ſuburbicariæ vtique omnes ſemper futuræ ſunt, & ſub hoc nomen venturæ. nec minor, immo etiam longe maior ambiguitas exiſtet in diœceſi epiſcopi Romani, & ſuburbicariarum Eccleſiarum appellatione. cum enim & illum epiſcopum vrbis Romæ fuiſſe ſtatuas, & prouinciæ Romanæ metropolitam, & Italiæ primatem, & Occidentis Patriarcham, & orbis monarcham, ſuburbicariæ neceſſario omnes erunt Eccleſiæ, & illæ quas iure metropolitæ gubernat, & quas primatis titulo regit: nec minus

item ſuburbicariæ, quæ ſub eius patriarchatu ſunt, quam eæ quas tanquam epiſcopus vniuerſalis & totius orbis monarcha ſub imperio ſuo premit ac ditione. ſi audiero igitur aliquem dicere, aut ſi alicubi ſcriptum offendero, epiſcopum Romanum ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem ac regimen habere, vtrum de vniuerſali eius diœceſi, ſuburbicarias illas intelligere me oportebit, an de Patriarchali, an de primatiana, an de metropolitana? ambiguum profecto id erit, & nunquam certo ſciendum propter incertam vocabuli ſignificationem. inde eſt quod ſuburbicarias apud Ruffinum tu de Occidentalibus ſolis interpretatus es, illuſtriſſimus Cardinalis Petronius de totius orbis Eccleſiis, alij aliter. Nec mirum. has enim omnes, & alias lõge plures, & quas quis voluerit, & animo ſuo finxerit expoſitiones, accipere poſſint ſuburbicariæ cum iſta tam vaga & inſtabili notione. Verum ne vagentur amplius, nec limites quos a natura accepere, tranſiliant, ſuos intra fines nunc retrahendæ ſunt, quos certos olim ſtatoſque habuiſſe nomen earum indicio eſt. inde enim dictas ſuburbicarias apparet, & ratio nominis id oſtendit, vnde & ſuburbia. quod ſub vrbe ſcilicet, & circa vrbem poſitæ, vicinæ vrbi & circumiacentes fuerint. A loco igitur in quo ſitæ fuere, non a perſonis, nec a rebus appellationem nactæ ſunt, nec pro rerum ac perſonarum varietate locum ſuum ſitumque ſubinde mutare, nec fines ſuos migrare poſſunt. Age nunc, vt voces tuas tibi reddam, quis tibi

Grammaticorum aſſentietur, ſuburbicarij vocabulum, quod a loco non a perſonis appellatum eſt, pro rerum varietate ad quas refertur, varie ſumi, & modo de illis regionibus quæ ſub vrbe ſunt, accipi, modo de illis quæ longiſſime ab vrbe diſſitæ, in vltimis orbis partibus erant ſitæ? cædent illi te potius, quam hoc tibi concedant. Tu tamen vt confirmes ſuburbicarias regiones, modo laxiores, modo anguſtiores fines habuiſſe, exemplo id illuſtras, atque ita verba facis: *Quæſo te, præfecturam Pariſienſem cum audis, eoſdemne illius fines animo fingis, cum de prætore Pariſienſi agitur, eoſdem cum de epiſcopo, eoſdem cum de Curia ſupremoque tribunali Pariſienſi.* quam bene tecum actum eſt, quam pulcre ac beate quod me adeo leni ingenio natum nactus es aduerſarium! Hoc niſi eſſet, quid te fieret neſcio, ita male accipi dignus es cum iſto tuo ſtupore, & inertia. quæſo te, Pariſienſem præfecturam cum audis, putaſne præfecturæ Pariſienſis nomine cum epiſcopi Pariſienſis diœceſin intelligi, tum etiam ſummi Tribunalis Pariſienſis territorium? tam bardus non es vt credas, nec tam impudens vt dicas; & tamen hoc tua verba tinnire videntur. immo hoc ipſum aperte ſonant. Ergo præfectura Pariſienſis tuo iudicio dicitur, & quam prætor Pariſienſis regit, & cuius curam gerit epiſcopus Pariſienſis, & cuius intra fines iuriſdictionem territoriique ius habet ſuprema Curia Pariſienſis? Harum trium iuriſdictionum nomen vnum idemque fuiſſe cenſes, fines vero diuerſos? mira profe-

ćto fabularis, & vix cuiquam credibilia, quia nemini vnquam audita, & quia penitus falſa & nugatoria. ecquis vnquam audiuit præfecturam Pariſienſem dici de Pariſienſis epiſcopi diœceſi? ecquis fando accepit vnquam territorium vniuerſum ſiue diſtrictum iuriſdictionis ſupremæ Pariſienſis Curiæ, præfecturam Pariſienſem appellari? Præfectura quippe Pariſienſis vocatur, omne illud terrarum ſpatium, cuius intra fines ius dicere licet præfecto ſiue prætori Pariſienſi. Alia eſt, & aliud nomen habet, aliosque fines Pariſienſis epiſcopi diœceſis, nec vnquam præfectura eſt appellata. Supremum vero Pariſienſe tribunal, non ſolum vltra præfecturam Pariſienſem iuriſdictionis ſuæ terminos extendit, ſed etiam vltra prouinciam, vt vocant, inſulæ Franciæ, & multas alias præterea prouincias complectitur, quæ nec præfectum Pariſienſem agnoſcunt, nec epiſcopo Pariſienſi parent, & longiſſime a ciuitate Pariſienſi ſunt remotæ. Hæc omnia igitur nominibus diſtincta ſunt, vt mirum non ſit etiam diſtincta eſſe finibus. Alia eſt præfectura Pariſienſis, alia diœceſis epiſcopi Pariſienſis, aliud denique ſummi tribunalis Pariſienſis territorium. & hæ tres poteſtates ſiue iuriſdictiones, tam re quam nomine, quamque etiam finibus inter ſe diſparatæ ſunt, & diſcretæ. iuriſdictiones diuerſæ, nomina diuerſa, fines diuerſi. At in ſuburbicariis regionibus quarum gratia ſuperius a te exemplum allatum eſt, vt idem dici conueniat, nullo modo poteris obtinere: omnia enim ſunt



dissimilia. Suburbicariæ quippe regiones vnum semper idemque nomen seruant, siue de præfecto vrbis agatur, siue de vicario, siue etiam de vrbis episcopo, quacunque de re loquaris aut agi legas, suburbicariæ semper & vbique vocantur. Dicatur aliquis rei priuatæ procurator per vrbem & suburbicarias regiones, alius rei priuatæ rationalis, per vrbem & suburbicarias, præfectus vrbis intra iurisdictionis suæ terminos suburbicarias habuisse, sub vicario vrbis suburbicarias fuisse, suburbicariæ semper eædem erunt tam re quam nomine. Ergo vt semper nomen idem possederunt, quibuscunque de rebus aut personis ageretur, sic semper eosdem obtinuere terminos, nec minus finibus indiscretæ fuere, quam nominibus; immo quia nominibus distinctæ non sunt, ideo nec finibus. Hinc scire potes, exēplum quod superius attulisti, nulla ex parte quadrare, sed vndiquaque claudicare. Hoc vt quoquomodo posset conuenire, finxeras diœcesin Parisiensis episcopi & summæ Curiæ Parisiensis iurisdictionem, Parisiensis præfecturæ nomine comprehensas, diuersos nihilominus fines ac terminos habuisse a præfectura Parisiensi. sed male & inepte fictum hoc fuisse, ne tu quidem ipse qui fictor es negaueris, si modo sano sincipite sis. Nec tamen hac stetit figmentum tuum. nam vt aliqua saltem ex parte miserum illud exemplum, videri aptum posset & accommodatum, aliquid etiam discriminis comminisci voluisti suburbicarias inter Ecclesias prouinciasque. sic igitur ser-

mocinaris: *quæso te Parisiensem præfecturam cum audis, eosdem illius fines fingis cum de prætore Parisiensi agitur, eosdem cum de episcopo, eosdem cum de Curia supremoque tribunali Parisiensi? insanus sis si fingas. cur igitur eadem intelligi aut concipi vis spatia cum prouinciæ, eadem cum Ecclesiæ suburbicariæ nominantur?* Pulcre admonuisti, Sirmonde, & gratiam habeo pro monitu. sane non eadem spatia occuparunt Ecclesiæ suburbicariæ, & prouinciæ. plures enim Ecclesiæ fuere in singulis prouinciis suburbicariis. sed non arbitror hoc te voluisse. voluisti nimirum Ecclesias suburbicarias fuisse diuersas a prouinciis suburbicariis, vt inde sequi necesse sit, episcopi vrbis, & vicarij vrbis & præfecti vrbis, & aliorum si qui ab vrbe nomen ducunt, diuersos potestatis ac iurisdictionis fuisse terminos. nihil demo vel demuto de verbis tuis. hæc omnia sunt. igitur si bene te capio, hæc tua sententia est: episcopum vrbis qui suburbicarias ecclesias sub se habebat, longe alios potestatis ac iurisdictionis fines habuisse, quam aut præfectus vrbis, aut vrbis vicarius, aut si quis alius ab vrbe nomen duceret magistratus, sub quorum potestate & administratione prouinciæ suburbicariæ fuere. distinctæ igitur finibus erant, vt arbitraris, prouinciæ & ecclesiæ suburbicariæ, licet idem nominis obtinerent, & vtræque suburbicariæ vocarentur. sed rogo te Sirmonde, pace quod tua, bonaque cum venia liceat interrogasse, censesne suburbicarias illas Ecclesias in nullis prouinciis fuisse sitas? nullas extitisse vspiam prouincias quibus illæ

continerentur Ecclesiæ, nisi me fallis, haud negabis. si quæ fuere, quod aliud nomen illis prouinciis fuisse censes, quæ suburbicarias Ecclesias complectebantur, quam suburbicariis? Hoc si fateris, interrogauero rursus: Prouinciæ illæ vere suburbicariæ quæ dicebantur, & quæ sub vrbis erant vicario, vel præfecto vrbis, an nullas in territoriis suis vnquam habuere Ecclesias? habuisse vtique non dubito quin mihi concedas. Ecclesiæ igitur illæ quæ intra prouincias suburbicarias erant constitutæ, quo alio nomine appellabuntur, nisi suburbicariæ vocentur? Iam vides si oculos habes, iam sentis, opinor, si tibi cor adest, oppido perquam ridicule stulteque te prouincias suburbicarias ab Ecclesiis distinxisse. quascunque enim tibi finges Ecclesias suburbicarias, quibuscunque in regionibus eas collocabis, ibi & prouincias esse suburbicarias fateri cogeris. vbicunque rursus gentium prouincias fuisse statueris suburbicarias, si quæ in illis prouinciis conditæ reperientur Ecclesiæ, suburbicariæ omnes, velis nolis, futuræ sunt, atque ita dicentur. falsum ergo, nec minus ineptum hoc discrimen, quod a te statuitur suburbicarias Ecclesias inter, & prouincias siue regiones. Vaticanus tuus interpres Niceni sexti Canonis, *suburbicaria loca* dixit, pro suburbicariis Ecclesiis, quas Ruffinus in eadem re exponenda posuit. *suburbicaria* vero *loca* quid aliud sunt, quam *suburbicariæ regiones*, vt passim appellantur, *&* *suburbicariæ partes*, vt eas vocat lex XII. Cod. Theod. *de extraordinariis muneribus*.

muneribus. his verbis: *neque ſuburbicariis partibus tironum immineret exactio.* ſic *ſuburbicariæ partes*, *ſuburbicaria loca*, & *ſuburbicariæ regiones ſuburbicariæque prouinciæ*, ſynonyma ſunt plane, atque earumdem omnino nomina rerum regionumque. tibi vero homini in primis cordato an vecordi, quaſi ſuburbicaria illa loca nullas Eccleſias habuerint, aut quaſi ſuburbicariǫ illæ Eccleſiǫ nullibi locorum fuerint, ſuburbicarias Eccleſias & ſuburbicarias prouincias, nulla alia differentiæ nota diſcerni placuit, quam quod iſtæ prouinciæ dicantur, Eccleſiæ vocentur illæ. quod quam delirum ſit, & ſuper quidquid eſt ridiculi deridendum, licet taceam, res ipſa ſatis loquitur. quamuis autē nulla in delirantibus ſit ratio, quid tamen ſis ſequutus, & quam cauſam habueris huiuſcemodi diſtinctionis inter ſuburbicarias Eccleſias, & ſuburbicaria loca conſtituendæ, operæ pretium eſt attendere. eo id a te factum apparet, vt prouinciam epiſcopi vrbis, qui ſuburbicariarum Eccleſiarum curam gerebat, aliam faceres tam a diœceſi vicarij vrbis, quam ab vrbicaria regione præfecti vrbi, qui prouincias curabant ſuburbicarias. ergo quantum de iudicio tuo poſſum iudicare, ſuburbicariæ Eccleſiæ ſeorſim ſuos certoſque fines habuere, prouinciæ vero ſuburbicariæ ſeorſim item ſuos, eoſdemque ſemper, ſed diuerſos a ſuburbicariarum Eccleſiarum finibus. Atqui hoc in vtriſque falſiſſimum eſſe quilibet deprehendat. iam tibi ſupra oſtendimus, ſuburbicarias Eccleſias, ſi eo ſenſu accipiantur, quo eas accipi vis,

licet eodem nomine, licet sub eodem præsule, non tamen easdem semper fuisse, sed alias atque alias notiones ac terminationes accepisse, pro varietate scilicet relationis. quid enim? an non aliæ fuere suburbicariæ Ecclesiæ quas Papa tanquam episcopus vniuersalis regebat, aliæ quas tanquam Patriarcha, aliæ porro quas vt primas, aliæ quas vt metropolitanus curabat? Has iuxta tam diuersas acceptiones Romana prouincia suas Ecclesias habuit suburbicarias, habuit & suas Italia, totus Occidens habuit suas, nec minus & vniuersus orbis, cuius & suæ fuere suburbicariæ. sic nulla in toto orbe Ecclesia fuit, quin fuerit suburbicaria, non tamen eadem ratione nominis, nec eadem relatione. nihil tam vagum est, nihil æque motorium & incertum, quam isthæc tuarum Ecclesiarum suburbicarum appellatio, hoc sensu accepta. De prouinciis suburbicariis an quid secus est, quas tamen ab Ecclesiis suburbicis distinguis? immo res eadem prorsus est, eadem varietas in illis & incõstantia finium notionumque. Nam prouincias suburbicarias, heic & in Censura, censes alias fuisse quæ sub præfecto vrbis, alias quæ sub vrbis vicario, & plures istum, paucio- res illum sub sua dispositione habuisse: atque ita suburbicarias prouincias pro varietate rerum & magistratuum vrbicorum, modo laxiores, modo strictiores fines possedisse. quid igitur diuersas tibi facere libuit Ecclesias suburbicarias a prouinciis suburbicariis? nonne tibi licuit easdem faciendo, diuersas tamen illis notiones & terminos assigna-

re? sic neque bene effecisses quod optabas, vt alia esset nimirum diœcesis episcopi vrbis, qui suburbicarias Ecclesias, alia vicarij vrbis aut præfecti qui suburbicarias regebat regiones. sed hoc longe a tuis viribus abest, vt efficere possis, ex duobus diuersis earumdem regionum, suburbicarum vt puta, rectoribus, alter vt pauciores, numero plures alter in sua potestate suburbicarias rexerit; alter ampliores, breuiores alter iurisdictionis ac potestatis terminos habuerit. quod idem plane est, ac si quis dixerit Proconsuli Africæ, & prouinciæ eiusdem procuratori diuersos iurisdictionis ac potestatis fines fuisse datos; nec eosdem in eadem prouincia administranda limites habuisse constitutos Siciliæ Consularem, & qui per camdem Siciliam rem priuatam principis procurabat. nec enim minus a loco dictæ sunt, & suis finibus circumscriptæ fuere suburbicariæ regiones quam Africanæ, quam Ægyptiacæ, & Siculæ, aliæve quælibet prouinciæ. Heic tamen me interrogas cur episcopi vrbis & præfecti vrbis, & vicarij vrbis, & aliorum si qui ab vrbe nomen ducunt, eosdem potestatis ac iurisdictionis terminos esse iubeam. quidni ego iubeam si iubere meum sit, & si sit verum suprascriptos omnes magistratus easdem suburbicarias rexisse? Rationalis erat rei priuatæ per vrbem & suburbicarias: procurator rei priuatæ per vrbem & suburbicarias: præfectus vrbis erat, & suburbicariarum regionum: Episcopus Romanus, episcopus vrbis fuit, & metropolita Ecclesiarum subur-

bicariarum: quidni ego censeam sanciamque harum omnium suburbicariarum eosdem omnino terminos ac fines fuisse? an tu potes aliter sentire? si tibi vel gutta sensus communis adesset, haud aliter sentires. Vicarius vrbis suburbicarias quidem & ipse sub sua dispositione, sed non solas habebat. nam præter eas aliquammultas etiam prouincias administrabat, quæ non erant suburbicariæ. suburbicariæ igitur regiones cum a loco appellationem mutuatæ fuerint, cum ab vrbis vicinitate ita dictæ sint, situm mutare non possunt pro varietate rerum & hominum ad quas referuntur, & a quibus reguntur, nec ad longinqua transferri. Equidem hoc a me scribi videre te dicis, sed contra me, sed contra coniectorem. quid ita contra me, quid contra illum, dic amice, nam ego iam te in amici
„ loco habeo post Aduentoriam. Vmbriam, inquis,
„ quæ vrbi proxima est, de suburbicariorum numero
„ expunxisti, Picenum suburbicarium agnoscis, Vm-
„ briam negas, quæ tamen vrbi vicinior est quam
„ Picenum. An hæc tibi sola causa est quare fateri nolis suburbicaria ex eo dicta esse quod circa vrbem, & sub vrbe sint? magna profecto causa, dignaque quam faceres magni, vt propterea de vera suburbicariarum appellatione nobis assentiri non posses. sed si istic errauimus, Sirmonde, quod Vmbriam vrbi vicinam regionem, suburbicariam tamen non fecimus; ne quid causæ possis dicere, suburbicaria iam fiat, & in suburbicariarum numerum reponatur, & pro quattuor suburbicariis

quinque deinceps numerentur. an hoc ſat habebis? vnus adhuc reſtat tibi ſcrupulus. Picenum, inquis, « quod ab vrbe paulo longius erat remotum, quam « Vmbria, ſuburbicarium agnoſcitis. magnum hoc « peccatum fateōr eſſe ſi verum eſt. ſed verum ſit: an ideo ſuburbanum, & vrbi vicinum non dicetur Picenum, quod licet extra centeſimum milliare ſitum, ad ipſos tamen centeſimi fines poſitum fuit? atqui & Lucaniam longinquiorem, quam Picenum eſt, & ab vrbe magis diſſitam, vicinam tamen vrbi vocat Nouella Theodoſij *de ſuariis, boariis, pecuariis.* verba Nouellæ: *de vicinis prouinciis id eſt Lucania, ſex millia quadringentorum, Campania* M. DCCCCL. Cicero & Florus *Siciliam ſuburbanam* appellant: at Picenum longe magis ſuburbanum quam Sicilia, & ex vero magis ſuburbicarium appellari queat. Verum hoc nihil eſt. iſtoc ego non vtar. nihil enim pro nobis facere poſſit, qui ſuburbicarias omnes intra centeſimi cancellos compegimus. quamobrem Picenum niſi intra centeſimum eſt, fruſtra nobis ſuburbicarium eſt. quin fuerit, nunc nemini liceat dubitare, poſtquam oſtendimus, quidquid Piceni agri intra centeſimum fuit, quidquid Vmbrorum regionis, & Vilumbrorum, cum toto Sabinorum territorio, ſuburbicarij Piceni nomine fuiſſe comprehenſum. ſic Vmbriæ pars quæ intra centeſimi fines erat, Piceno adiecta eſt, & ex illa Vmbriæ parte, & vniuerſa Sabinorum regione factum Picenum ſuburbicarium. ideo ſuburbicariam Vmbriam nullam agnouimus, quia nulla vnquam hoc

nomine nota fuit. ſuburbicarium vero Picenum hoc cognomine cognitum & ipſi agnoſcere coacti ſumus, quod Vmbros & Sabinos qui intra centeſimum erant, complectebatur. id abunde ſuperiore libro docuimus. quare ſi nihil habes niſi hoc, quo ſuburbicarias eaſdem cum ſuburbanis regionibus fuiſſe neges, vt res eſt, ne id quidem nunc habes. Nunc igitur, quod alios iubes, tacere ipſe debes. ſed hoc iam nimis ſerum eſt, cum pudori, tum famæ tuæ. vtrique conſultum iuiſſes, ſi de hac re nunquam mutiuiſſes.

Scripſeram porro, incertum & ambiguum fore, quas Eccleſias ſuburbicarias dicat Ruffinus, ſi vllas ita accipi placeret, quæ extra ſuburbicarias prouincias eſſent. inane illud eſſe, inanilogus ipſe argutaris. quid ita? *quaſi vero,* inquis, *Ruffini ætate ſuburbicariarum Eccleſiarum obſcurius nomen fuerit quam prouinciarum.* Quaſi vero, inquio ipſe, Ruffini ætate, ſuburbicariæ vllæ Eccleſiæ fuerint extra eiuſdem nominis prouincias, aut quaſi aliæ ſic dici potuerint, præter eas quæ in prouinciis ſuburbicariis erant conſtitutæ. Concedo tibi non obſcurius Eccleſiarum ſuburbicariarum nomen fuiſſe, quam prouinciarum; nullum quippe inter eas diſcrimen, niſi quod aliud Eccleſia eſt, aliud prouincia, & plures Eccleſiæ in vna prouincia. Ceterum ſi cui notæ prouinciæ ſuburbicariæ, notum eidem, quæ in illis prouinciis erant Eccleſiæ, ſuburbicarias fuiſſe. Viciſſim nemo ſuburbicarias Eccleſias audit, quin ſtatim intelligat prouinciarum ſuburbicariarum

Ecclesias illas esse. nihil hoc modo obscurum, aut ambiguum, nec in Ecclesiis nec in prouinciis suburbicariis. si cui vero, idem quod tibi, distinguere nimirum ac disiungere placeat suburbicarias Ecclesias a prouinciis eiusdem nominis, idem prouincias suburbicarias distinguat a prouinciis suburbicariis necesse est, & suburbicarias item Ecclesias ab Ecclesiis suburbicariis discernat. suburbicariæ quippe tuę Ecclesię, quas a prouinciis suburbicariis separas, prouinciarum quarumdam Ecclesiæ scilicet fuere, quas prouincias & ipsas suburbicarias oportet fuisse: suburbicariæ vero prouinciæ nostræ, Ecclesias & illæ quasdam habuere, quas Ecclesias ipsas quoque dici posse suburbicarias, ac etiam sic dictas esse, nemo est qui ambigat. sic & prouincias habebimus suburbicarias a prouinciis eiusdem nominis penitus diuersas, & Ecclesias similiter suburbicarias, quæ re ipsa non erunt eædem cum Ecclesiis suburbicariis, licet eædem sint appellatione. quo quid obscurum magis, quid magis ambiguum & incertum dici potest? Finge vero Ruffinum pro suburbicariis Ecclesiis dixisse prouincias suburbicarias: quis autem dubitet quin sic dicere potuerit, immo etiam debuerit, si quidem Occidentales omnes Ecclesias intellexit? plures enim in Occidente non Ecclesiæ solum, sed etiam prouinciæ Ecclesiasticæ, sed etiam integræ solidæque diœceses. dixerit igitur Ruffinus prouincias suburbicarias sub cura episcopi vrbis fuisse; quis tempore Ruffini potuit alias prouincias intelligere, quam

quæ paſſim apud auctores illius temporis, cum in Codice Theodoſiano, tum in vtriuſque imperij Notitia ſuburbicariæ regiones appellantur, & ſuburbicariæ prouinciæ? produc aliquem ſi potes, erue, profer auctorem vel Ruffino contemporaneum, vel anteriorem, vel poſteriorem, qui ſuburbicarias prouincias eo ſenſu vſurpauerit, quo tu Ruffinum tibi fingis vſurpaſſe. ſi Ruffini ætate non aliæ prouinciæ ſuburbicariæ cognitæ, quam quas diximus, Ruffinum oportet, aut id vocabuli in hac ſignificatione finxiſſe, aut iam facto & vſitato nouam ſignificationem affinxiſſe. Nouum verbum finxiſſe ad Occidentem deſignandum nullo modo veriſimile eſt, cum in promptu haberet vſu trita notaque vocabula: cum Occidentem dicere poſſet, aut Occidentales Eccleſias, prouinciaſque, quiduis denique potius quam ſuburbicarias iſtas, hoc ſenſu obſcuras & incertas. Noto vocabulo nouam notionem attribuiſſe, id vero longe minus credibile eſt. ſuburbicariæ prouinciæ dicebantur ſuburbanæ, id eſt ſub vrbe ſitæ, & vrbi circumiacentes. at ſi per ſuburbicarias intellexiſſet Ruffinus Occidentales, & hanc vocem in hoc ſignificatu vſurpaſſet, tum ſuburbicariæ ipſi eſſent non ſuburbanæ, vt ratio vocabuli poſcebat, ſed ſub vrbico Papa poſitæ regiones, & ipſius regimini ſuppoſitæ. quod contra vſum, contra rationem eſt Latini ſermonis. Sed demus tibi, Latine & eleganter appellari potuiſſe ſuburbicarias quæ ſub vrbis erant epiſcopo, τὸ πολύσημον huius vocis in hac

ſignifi-

ſignificatione ſumptæ nonne potuit deterrere Ruffinum ne ea vteretur, ad eam rem deſignandam, quam certo, vt ipſa certa erat, vocabulo debuit deſignare? ſpecialem epiſcopi Romani diœceſin, hoc eſt patriarchalem hac voce voluit Ruffinus exprimere. atqui vox iſta ſic accepta non magis ſpecialem eius diœceſin quam vniuerſalem exprimit: non minus patriarchalem quam metropolitanam: metropolitanam denique non minus quam primatianam: nec minus poſtremo prouinciam Romanam denotare poteſt quam Italiam, nec Italiam minus quam totum Occidentem, nec minus Occidentem quam vniuerſum orbem. Has omnes ſignificationes & accipiunt & accipere ſunt idoneæ, ſuburbicariæ prouinciæ hac notione poſitæ. præterea ſuburbicariæ etiam prouinciæ fuerint illæ, quas ab vrbis vicario fuiſſe dictas obſtinato animo pertendis. quarum prouinciarum complexio, nullomodo quod ad prouincias ipſas & prouinciarum numerum attinet, conuenire poteſt cum prouincia metropolitana epiſcopi Romani, vel cum primatiana, multo minus cum patriarchali, & vniuerſali. ſic igitur infinite obſcurum erit & incertum, quas Eccleſias ſuburbicarias dixerit Ruffinus, ſi aut alias Eccleſias accipi placeat, quam quæ in prouinciis erant ſuburbicariis, aut alias prouincias ſuburbicarias intelligi quam quas certum eſt ad præfecti vrbis iuriſdictionem pertinuiſſe, & in vrbico territorio ſitas fuiſſe. vnde & vrbicariæ ſunt dictæ, vt ſuburbicariæ de vrbis vicinitate. quod ex

iis quæ diximus ita constat, vt nullum verum sit verius, nullum certum certius. Addis postremo,
„ quemadmodum præfecti vrbis & vicarij vrbis po-
„ testas quos fines haberet, ignorari non poterat, ita
„ episcopi Romani specialis diœcesis quovsque per-
„ tineret, exploratum itidem ac ratum, Ruffini tem-
„ poribus scilicet, fuisse. nec de isto mihi tecum diuidia est, aut contentio. fateor hoc totum. sed exploratum etiam tunc ac ratum erat, quid essent, aut quæ dicerentur prouinciæ suburbicariæ. non alias autem fuisse, quam quæ intra centesimum ab vrbe, & iurisdictionis vrbanæ præfecturæ fines, vrbicique territorij comprehensæ essent, id etiam ratum & exploratum esse debet. si quis igitur specialem episcopi Romani diœcesin iisdem notis, ac regionum nominibus designarit, quibus designari solebat vniuersum præfecti vrbis territorium, easdemque regiones assignarit speciali eiusdem diœcesi, quæ vulgo præfecti vrbis territorio iurisdictionique consuerunt assignari, quis dubitet, quin eosdem fines constitutum eat, vtriusque potestatis, præfecturæ inquam vrbanæ, & episcopi vrbani diœceseos? Hoc fecere antiqui Latini interpretes sexti Canonis Synodi Nicenæ, qui in speciali episcopi Romani diœcesi exponenda *suburbicarias Ecclesias*, vel *suburbicaria loca*, vel *ciuitates circum vrbem* episcopo Romano pro diœcesi speciali siue prouincia attribuerunt. iisdem locis & regionibus suburbicariis terminabatur tota præfecti vrbis iurisdictio. sic & Romanam prouinciam, quæ sub

vrbis episcopo, & vrbicariam siue Romanam regionem, quæ sub vrbis præfecto, iisdem limitibus ac finibus circumscriptam fuisse oportet, quandoquidem iisdem locorum nominibus signanter significanterque ab auctoribus vtraque descripta est.

Sed errare me vehementer affirmas, si aut Synodo Nicenæ aut Ruffino qui Synodum interpretatus est, propositum id fuisse censeo, vt Romanæ diœceseos partem vllam nominatim exprimeret. Profecto, Sirmonde, si ita censeo, si ita censui, merito succenses, nec quicquam causari possum, quo errorem excusem, aut castigationem recusem. sed si vicissim nihil tale vnquam scripsi, nihil tale sensi, quid causæ possis dicere, quin falsi tam manifesti reus, pro falsario & impostore pœnas merito mihi dare debeas? vin igitur hoc paciscamur, & pactam fidem seruemus? ita sane lubet. aut ego insigniter falsus sum, aut tu insignis es falsarius. vel me ratio fugit, vel te fides. vtrum verius sit, mox patebit. Hoc me dicis dicere, Synodum assignauisse Ægypti prouincias Alexandrino episcopo: debuisse ergo & Romano certas adscribere. Egone isthæc scripsi? ego scribere quiui? cur paginam non adscripsisti, sicut aliis in locis soles? cur locum non indicasti? euoluatur & reuoluatur tota ad amicum Epistola, si quidquam in ea tale dictum a me scriptumve reperietur, tum ego te, quod negaui semper, oris & animi probi virum esse non inuitus fatebor. Ex illis tamen verbis, quasi mea sint, quæ

fingis esse, quam oscitanter verba Synodi legerim, quam parum mentem eius assequutus sim, demonstrare conaris: sed conatus hic ibit in neruum, vt tu dignus es in neruo esse, propter tam improbum & impudentem conatum. quam vero non oscitanter sextum illum canonem legerim, & quam non praue intellexerim, fidem faciet interpretatio mea heic subiecta ex Epistola ad amicum pag. CVII. sic igitur ibi verba mentemque Synodi sum interpretatus: *Hinc Niceni Concilij patres cum de constituenda Alexandrini episcopi diœcesi in illo Concilio agerent tractarentque, eam ad typum & exemplar Romanæ constituerunt, & decreto suo sanxerunt, quod in sexto canone eiusdem Concilij habetur, vt idem mos antiquus in tota Ægypto obtineret, qui Romæ obtinebat, hoc est vt idem iuris, idemque potestatis haberet Alexandrinus episcopus in Ægypto, Libye, & Pentapoli, quod in sua prouincia habere ex antiquo solitus esset vrbis Romæ episcopus;* ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνῆθές ἐστιν· *quoniam hoc consuetum est Romano episcopo,* ἐξουσίας *scilicet habere omnis suæ prouinciæ. quænam illa prouincia fuerit, non exprimitur verbis illius canonis. Græcis enim notissimum tunc temporis id erat. At Ruffinus presbyter Aquileiensis, in huius canonis expositione nominatim eam expressit, & ex mente canonis, sicuti Ægypti regimen Alexandrino episcopo assignauit, sic Romano suburbicariarum Ecclesiarum curam, & sollicitudinem attribuit.* Hæc ipsissima mea verba sunt, quibus sextum illum Synodi Canonem exposui. hæc ad litteram mea expositio, tota est, qualis posita est in amici Epistola. Nunc

vide ſi quid habes, quod in ea naſo tuo diſpliceat, & an ex ea tibi liceat arguere, quantumlibet argu-teris, cenſere me Synodo propoſitum fuiſſe vt Romanæ prouinciæ partem vllam nominatim me-moraret. quis ignorat, id in eo Concilio minime tunc agitatum fuiſſe, nec ea de re actum, vt certa prouincia Romano epiſcopo aſſignaretur? immo ad exemplum typumque Romani epiſcopi pro-uinciæ, quæ tum certa erat, nec a quoquam turba-batur, ſuam epiſcopo Alexandrino diœceſin con-ſtituerunt illi patres & ſtabiliuerunt, propriamque & certam ex incerta reddiderunt. Nam eam turba-bant Meletiani, & multa ſibi in ea diœceſi adro-gabant contra iura ac priuilegia epiſcopi Alexan-drini, preſbyteros ac diaconos & epiſcopos paſſim inſtituendo, & Eccleſias erigendo. Parem igitur poteſtatem epiſcopo Alexandrino per omnes Ægypti prouincias confirmarunt, quam habere ex antiqua conſuetudine ſolitus erat in ſua prouincia, hoc eſt in Romana, epiſcopus Romanus. Synodus eam nominatim non expreſſit, quid enim opus erat exprimere, quæ notiſſima tunc omnibus erat? Hæc omnia dixi in mea interpretatione. quid igi-tur me dixiſſe mentiris, Synodo & Ruffino fuiſſe propoſitum partes Romanæ prouinciæ nomina-tim exprimere, & certas prouincias aſſignare epi-ſcopo Romano, ſicut certas aſſignauerat Alexan-drino? cur Ruffinum cum Synodo coniungis, cuius in re pari diſpar propoſitum fuit? Synodus prouin-ciam epiſcopi Romani, nominatim non expreſſit;

nec enim exprimere habuit necesse, quam satis habuit designasse. Ruffinus autem, qui Synodi verborum interpres erat, vt munere interpretis fungeretur, cuius est, non solum si quæ sunt obscuriora explicare, sed etiam quæ per se clara sunt, dilucidius exponere, nominatim speciatimque id expressit, quod Synodus tantum subintellexit. nec enim Synodus vllam ibi prouinciam episcopi Romani nominauit, tantum abest vt partem eius vllam nominatim commemorauerit aut commemorare debuerit: quippe quæ sic loquatur: ἐπειδὴ καὶ τῷ τῆς Ῥώμης ἐπισκόπῳ τοῦτο συνῆθές ἐστι. quod licet paulo obscurius conceptum, de prouincia tamen dictum accipi debere notum erat, vt scilicet id moris habuerit in sua priuincia episcopus Romanus. cum igitur certum esset de prouincia, siue diœcesi speciali episcopi Romani Synodum intellexisse, Ruffinus id clare exposuit, & Synodi mentem in aperto posuit, & prouinciam illam quam Synodus intellexit, suburbicariarum Ecclesiarum nomine signanter expressit ipse. vt scilicet sic totius Ægypti curam sollicitudinemque gereret Alexandrinus episcopus, cum pari potestate, qua suburbicarias Ecclesias curare ex antiquo cõsuesset episcopus Romanus. apposite omnino ad Synodi mentem. igitur *suburbicariæ Ecclesiæ*, siue *suburbicaria loca* sic omnem episcopi Romani prouinciam secundum Ruffinum & illum alterum Vaticanum interpretem constituebant, vt Ægyptus, Libye & Pentapolis totam Ægyptum, siue Ægyptiacam

diœcesin. sed quemadmodum cum Ruffinus Ægyptum Alexandrino episcopo administrandam tribuit, certam diœcesin, certisque finibus circumscriptam denotat; sic regiones siue Ecclesias suburbicarias cum assignat Romano episcopo pro sua prouincia, certis illas finibus determinatas oportet fuisse, vt certam prouinciam designarint, cui soli nomen istud suburbicariarum conuenire possit. Nam si suburbicariæ istæ Ecclesiæ de alia atque alia prouincia vel diœcesi sumi queant, quid erit certi in expositione Ruffini? nemini tunc ignotum erat, quot & quas prouincias Ægyptus contineret, extra quam nullæ aliæ vspiam extabant Ægyptiacæ prouinciæ. ita esse omnino debuit, & de illa prouincia quam suburbicariæ Ecclesiæ constituebant, vt certa fuerit, & certis regionibus circumscripta, tum vt nullæ extra eam alibi extiterint Ecclesiæ suburbicariæ. Quod si vero Ecclesiæ suburbicariæ eo sensu accipiantur quo tibi placet accipi, nulla erit tam magna vel tam parua prouincia vel diœcesis, quam non istæ suburbicariæ ita sumptæ significare possint: nulla pars erit Italiæ, nulla pars Occidentis, nulla pars orbis quin sub hanc appellationem cadere queat: tota immo Italia, totus Occidens, totus orbis erit suburbicariarum, erit suburbicarius. Sed quæris in Ægypti voce an nihil putem esse ambigui? Ego quæro quid in ea voce putes ambigui fuisse. Ægyptus nunc tota diœcesis dicebatur, quæ Libyam simul & Pentapolin comprehendebat: nunc sola pars eius quæ proprie

Ægyptus eſt appellata. Hoc verum eſt, Sirmonde, ſed illud falſum, quod dicis, hoc me ignoraſſe. illud ipſe potius neſciſſe videris, Ægyptum cum ſola dicitur, totam intelligi; cum Libye & Pentapoli diſtinguitur, partem Ægyptiacæ diœceſeos ſignificari. ſic Thracia cum ſola nominatur, totam Thraciam diœceſin complectitur. cum vero inter alias eiuſdem diœceſis partes Thracia numeratur, non tota, ſed pars tantum intelligitur: nam prouincia quædam Thraciæ ſic etiam proprie dicta eſt. idem eſt de Africa, cuius ſex fuere prouinciæ, quarum vna vocabatur Africa, cum tamen omnes Africæ nomine comprehenderentur. ita igitur & de Ægypto. quippe Ægyptus, modo partem Ægyptiacæ diœceſeos, modo totam ſignificat, ſed cum illa diſtinctione quam poſuimus. nam cum ſola ponitur, haud dubium eſt quin de tota accipiatur. quamobrem cum Ruffinus Ægyptum dixit, haud dubitari poteſt quin de tota intellexerit, quæ per partes exponitur in ipſo Canone Niceno. idque fecit more etiam Græcorum, qui Ægyptum cum ſolam nominant, de tota Ægypto intelligunt, quæ Ægyptum & Libyam & Pentapolin comprehendebat. Canon idem ille Nicenus vt a Paſchaſino recitatus eſt in eodem Concilio, act. XVI. *ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα. ἐχέτω τοιγαροῦν καὶ ἡ Αἴγυπτος, ὥστε τὸν ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας πάντων ἔχειν ἐξουσίαν.* Ita etiam recitatum eſt ab Aetio Archidiacono: *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας πάντων ἔχειν ἐξουσίαν.*

Canone

Canone II. Concilij Constantinopolitani: τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας, ἀλλὰ κατὰ τοὺς κανόνας τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν. per Ægyptum numquid intelligit totam Ægyptiacam diœcesin, hoc est Ægyptum, Libyam & Pentapolin? Canone xxx. Concilij Calchedonensis: ἐπειδὴ οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι τῆς Αἰγύπτου οὐχ ὡς μαχόμενοι τῇ καθολικῇ πίστει, ὑπογράψαι τῇ ἐπιστολῇ τοῦ ὁσιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Λέοντος, ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀνεβάλοντο, ἀλλὰ φάσκοντες ἔθος εἶναι ἐν τῇ Αἰγυπτιακῇ διοικήσει παρὰ γνώμην καὶ διατύπωσιν τοῦ ἀρχιεπισκόπου μηδὲν τοῦτο ποιεῖν. vetus versio secundi Canonis Constantinopolitani: *vt episcopus Alexandrinus solam Ægyptum gubernet.* per solam Ægyptum, omnes Ægypti prouincias complexus est. ita igitur & Ruffinus Alexandrinum episcopum Ægypti sollicitudinem gerere dixit, & totius Ægyptiacæ diœceseos intellexit. quid istic ambigui est? quid obscuri? quis hęc potest hærere? quis errare? *Sed profecto*, inquis, *cautior te atque intelligentior fuit Ruffinus: sciebat nimirum Ægypti & suburbicariarum ambigua esse vocabula.* profecto parum ipse cautus es, atque intelligens, si putas illum ambiguis vocabulis rem certam exponere voluisse, aut recte potuisse. Verum ille longe te doctior fuit & prudentior, qui non ignorauit, & Ægypti & suburbicariarum vocabula, certam ac definitam habere significationem, vt certos statosque fines habuere. tu vero inscitus & indoctus, si hoc nescis, aut malignus, & improbus, si dissimulas. sed ambi-

guitatem harum duarum vocum, quam parem esse vis, comparemus inter se, Ægypti inquam & suburbicariarum, vt videamus vtrum ex æquo ambiguæ, aut vtra magis ambigua fuerit. *Ægyptus*, inquis, *nunc integra est diœcesis, nunc vna eius pars tantum.* Dico tibi tunc partem esse tantum, quoties cum aliis partibus enumeratur; ceterum cum per se sola ponitur, semper pro tota non pro parte solere sumi. Vbinam, quæso te, ambiguum illud est, quod in Ægypto quærebas? vt vt sit, Ægyptus nihil vnquam minus quam partem Ægypti, nihil plus quam totam significauit. Extra Ægyptum vero nulla Ægyptiaca prouincia. Nunc quot modis dictæ fuerint, aut dici potuerint Ecclesiæ suburbicariæ, temetipsum sinam dicere. dic igitur, iam togam composuimus, & aures substringimus: *suburbicariæ Ecclesiæ dici possunt, tum eæ priuatim quæ in vrbe, vrbisque sunt episcopatu; tum eæ item quæ prouinciæ Romanæ ambitu continentur; tum eæ postremo quæ solidam episcopi Romani diœcesin, & patriarchatum constituunt.* Cur eas omisisti quæ Italiæ hoc est primatiana eius diœcesi continentur? numquid illæ minus suburbicariæ? quid non eas addidisti, quæ vniuersalem eius diœcesim constituunt, hoc est totius orbis suburbicarias? an minus tibi suburbicariæ videntur, quæ sunt sub vrbis episcopo, quatenus est orbis vniuersi episcopus, quam illæ quæ sub eodem sunt, quatenus est Italiæ primas, aut Occidentis patriarcha? cur postremo illas præteristi suburbicarias, quæ in suburbicariis pro-

uinciis erant constitutæ? censesne in suburbicariis regionibus quæ vicario vrbis, vt censes, parebant, nullas Ecclesias fuisse? Non dubium est quin his omnibus, & pluribus etiam modis Ecclesiæ suburbicariæ dici possint. Sed cum de earum nomine quæstio sit, cur dicis ita eas dici posse? cur non dicis, ita dictas esse? multum est discriminis, inter id quod est, & quod esse potest. quinimmo multa non sunt, quæ nec esse possunt. Hoc de tuis suburbicariis licet affirmare, nunquam ita dictas esse, nec dici etiam potuisse. Iam vero illud magno non emptum nollem, tanti mihi visum est, quod quæ in vrbe sunt Ecclesiæ, suburbicarias etiam facis. censen potuisse me risu temperare, cum hoc legerem? dicito quod volueris, haud quiui mihi imperare ne riderem. miratus olim nec sine risu fueram, quod suburbicaria & suburbana Romæ loca, tam procul ab vrbe remouisses, & ad extremos vsque orbis angulos promouisses. nunc re in contrarium versa, non minor, sed maiore cum risu admiratio me incessit, quod suburbanas cum suburbiis ipsis Ecclesias in media vrbe ponas, vrbemque adeo ipsam suburbanam facias. nihil igitur erit discriminis inter vrbis & suburbiorum Ecclesias. suburbicariæ enim vtræque dicentur. Nunc si centies ineptum ac futilem te vocarem, centies quidem verum dicerem: sed quum sexcenties talis sis, nihil plus facerem, nihilque hoc ad rem faceret. conuitiis igitur parcam, & quæ te digna sunt aliis æstimanda relinquam. Nunc de via in semitam regre-

diamur. Diximus omnes Ægyptiacas prouincias intra Ægyptum ſtetiſſe, nullam extra Ægyptum Ægyptiacam prouinciam fuiſſe. De ſuburbicariis an idem dici queat, experiamur. Præter eas, quæ in vrbe, ſuburbicarias Eccleſias, multæ extra vrbem fuere ſuburbicariæ, in vrbis nempe epiſcopatu, & in ipſis ſuburbiis poſitæ. præter has vrbis & ſuburbiorum Eccleſias, ſuburbicariæ & illæ ponendæ ſunt, quas prouincia Romana ambitu ſuo comprehendebat. Extra Romanæ prouinciæ ſuburbicarias, pedem pones in ſuburbicariis Italiæ. Omnis Italiæ ſuburbicarias egreſſo, occurrent tibi, Galliarum ſuburbicariæ, Illyrici, Africæ, Hiſpaniarum, Britanniarum, totius denique ſuburbicariæ Occidentis. poſtquam ab his Occidentis ſuburbicariis exieris, tum tibi aditus patebit, ad Aſianas, Thracias, Ponticas ſuburbicarias, ad Orientis & Ægypti, totius poſtremo ſub vtroque ſole iacentis orbis ſuburbicarias. ſic omnes vniuerſi orbis prouinciæ ſuburbicariæ ſunt, quia ſub vrbico Papa ſunt, ſed diuerſo modo. aliter enim totus orbis ſuburbicarius eſt, quam totus Occidens: aliter Occidens, quam tota Italia: aliter Italia quam tota prouincia Romana: aliter prouincia Romana, quam totus epiſcopatus vrbis: aliter epiſcopatus vrbis quam vrbs tota. nam & ipſa quoque ſuburbicaria. Præterea alio etiam modo appellatæ vel appellandæ ſuburbicariæ, quæ in ſuburbicariis regionibus præfecto vrbis, & vicario vrbis ſubiectis, erant ſitæ. Igitur quum tantus ſit numerus & tam

variæ ſpecies ſuburbicariarum, quum tot modis ſumatur, ac tot ſignificationibus varietur earum appellatio, nihil plus tamen in eis ambigui ſubeſſe affirmas, quam in Ægypti appellatione. ridere potius an tui miſereri debeam neſcio: poſtquam vtrumque ad ſatietatem feci, mirari tamen ſatis non poſſum, quod vtroque te dignum alternis præbeas, modo riſu, modo commiſeratione. An nihil ſit in ſuburbicariis ambigui, nunc vel ex iſtis cognoſce quæ ego dicam. Iuxta tuam illam tam variam ac variegatam ſuburbicariarum notionem, omnes Ægyptiacæ diœceſis Eccleſiæ ſuburbicariæ etiam dici queant, haud minus quam Occidentis; tota enim Ægyptus ſub vrbico Papa, quatenus ille eſt vniuerſi orbis epiſcopus. cur igitur ſuburbicarias Eccleſias quaſi proprias tribuit epiſcopo Romano Ruffinus, aut cur Ægypti Eccleſias a ſuburbicariis diſtinxit? Dices, eo diſtinctas ſatis intelligi, quod Ruffinus de ſpeciali diœceſi epiſcopi Romani, quæ Occidens eſt, intellexerit; Ægyptus autem non intra ſpecialem eius diœceſim fuerit, ſed intra vniuerſalem. Dubitandi tamen & ambigendi amplam heic materiem vides, & plus quam iuſtam rationem. nam ſuburbicariæ non minus appellari merentur quæ in diœceſi vniuerſali Papæ ſitæ fuere, quam quæ in ſpeciali. nec minus Ægypti omnes Eccleſiæ ſuburbicariæ ex merito fuerint appellandæ, quam Italicæ, aut Romanæ, aut Occidentales. quippe quum omnes ex æquo ſub vrbico Papa fuerint. Tu vero perinde ac ſi certa foret ac

fixa suburbicariarum appellatio, suburbicarias de Occidente interpretaris, *quoniam hæc specialis*, inquis, *erat episcopi Romani diœcesis.* Hoc quam falsum sit alibi diximus, & adhuc dicemus. sed cur non de Italia potius liceat interpretari? Nam & hæc specialis quoque eius diœcesis, & vere quidem diœcesis fuerit, quæ plures prouincias Ecclesiasticas complectebatur. tu autem Italiam totam Papæ tanquam speciali suo primati subiicis. Cur non & de metropolitana eiusdem prouincia accipere possis istas suburbicarias? Hanc enim specialem Papæ diœcesim de Papis etiam vnus est qui facit, eamque intra Pisanam & Capuanam constituit. Vides etiam si certum sit, & canonem de speciali prouincia episcopi Romani intellexisse, & interpretes ita cepisse & exposuisse, non necessario tamen id sequi, aut Synodum de Occidente esse interpretandam, aut interpretes Synodi, qui suburbicarias episcopo Romano pro speciali diœcesi assignarunt, suburbicariarum nomine Occidentem designasse. Hoc tamen tibi placet, & stupidos omnes vis esse quicunque stupori tuo subscribere nolent. Ita igitur hoc caput concludis; clausulam enim ipsam tuis verbis totam, κατὰ λέξιν lubet subiicere: *In Niceni Canonis tractatione, vbi Ægyptus cum suburbicariis Ecclesiis, hoc est Alexandrina Ecclesia cum Romana comparatur, quemadmodum dubitare non potuit, quin Ægypti nomine Libyam quoque & Pentapolim ab eo comprehensam scirent omnes; ita neminem adeo stupidum putauit fore, qui suburbicarias Ecclesias aliud quam totius*

Occidentis Ecclesias omnes interpretandas censeret. Heus tu o iste, vt stuporis largus es! vt tu stupore abundas! nimium profecto liberaliter ac libenter hunc omnibus impertiris, præsertim cum nihil isthic de alieno, sed de tuo omnia largiaris. quid? an etiam illustrissimi, etiamne Cardinales hoc munere a te donati abibunt? stupidissimus ergo tuo beneficio, idem qui & illustrissimus Cardinalis Baronius. nec enim ille *suburbicarias Ecclesias* apud Ruffinum totius Occidentis Ecclesias omnes interpretandas censet. Hunc stupore etiam vicerit illustrissimus Cardinalis Perronius, qui suburbicarias Ecclesias, non de Occidentis, sed de totius vrbis Ecclesiis putauit accipiendas. At etiamnunc in viuis est, & diu sit, illustrissimus Cardinalis Bellarminus, qui duobus illis de stupore nihil concessurus videtur, quippe qui nec ipse magis quam illi suburbicarias de Occidente capiendas autumet, Balsamonisque & Zonaræ interpretationes vnus omnium maxime reiiciat, quæ Occidentem solum pontifici Romano subiiciunt. Aut tu igitur stupidus, aut tres suprascripti Cardinales. sed tu potius sis. minus enim interest reip. te talem esse, talemque videri, quam si illi tales haberentur. Et sane tuus tantus stupor est vt ipsum me plane dederit in stuporem. miror enim te ac omnino stupeo suburbicarias Ecclesias alias accipere potuisse quam suburbicariarum regionum Ecclesias, & regiones suburbicarias, & suburbicaria loca, aliter interpretari quam suburbana.

Sed iam tempus eſt, nodis omnibus ſolutis, quos in hac quæſtione de induſtria adſtrinxeras, & remotis remoris, quas obieceras, nunc plana ac patenti via ad verum euadere. ſuburbicariæ Eccleſiæ Ruffini non aliæ ſunt, quam ſuburbicariarum regionum Eccleſiæ: nec aliæ ſuburbicariæ regiones quam ſuburbanæ, vrbi nempe vicinæ regiones, & ſub vrbe vel circa vrbem ſitæ. ſic autem dictæ κατ' ἐξοχὴν & ἀντονομαστικῶς regiones omnes quæ intra centeſimum erant incluſæ. nullæ enim magis ſuburbicariæ, hoc eſt ſuburbanæ. eædem etiam vrbicariæ appellatæ, quod in vrbico territorio poſitæ eſſent, & ad iuriſdictionem præfecturæ vrbanæ pertinerent. Hinc Picenum vrbicarium, & ſuburbicarium idem: Tuſcia vrbicaria & ſuburbicaria apud auctores pro eadem. Hæ vrbicariæ ſuburbicariæque regiones Romanam regionem conſtituebant, cuius mentio apud Vopiſcum, & in veteri inſcriptione, quæ tota ſub præfecti vrbis iuriſdictionem fuit, tota intra centeſimum. Hæc eadem & vrbicaria dicebatur, vt conſtat ex leg. III. Cod. Theod. *tributa in ipſis ſpeciebus inferri.* quæ in ciuilibus Romana regio, eadem quoque in Eccleſiaſticis Romana prouincia. ſic enim Romana regio ſub præfecto vrbis, vt Romana prouincia, ſub vrbis epiſcopo. Hæc prouincia metropolitana fuit epiſcopi Romani, cuius Eccleſias omnes immediate curaret, epiſcopos conſecraret, qui nulli alij primati hoc eſt metropolitano ſubiecti erant, vt habetur in veteri Notitia. Prouinciam igitur metropolitanam

politanam epiſcopi vrbis; iam inde a primis & antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus, conſtitutam, & formatam fuiſſe conſtat, ad typum & inſtar Romanæ regionis, quæ præfecti vrbis iuriſdictioni ſuberat, vt Romana regio & prouincia eadem fuit, ſic eoſdem quoque fines habuit. Quemadmodum enim Romana regio præfecti vrbis ſuburbicariis regionibus determinabatur, ſic & Romana regio vel prouincia ſuburbicariis Eccleſiis, apud Ruffinum, & ſuburbicariis locis apud Vaticanum veterem interpretem definitur. eam prouinciam Romanam, τῶν Ῥωμαίων χωρίον vocat Ignatius in Epiſtola ad Romanam Eccleſiam: τῇ ἐκκλησίᾳ ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου τῶν Ῥωμαίων. quæ verba perperam falſi ſuſpecta habet vir vndequaque doctiſſimus. χωρίον τῶν Ῥωμαίων eſt regio Romanorum, vel regio Romana. ſic *regio Cypriorum* in actis Epheſini Concilij part. II. act. VII. ὁ τῶν Κυπρίων χωρίον, vt videtur fuiſſe in Græcis, vel Κυπρίων ἐπαρχία. Romana igitur regio & Romana prouincia, idem. vltra huius prouinciæ Romanæ fines, Romana Eccleſia non erat, nec dicebatur. Atque hæc ipſiſſima eſt Romana prouincia, cui vetus Notitia, ſed infimorum temporum, Marſos attribuit, Campaniam, Tuſciam & Vmbriam, ſuburbicarias omnes regiones hoc eſt ſuburbanas; etſi paulo latiores tunc videatur habuiſſe limites, his de cauſis quas in Epiſtola ad amicum explicauimus. Hæc eadem eſt ſpecialis prouincia epiſcopi Romani, quam Innocentius tertius inter Piſanam & Capuanam conſtituit. &

Ii

collocat. Quin de hac Romana, siue metropolitana episcopi Romani prouincia loqui voluerit Ruffinus, cum in expositione sexti Niceni Canonis suburbicarias Ecclesias Romano specialiter regendas, & curandas assignauit, minime dubium est. Id plane confirmat vetus Vaticanus eiusdem Canonis interpres, a te Sirmonde, sed contra te productus, qui *suburbicaria loca* vocat, quas Ruffinus *suburbicarias* Ecclesias, & suburbicariis illis locis, omnem episcopi Romani prouinciam determinat, & circumscribit. Verba eius hæc sunt, vt ea in Censura tua attulisti: *antiqui moris est, vt episcopus vrbis Romæ habeat principatum: vt suburbicaria loca, & omnem prouinciam suam omni sollicitudine gubernet.* prouincia episcopi Romani, Sirmonde, quænam illa est, nisi Romana? Romana prouincia quæ alia, nisi metropolitana? tua fide caue dixeris, sed bona, si potes, dic nobis, an prouincia Romana totus Occidens tibi videtur fuisse? an prouinciæ nomine totus Occidens venire posse? an hoc tibi conuenire videtur, vt totus Occidens prouincia dicatur, qui non solum infinitas pæne prouincias, sed etiam multas solidas diœceses ex pluribus constantes prouinciis contineret? De suburbicariis porro locis quid dices? vt prouincia vna tibi Occidens est, sic totius Occidentis prouinciæ omnes, suburbicaria tibi erunt loca? suburbanus Romæ locus erit Italia, erit Africa, erit Gallia, erit Germania? inter suburbana Romæ loca pones etiam Britanniam? quid enim aliud sunt suburbicaria loca,

quam ſuburbana? quæ *ſuburbicaria loca* dixit ille vetus interpres, *ſuburbana loca* vocantur apud auctores de Limitibus agrorum. *Latinus & Myrrontius togati auctores Auguſtorum, de locis ſuburbanis, vel diuerſis itineribus pergentium in ſuas regiones.* hic eſt titulus. ſequitur: *Aliquibus locis pro terminis monumenta ſepulcrane veteranorum conſtituimus.* ſic enim diſtinguendus eſt ille locus, qui vulgo confuſe legitur. Nunc lubet ex te quærere, ſi modo vigilas & veternum illum, quo merſus eras, excuſſiſti, an ſuburbicariorum locorum hoc eſt ſuburbanorum nomine, totum putes Occidentem ab illo interprete fuiſſe comprehenſum? Demus tibi, quod nemini dari poteſt, ſuburbicarias vel ſuburbanas fuiſſe totius Occidentis prouincias, cur non ille, prouincias dixit? cur loca nominauit, quæ prouinciæ fuere? idem de Ruffino quæri poſſit, cur Eccleſias dixerit, quas dicere debuit prouincias, ſi quidem totum Occidentem intellexit. multæ quippe prouinciæ, multæ diœceſes, non ſolum Eccleſiæ multæ. Vel ex eo maxime liquere cuilibet poteſt, vtrumque interpretem, Aquileienſem & Vaticanum, de metropolitana prouincia epiſcopi Romani, id eſt Romana, verba ſexti Canonis accepiſſe & expoſuiſſe, non de toto Occidente. in illa enim prouincia Romana, multæ Eccleſiæ, multæ ciuitates, & multa loca, ſed nulla prouincia ſacra. prouinciæ quidem erant multæ ciuiles in prouincia Romana; ſed quoties de epiſcopis ſermo eſt, tum demum prouinciæ eæ ſolæ intelliguntur, quæ Eccleſiaſticæ

ſunt, & multas ſub ſe ciuitates habent. Talis erat prouincia Romana, quæ prouincias quidem aliquot ciuiles complectebatur, vt Picenum ſuburbicarium, Tuſciam ſuburbicariam, & Valeriam, ſed Eccleſiaſticam nullam. nulla ſiquidem ex illis prouinciis metropolin habuit. ſic plures ciuitates, & Eccleſias, & epiſcopatus ſub ſe habuit prouincia Romana, nullas prouincias. ideo ſuburbicarias Eccleſias, cum de illa intelligeret, dixit Ruffinus; & *ſuburbicaria loca* Vaticanus interpres: *loca & ciuitates circa vrbem* Arabicus eiuſdem Canonis interpres. Nam vt tibi iam conſtare poſſit, ſi modo mens tibi ſtat, quo ſenſu Ruffinus in explicando Canone illo ſexto *ſuburbicarias Eccleſias* poſuerit, & *ſuburbicaria loca* tuus ille Vaticanus, dabimus qui te doceat, Arabicę verſionis Nicenorum Canonum vetuſtum auctorem. Quam verſionem Turrianus veſter ſtatim poſt Nicenam Synodum, ſtudio ac diligentia Alexandri Alexandriæ epiſcopi curatam fuiſſe vult. ideo tanti eam ille facit. quod an verum ſit, alibi ad veritatis fidem diſcutiemus: interim pro vero habeamus. Arabicus igitur ille de Græco interpres ſextum hunc Canonem ita vertit & interpretatus eſt. qui autem Canon in Græco ſextus eſt, ibidem octauus habetur. audi nunc ſis, & præparatas purgataſque aures adfer: *Conſtitutum eſt, vt epiſcopus Ægypti, id eſt, patriarcha Alexandrinus præſideat, & habeat poteſtatem totius Ægypti, & omnium caſtellorum, & ciuitatum quæ ſunt circum eam, quoniam ſic conuenit. Siquidem ſimiliter epiſcopus vrbis Romæ, id eſt*

ſucceſſor Petri Apoſtoli poteſtatem habet omnium ciuitatum, & locorum quæ circa eam ſunt. Ciuitates iſtæ, & loca quæ ſunt circa vrbem Romam, ſuburbicariæ an non omnino ſunt Ruffini Eccleſiæ, & ſuburbicaria loca Vaticani interpretis? quid ais, o magiſter? an tibi aliud videtur? & quiſquam adeo cæcus erit, qui hoc non videat, aut tam peruerſe malus, vt licet videns, diſſimulet tamen ſe videre? *ſuburbicariæ* igitur *Eccleſiæ*, ſunt ciuitates vel Eccleſiæ ſuburbanæ, ſub vrbe, vel circum vrbem poſitæ. *ſuburbicaria loca*, ſunt ſuburbana, vel vrbi circumiacentia. *ſubiacentes Romæ ciuitates* dixit Anaſtaſius in Stephano III. *inter hæc vero dum magna perſequutio a Longobardorum rege Aiſtulpho in hac Romana vrbe, vel ſubiacentibus ei ciuitatibus extitiſſet.* alibi, *adiacentia Romæ loca.* & in Hadriano, *populi Romani ſuburbana.* & in Stephano tertio, *caſtra Romæ ſubiacentia. & ſuæ iuriſdictioni ciuitatem hanc Romanam, vel ſubiacentia ei caſtra ſubdere indignanter aſſerebat.* Incertus auctor Hierarchiæ ſubcœleſtis nondum editus Eccleſiam, ſiue prouinciam Romanam ex populo Romano, & adiacente conſtare dicit lib. II. cap. II. *Apoſtolica vero ſedes dicitur etiam quandoque Romana Eccleſia, quia tam ipſe Petrus, quam coapoſtolus eius Paulus Romanum populum, & adiacentem in Dei fide, non tamen primo, vt dicit ad Corinthios, ſed principaliter doctrina & moribus inſtruxerunt.* Græci τὰ περὶ πόλιν χωρία, τὰς ὑπὸ πόλιν χώρας, τὰς πέριξ πόλιν ἐπαρχίας, huiuſmodi ſuburbanas vel ſuburbicarias regiones, vrbi ſubiacentes, circumiacentes, & adiacentes vocare conſueuerũt,

& vnica voce τὴν περίχωρον, τὴν περιοικίδα, vrbicariam vel ſuburbanam regionem, vt Latini dixere, de ea regione quæ circum vrbem Romam.

Iam vidimus quomodo Latini veteres interpretes ſextũ illum canonem Nicenæ Synodi expoſuerint. an aliter Græci antiqui accepere? prorſus eodem modo. Ariſtinus auctor Græcus, ac vetus canonum collector ſcripſit σύνοψιν τῶν ἱερῶν κανόνων, quam apud Caſaubonum olim vidi ex Regia Bibliotheca. Hunc ſextum Canonem in illa συνόψει ita ab eo conceptum legere eſt: Αἰγύπτου καὶ Λιβύης καὶ Πενταπόλεως ὁ Ἀλεξανδρείας ἐχέτω τὴν ἐξουσίαν. καὶ ὁ Ῥώμης τῶν ὑπὸ Ῥώμην, καὶ ὁ ἐν Ἀντιοχείᾳ καὶ οἱ λοιποὶ τῶν οἰκείων. Εἴ τις δὲ ἐπίσκοπος τῆς τοῦ πρώτου δίχα γένηται γνώμης, μὴ ἔστω ἐπίσκοπος. ἐπὶ δὲ τὴν τῶν πολλῶν ψῆφον γινομένην κατὰ κανόνα, εἰ τρεῖς τινὲς ἀντιλέγοιεν, εἶεν ἀβέβαιοι. hoc eſt, *Ægypti & Libyæ & Pentapoleos epiſcopus Alexandrinus habeat poteſtatem: & vrbis Romæ epiſcopus, eorum quæ ſub vrbe Roma ſunt: atque Antiochenus ſimiliter, & reliqui ſuarum quiſque prouinciarum. Si quis autem ſine ſententia primatis epiſcopus fiat, ne ſit epiſcopus. ſi vero aliqui tres ordinationi a pluribus ſecundum regulam factæ contradicant, irriti ſunto.* hunc canonem iiſdem etiam prorſus verbis expreſſum exhibet Symeon magiſter & logotheta, in Epitome canonum, quæ & ipſa nondum liberauit armaria Bibliothecarum. Ab Ariſtino igitur accepit aut ab illo Ariſtinus. ſed Ariſtinum ego omnino vetuſtiorem eſſe cenſeo. Sollemne porro illud eſt omnibus eiuſmodi canonum epitomatoribus, non eos iiſdem verbis

ponere quibus a Synodo conditi vel editi ſunt, ſed ſolam eorum ſententiam breuiter ac dilucide expoſitam referre. ſic & Harmenopulus in Epitome canonum quos in compendium redegit, hunc eumdem canonem Nicenum ita concepit: κρατείτω τὰ ἀρχαῖα ἔθη τῶν ἀρχιεπισκόπων, καὶ τῶν οἰκείων ἐπαρχιῶν ἕκαστος ἐξουσιαζέτω. εἰ δέ τις ἐπίσκοπος τῆς τοῦ μητροπολίτου δίχα γένηται γνώμης, καθαιρείσθω. *Antiquæ conſuetudines quoad archiepiſcopos, obtineant, & ſuarum ſinguli prouinciarum habeant poteſtatem. ſi quis autem ſine conſcientia metropolitæ epiſcopus fuerit ordinatus, deponatur.* Hi omnes breuiſſime & planiſſime Synodum Nicenam in illo canone explicarunt, quam fuſius infra exponam. de ſolis quippe metropolitis eam loquutam eſſe, & metropolitanis prouinciis plane conſtat, vt in ſua quiſque ſcilicet prouincia quoad epiſcoporum ordinationes, & aliam adminiſtrationem, poteſtatem haberet ſummam; ita vt ſi quis ſine metropolitani auctoritate ordinatus foret epiſcopus, ordinatio eſſet eius irrita. Ergo & de Romani epiſcopi metropolitana prouincia etiam ibi intelligendum eſt, vt poſt paulo docebimus. eam prouinciam Ariſtinus, & Symeon magiſter τὰς ὑπὸ Ῥώμην definiuerunt. τὰ ὑπὸ Ῥώμην duplicem poſſunt recipere ſenſum. aut enim τὰ ὑπὸ Ῥώμην ſunt, omnes quæ Romanæ vrbi ſubiacent regiones, quatenus totius orbis caput & metropolis erat vrbs Roma: aut eæ ſolæ regiones, quæ ipſi erant ſubiectæ, quatenus metropolis fuit Romanæ prouinciæ. Priorem ſenſum prorſus reſpuit ac re-

futat canonis sententia, quæ de prouincia speciali episcopi vrbis Romæ tantummodo loquitur, quam in exemplum ceteris vniuersæ Ecclesiæ metropolitanis Ecclesiis proponit, vt normam eius formamque sequantur, in suarum prouinciarum administratione singuli metropolitę. De Occidēte vero nullo modo possumus interpretari τὰ ὑπὸ Ῥώμην. Etenim vt totius Occidentis specialis metropolita non fuit episcopus Romanus, ita multò minus vniuersalis. solus quippe Occidens vniuersalem episcopum non potest facere, cum pars tantum sit vniuersi. Restat ergo, vt τὰ ὑπὸ Ῥώμην accipiamus, ea quæ sub vrbe Roma sunt, quatenus Romanæ prouinciæ metropolis est. sic apud Aristinum & Symeonem magistrum τὰ ὑπὸ Ῥώμην sunt, τὰ ὑπὸ πόλιν χωρία, *vrbi Romæ subiectæ vel subiacentes Ecclesiæ siue regiones.* sic Can. IX. Concilij Antiocheni, χῶραι ὑπὸ τὴν πόλιν. ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. & paulo supra: ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ἐπ' αὐτὴν χώραις. Vrbi autem Romæ tam ἐν κοσμικοῖς quam ἐν πνευματικοῖς subiectæ fuere suburbicariæ vel vrbicariæ regiones. *Vrbicariæ* sunt αἱ τῇ πόλει ὑποτεταγμέναι χῶραι. *suburbicariæ*, suburbanæ, & sub vrbe sitæ, a vicinitate vrbis ita vocatæ. nullæ aliæ quippe iurisdictioni vrbis subditæ regiones, quam vicinæ, & centesimo ab vrbe lapide comprehensæ; qui terminus erat suburbicariarum & vrbicæ iurisdictionis

nis

nis ſiue præfecturæ. Sed & τὰ ὑπὸ Ῥώμην certum eſt, duplici ſignificatione poſſe accipi. aut enim ſic dicuntur, quæ ſub Romæ ditione ſunt, aut quæ ſub vrbe Roma ſitæ ſunt regiones, quas *ſuburbanas*, vel *ſuburbicarias* Latini vocant. Nam Græci indifferenter τὰ ὑπὸ πόλιν & ὑπὸ πόλει dicunt, quæ ſub vrbe vel vicina vrbi, & rurſus τὰ ὑπὸ πόλιν καὶ ὑπὸ πόλει, quæ vrbis ditioni dominationique ſunt ſubiecta. ὑπὸ γῆν & ὑπὸ γῇ idem: ὑφ᾽ ἡγεμόνι & ὑφ᾽ ἡγέμονα. Omnino igitur τὰ ὑπὸ Ῥώμην Ariſtini ſunt *ſuburbicaria loca* tui Vaticani interpretis: *ſuburbicariæ Eccleſiæ* Ruffini: *ciuitates & loca circa vrbem Romam*, Arabicæ Nicenorum canonum verſionis. Hæc ſuburbicaria, hoc eſt ſub vrbe vel circa vrbem loca ſiue ciuitates, hæ ſuburbicariæ Eccleſiæ, epiſcopo Romano ſubiectæ fuere tanquam prouinciæ Romanæ primati & metropolitano. Cum igitur Ruffinus, & reliqui interpretes Romanæ prouinciæ metropolitano ſic ſuburbicariarum Eccleſiarum & ciuitatum ſub vrbe regimen tribuant, vt Alexandrino Ægypti totius, id ex mente canonis ac ſententia potius quam ex verbis adſtruxere. nec enim meminit Nicenus prouinciæ epiſcopi Romani, aut vllarum regionum, quæ prouinciam illam conſtituant. de prouincia tamen accipi debere cum certum eſſet, nec minus notum quænam illa foret, eam ſignificanter expreſſerunt Eccleſiarum vel ciuitatum ſuburbanarum nomine, quomodo & Græci. Verba Ruffini hæc ſunt lib. I. Hiſt. Eccleſ. cap. VI. *Vt apud Alexandriam vel in vrbe Roma vetuſta*

consuetudo seruetur, qua vel ille Ægypti, vel hic suburbicarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. Aristinus ita habet: Αἰγύπτου καὶ Λιβύης καὶ Πενταπόλεως ὁ Ἀλεξανδρείας ἐχέτω τὴν ἐξουσίαν, καὶ ὁ Ῥώμης τῶν ὑπὸ Ῥώμην. prorsus eadem sunt. Nullum igitur iam dubium est quin tres illi veteres interpretes Ruffinus, Vaticanus & Arabs in exponendo ac vertendo illo sexto canone Nicenæ Synodi cum Græcis antiquis conspirauerint, ac de prouincia Romana, quæ metropolitana episcopi Romani fuit prouincia, verba supradicti canonis accipienda consenserint. quare nec dubitandum cuiquam nunc relinquitur, quin suburbicariæ vel suburbicæ apud Ruffinum, sint suburbanæ, & in suburbanis regionibus positæ Ecclesiæ. quæ sicut Romanam regionem præfecti vrbis, sic Romanam prouinciam omnem episcopi vrbis constituebant. Solum illud igitur iam putandum restat, ac disputandum, an tres illi interpretes mentem Synodi viderint, & recte eam expresserint. id vero facile videre est ex sensu canonis, & sententia Synodi, quæ in illo canone exposita est. Hanc qui non male ceperit, non malum eius Ruffinum fuisse interpretem cognoscet, vt ceteros taceam, qui illum sequuti sunt, aut non minus quam ille, rectam Synodi mentem sunt assequuti.

Hoc vt clarius elucescere queat, verba ipsius canonis integra heic apponenda sunt, & vera eorum sententia exponenda. quod etsi multi iam antea doctissimi viri præstare conati sint, & qui-

buſdam præſtitiſſe ſint viſi, nemo tamen id hactenus ad plenum præſtitit, nec ab omni parte, & ex aſſe quiſquam adhuc ad verum peruenit. ſic igitur ille canon conceptus eſt: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει. ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν, ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Qui putarunt iſto canone comparationem inſtitui Romani & Alexandrini epiſcopi, Alexandrinæ & Romanæ diœceſis, illi ſunt, qui nimis breuem ſuburbicarum Eccleſiarum diœceſim Romano tribui de Ruffini verbis indignantur, aut ſuburbicarias Eccleſias de Occidente apud Ruffinum interpretantur. ſed digni non ſunt vel hi vel illi qui audiantur. Synodum illi, Ruffinum iſti non capiunt. Sed nec illi melius ſentiunt, aut propius ad verum accedunt, qui tres in vniuerſum patriarchas per totum orbem conſtitui canone illo ſibi perſuaſerunt, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum. Nihil aliud actum illo canone, nihil aliud a patribus Niceni Concilij ſancitum ſtatutumve, quam vt iura ſua priuilegiaque metropolitanis omnibus Eccleſiis, & metropolitis per vniuerſum terrarum orbem conſtitutis, ſeruarentur, & confirmarentur. quod clare oſtendit clauſula eiuſdem canonis: ὁμοίως καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Hoc clarius enim indicat ac docet, ex quattuor antiquis Nicenorum

canonum versionibus & editionibus, ea quæ secunda nominatur. sic enim hunc canonem reddidit: *Antiqui mores obtineant qui apud Ægyptum sunt, & Libyam & Pentapolim, vt Alexandriæ episcopus omnium exhibeat sollicitudinem: quia & vrbis Romæ episcopo similis mos est. similiter autem & circa Antiochiam, & in ceteris prouinciis priuilegia propria reseruentur metropolitanis Ecclesiis. omnino autem manifestum est illud, quod si quis præter consilium metropolitani factus fuerit episcopus, hunc concilium definiuit, non debere esse episcopum.* quæ ἐκκλησίαι simpliciter sunt in Græcis, huius editionis auctor, Ecclesias metropolitanas interpretatus est, nec aliter debuit. nam de Ecclesiis metropolitanis Synodus intellexit. Occasionem autem huic sanciendo canoni dedit Ægyptij Meletij schisma, qui per vniuersam Ægyptum iura metropolitana Alexandrini episcopi turbabat, sibique vsurpabat, multaque adeo tentabat aduersus antiquam consuetudinem, quæ in Ægypto obtinebat, & inualuerat. ius porro metropoliticum quod in variis Ecclesiastici actus muneribus ac negotiis consistit, præcipue tamen circa episcoporum ordinationes versatur totum. Horum sibi consecrationes adrogabant Meletiani per Ægyptum, aliaque multa Ecclesiasticæ administrationis obibant, & in iura Alexandrini episcopi inuadebant. Epiphanius hæresi LXVIII. de Meletio: καθ' ἑκάστην χώραν, καὶ καθ' ἕκαστον τόπον διερχόμενος καθίστα κληρικοὺς ἐπισκόπους τε καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, καὶ ᾠκοδόμει ἐκκλησίας ἰδίας. Huic schismati diuidiæque, vt obuiam iretur, ac

ſua iura epiſcopo Alexandri confirmarentur, quæ tentabantur a Meletio, cenſuerunt Niceni Concilij patres, antiquum ſeruandum eſſe morem, qui olim in Ægypto, Libye, & Pentapoli, hoc eſt per totam Ægyptiacam diœceſim obtinuerat, vt ſcilicet horum omnium poteſtatem haberet, & per ſupradictas tres prouincias ius ſuum metropolitæ exereret & exerceret epiſcopus Alexandrinus, quoniam ita moris eſſet epiſcopo Romano, in ſua nimirum prouincia. idem & per Antiochiam ſtatui voluerunt, & per alias omnes prouincias, vt ſua iura ac priuilegia Eccleſiis metropolitanis ſeruarentur. Eccleſia igitur Romana ſiue Romana prouincia, tanquam omnium prima ac digniſſima patribus illis ceu typus propoſita eſt, ad cuius inſtar & exemplum ceteris Eccleſiis & prouinciis per vniuerſum orbem ſua πρεσβεῖα intacta & inuiolata præciperent cuſtodiri. Synodi mentem non aliam fuiſſe, en tibi teſtem luculentum Nicolaum primum epiſt. VIII. qui ita ſcribit: *Si inſtituta Nicenæ Synodi diligenter inſpiciantur, inuenietur profecto, quia Romanæ Eccleſiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: ſed potius ex eius forma quod Alexandrinæ Eccleſiæ tribueret, particulariter ſumpſit exemplum.* Eccleſia Romana nulla tunc fuit, nullaque ſic vſquam appellata eſt, niſi quæ tota Romanæ prouinciæ ambitu claudebatur quæque adeo ab omnibus diſtinguebatur, Rauennenſi, Mediolanenſi, Capuana, & aliis, & extra Italiam ab Africanis, Gallicanis, Hiſpanicis & ceteris. Oſtendat Sirmondus aliam

Ecclesiam tunc temporis Romanam nomine fuisse dictam, præter eam quæ intra Romanæ prouinciæ fines fuit, aut se frustra in diuersum tendere fateatur. Concedamus illi, quod nequaquam concedi potest, sed concedamus, aliam illo tempore prouinciam, aliam quamlibet diœcesim, totam Italiam, totum si velit Occidentem Romanæ Ecclesię specialiter nomine venisse; saltem fateri cogetur non eam fuisse metropolitanam, ac nullam aliam metropolitanam extitisse episcopi Romani prouinciam, quam illam particularem Romanam. Hoc si habemus, sat habemus. cum enim suprascripto sexto canone, de solis metropolitis agatur, ac priuilegiis Ecclesiarum metropolitanarum sartis tectis seruandis, idque ad formam ac typum Ecclesiæ Romanæ statui ibidem dicatur, primatianam licet habuerit diœcesim episcopus Romanus, licet & patriarchalem, non aliam tamen ad exemplum sumi decuit quam prouinciam metropolitanam. Alia namque sunt iura metropolitarum, alia patriarcharum: quinimmo alia fuere aliis patriarchis priuilegia tributa. exempli gratia; patriarcha Constantinopolitanus, solos metropolitas, qui sub suo patriarchatu essent, consecrandi ius habebat, non etiam episcopos vniuersæ suæ diœcesis, nam a metropolitanis suis consecrabantur. Canon XXVIII. Concil. Chalcedonensis: καὶ ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς καὶ τῆς Ἀσιανῆς καὶ τῆς Θρᾳκικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους χειροτονεῖσθαι ὑπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης

ἐκκλησίας. δηλαδὴ ἑκάστου μητροπολίτου τῶν προειρημένων διοικήσεων μετὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων χειροτονοῦντος τοὺς τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπους καθὼς τοῖς θείοις κανόσι διηγόρευται. ius igitur patriarchale Constantinopolitani episcopi in solis metropolitanis sedi suæ subiectis consecrandis consistebat. ius vero metropoliticum in consecrandis episcopis totius prouinciæ immediate spectabatur. quod ius non ereptum iuere canones metropolitis Asianæ, Ponticæ, & Thraciæ diœcesis, etiam postquam subiecti fuere sedi Constantinopolitanæ, & ab eiusdem sedis patriarcha ordinari cœperunt. Ius enim semper illi potestatemque habuere suorum episcoporum consecrandorum, etiam inconsulto patriarcha Constantinopolitano, cuius ad eam rem nec assensus requirebatur, nec auctoritas. in episcopo vero Alexandrino, & Antiocheno longe aliter res se habuit, atque alia eorum iura fuere ac priuilegia. nec solos illi quippe metropolitas per vniuersam patriarchatus sui diœcesin constitutos ordinabant, sed nemo episcopus in tota diœcesi eligebatur, absque eorum consensu & confirmatione. ideoque sexto canone Niceno, vbi vtriusque mentio nominatim habetur, ibi non tanquam patriarchæ, sed tanquam puri puti verique metropolitani considerantur. Episcopus enim Alexandrinus reuera totius Ægypti metropolita fuit, & iure metropolitico per totam Ægyptiacam diœcesim vtebatur, quod ad consecrationem ordinationemque attinet episcoporum. Epistola Synodica

Concilij Niceni ad Alexandrinam Ecclesiam, quæ apud Theodoretum legitur lib. I. cap. IX. ὡς τούτοις μὲν μηδεμίαν ἐξουσίαν εἶναι τοὺς ἀρεσκομένους αὐτοῖς προχειρίζεσθαι ἢ ὑποβάλλειν ὄνομα, ἢ ὅλως ποιεῖν τι χωρὶς τῆς γνώμης τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τῶν ὑπ' Ἀλέξανδρον. & paulo post: Εἰ δέ τινα ποτὲ συμβαίη ἀναπαύσασθαι τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τηνικαῦτα συναναβαίνειν εἰς τὴν τιμὴν τοῦ τετελευτηκότος τοὺς ἄρτι προσληφθέντας, μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεπιψηφίζοντος αὐτοῖς καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς καθολικῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου. & mox addit: Ταῦτα ἐστὶ τὰ ἐξαίρετα καὶ διαφέροντα Αἰγύπτῳ καὶ τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ Ἀλεξανδρέων. Hæc sunt quæ vocantur in canone τὰ ἀρχαῖα ἔθη τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει. Synesius epist. XCVII. ad Theophilum Alexandrinum episcopum de episcopo Palæbiscæ: τοῦτον οὖν ἕνα καὶ μόνον ἀποδέδεχθαι Παλαιβίσκης ἐπίσκοπον, ἀλλ' οὐδὲ τοῦτον ἐνθέσμως, ἐκθέσμως μὲν οὖν, ὅσαγε τῶν γερόντων ἠκούσαμεν, εἰ μήτε ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κατέστη, μήτε παρὰ τελῶν ἐνθάδε, καὶ εἰ μὴ τὸ σύνθημα τῆς χειροτονίας ἐκεῖθεν ἐδίδοτο. Hoc igitur ius habuit, hanc ἐξουσίαν Alexandrinus episcopus per omnes Ægyptiacæ diœcesis prouincias vt nullus episcopus fieret absque eius auctoritate. Quemadmodum enim Ægypti, Libyæ & Pentapoleos, hoc est totius Ægyptiacæ diœceseos caput ac metropolis erat Alexandria, sic omnium Ægypti prouinciarum metropolitanus reuera fuit episcopus Alexandrinus, & metropolitano iure per suprascriptas prouincias semper vsus est, cum in episcoporum ordinatione, tum in omni

omni actu Ecclesiasticæ dispositionis. Theodoretus lib. 1. cap. 1. de Alexandria: Ἀλεξάνδρεια πόλις ἐστὶ μεγίστη καὶ πολυάνθρωπος, οὐκ Αἰγυπτίων μόνον, ἀλλὰ καὶ Θηβαίων καὶ Λιβύων τῶν πρὸς Αἴγυπτον τὴν ἡγεμονίαν πεπιστευμένη. Non disparem, nec dissimilem fuisse episcopi Antiocheni potestatem καὶ αὐθεντίαν, per vniuersam Orientis diœcesim, cuius Antiochia metropolis fuit, patet ex hoc canone, & ex Innocentij primi epistola xx. ad Alexandrum Antiochenum ita scribentis: *Itaque arbitramur, frater carissime, vt sicut metropolitanos iure ordinas singulari, sic & ceteros non sine permissu conscientiaque tua, sinas episcopos procreari. in quibus hunc modum recte seruabis, vt longe positos, litteris datis, ordinari censeas ab ijs, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire: quorum enim te maxima spectat cura, præcipue tuum debent mereri iudicium.* initio epistolæ ait hoc se respondere reuoluentem Synodi Nicenæ auctoritatem. & sane verum est sexto illo canone Niceni Concilij Antiochenum episcopum, totius Orientalis diœcesis metropolitam agnosci, ac proinde episcoporum vniuersæ suæ diœcesis ordinatorem legitimum, non minus quam Alexandrinum suæ. sic enim scriptum est in eodem canone: καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον. igitur quod prima illa Synodus, & omnia deinceps concilia, omnium metropolitarum proprium esse voluerunt, vt episcopus in tota prouin-

cia nullus ordinaretur, absque metropolitæ conscientia & auctoritate, id iuris habuisse Alexandrinum episcopum per totam Ægyptiacam diœcesim, & Alexandrinum per Orientalem, ex prædicto sexto canone Synodi Nicenæ certum indubitatumque est. quod etiam confirmatur secundo canone Concilij Constantinop. quo vetantur episcopi suarum diœceseon limites transcendere, & alienas inuadere: ibi & nominatim episcopus Alexandrinus sua diœcesi hoc est Ægyptiaca iubetur esse contentus, & Antiochenus sua, aliique similiter metropolitæ intra suas quisque prouincias coercentur, cum ad alia munera Ecclesiastica obeunda, tum præcipue ad episcoporum ordinationem iure metropolitico peragendam. quapropter quum supra iam toties dictus sextus canon Nicenus de solis agat metropolitis, & metropolitanarum Ecclesiarum priuilegiis, & veros suarum, quamlibet amplę fuerint, diœcesium metropolitas agnoscat, Alexandrinum Antiochenumque episcopos, iisque ambobus, sicut & ceteris metropolitis, sua iura conseruari præcipiat, ad eum modum moremque quem episcopus Romanus in sua prouincia seruabat; de alia prouincia episcopi Romani mentem canonis intelligere nemo possit, nisi de metropolitana. Meletius cum suis sectatoribus Alexandrini episcopi iura turbabat, & vsurpabat, in consecrandis & ordinandis per diuersa Ægypti loca, clericis & episcopis. Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus iure metropolitico subnixus per vniuer-

ſam Ægyptum cenſebatur ex antiquo, ita vt nullum in tota illa diœceſi creari fas eſſet epiſcopum, ſine conſenſu eius, & auctoritate. Niceni Concilij patres vt Meletianorum inſolentiam retunderent, & Alexandrino epiſcopo ſua iura confirmarent, decreuerunt, vt mos antiquus in Ægypto, Libya, & Pentapoli obtineret, qui ſemper obtinuiſſet, vt per eas prouincias ſummam haberet poteſtatem Alexandrinus antiſtes, cum in aliis muneribus Eccleſiaſticis, tum præcipue in conſecrationibus epiſcoporum, quæ res canonis illius ſanciendi cauſam maxime præbuit: nam id maxime controuertebatur. iuris autem huius & poteſtatis Alexandrino epiſcopo aſſerendæ confirmandæque, forma ſumitur, & exemplar ab epiſcopo Romano: ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστι. *quoniam & hic mos eſt Romano epiſcopo:* in ſua ſcilicet prouincia. nam ita neceſſario ſubintelligendum. quæri itaque nunc debet quænam illa diœceſis aut prouincia fuerit, in qua epiſcopus Romanus idem iuris habuerit, quod epiſcopo Alexandrino hoc canone tribuitur, quantum ad ordinationem ſcilicet epiſcoporum attinet. iam id quæſiuimus, iam inuenimus: metropolitanam illam eſſe ac Romanam prouinciam iam diximus. Hoc tamen adhuc exactius ſubtiliuſque diſcutiamus, atque an de alia ſpeciali diœceſi, quam de metropolitana capi verba Synodi poſſint, diſquiramus. ſic melius verum id apparebit quod docuimus, multoque certius ita eſſe conſtabit, poſtquam aliter eſſe non poſſe

oſtenderimus. Certum eſt ex his quæ ſuperius expoſuimus, epiſcopum per totius Ægypti diœceſim ordinationes, & confirmationes ad epiſcopum Alexandrinum iure metropolitani ſpectauiſſe: nullum in tota Ægypto epiſcopum ordinari ſolitum ſine conſenſu conſcientiaque eius. cum in hoc iure turbaretur a Meletianis, in hoc iure confirmatus eſt a patribus Nicenis; idque iuxta formam & conſuetudinem, quam in ſua ſpeciali prouincia obſeruare ſolitus erat epiſcopus Romanus, præter prouinciam metropolitanam, quæ Romanæ regionis finibus terminabatur, ac prouincia Romana dicebatur. Sirmondus totius Italiæ primatem fuiſſe in Cenſura ſua cenſet epiſcopum Romanum, & hanc eius diœceſim primatianam facit. Nunc videamus an de iſta diœceſi Synodum liceat interpretari, quoniam ſpecialis & iſta eſt; de ſpeciali autem Synodum interpretãdam eſſe nec Sirmondus diffitetur. Dat Synodus epiſcopo Alexandrino per totam Ægyptum idem iuris & poteſtatis circa epiſcoporum ordinationes, quod Romano epiſcopo datum erat in ſua ſpeciali prouincia. per omnes Ægypti prouincias, hoc eſt per totam Ægyptiacam diœceſim, nullum licebat eligi vel creari epiſcopum, niſi ſuffragium accederet & auctoritas epiſcopi Alexandrini. moris idem per totam Italiam epiſcopo Romano an fuerit, vel idem iuris, diſpiciamus, immo non fuiſſe iam ſatis ſpectatum eſt. quis enim neſcit omnes Italiæ metropolitanos, ceterorum more metropolitarum,

iure ſuo ſuffraganeos ſuos ordinaſſe ſine decreto epiſcopi Romani? Hoc certi & minime controuerſi iuris in Eccleſia ſemper fuit, vt metropolitanis omnibus liceret, etiam inconſulto patriarcha cui ſubiecti erant, ac ſine eius præcepto, ſuos epiſcopos ſuffraganeos conſecrare. Patriarchæ metropolitas ſedi ſuę ſubiectos ordinabant, metropolitæ epiſcopos, epiſcopi clericos, & presbyteros. & quemadmodum epiſcopi non turbabantur a ſuis metropolitis in clericorum & presbyterorum ordinatione, ita nec metropolitæ a patriarchis in epiſcoporum ſuæ prouinciæ conſecratione. nihil aliud ab ima ad ſummam chordam reſonant omnium conciliorum canones: nihil aliud tinniunt Paparum decreta & epiſtolæ. iuxta hanc veterem Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem, tot ſacris canonibus ſancitam, tot pontificum Romanorum decretis firmatam, *vt extra conſcientiam metropolitani nullus ordinaretur epiſcopus*, abunde probatum eſſe debet, metropolitanos Italiæ, in ſuis quemque prouinciis, non minus habuiſſe iuris, quantum ad epiſcopos ordinandos, quam epiſcopum Romanum in ſua metropolitana. Id ſexcentis teſtimoniis & exemplis probari poſſet, ſi vſus eſſet, aut ſi dubitari poſſet. Primas fuerit Italiæ, ſicuti vis, epiſcopus Romanus. ſolos tamen metropolitanæ ſuæ prouinciæ epiſcopos immediate ſibi ſubiectos ordinabat; reliquarum metropoleon non ordinabat, ſed a ſuis illi metropolitanis ordinabantur. ſic cum primas eſſet quattuor Lugdunēſium, & maxi-

me Sequanorum, episcopus Lugdunensis; solius tamen primæ Lugdunensis, cuius metropolita fuit, ordinandorum episcoporum, ius ac licentiam habuit; ceterorum ordinationes, qui extra suam prouinciam positi essent, nunquam sibi vindicauit. Hoc iure moreque vetus vtebatur Ecclesia perpetuo atque constanti. De primatiana igitur diœcesi episcopi Romani per Italiam, si vlla fuit, quam nec fuisse certum est, minime tamen accipi debere canonem Nicenum, ob eam quam dixi causam constat; sed nec ipse de illa accipiendum censes. de patriarchali videndum ergo, quod tu censes, an accipi possit. Patriarchalis Papæ diœcesis tibi totus Occidens est. si per totum Occidentem, id olim iuris habuisse Papam, potes ostendere, vt immediate ab ipso omnium episcoporum ordinationes dependerint, tum me tibi confitentem habeas, & Ruffinum errasse, qui Nicenum canonem de metropolitana eiusdem prouincia interpretatus est, & errare etiam nunc omnes qui de Occidente, quæ specialis eius fuit diœcesis, non interpretabuntur. Sed licet fuerit, patriarcha totius Occidentis, episcopus Romanus, non tamen efficies, vt sequatur, omnium in toto Occidente episcoporum ordinationes immediate ad ipsum spectasse. Hoc enim ius patriarchale non erat, sed purum putum metropoliticum. si patriarchale fuisset, hoc eodem vsi legerentur omnes patriarchæ. atqui certum est, & plus quam certum, patriarcham Constantinopolitanum, solos metropolitas sedi suæ subditos

ordinasse, non etiam omnes episcopos per vniuersam eius diœcesim constitutos. Id igitur iuris non alij patriarchæ habuere quam qui suarum diœceseon reuera metropolitæ fuere, vt Alexandrinus & Antiochenus. De his patriarchis qui μητροπολιτικὸν δίκαιον per vniuersam sibi subiectam diœcesim habebant, ita Iustinianus leg. XXIX. Cod. *de Episcop. audientia.* ἐπειδὴ δέ τινες τῶν θεοφιλεστάτων πατριαρχῶν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις ἐν αἷς εἰσὶ καὶ μητροπολιτικὸν ἔχουσι σχῆμα, τινὲς δὲ καθ' ὅλην τὴν διοίκησιν τὰς χειροτονίας ποιοῦνται τῶν ὑπ' αὐτοὺς θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, εἴτε μητροπολιτῶν, εἴτε τῶν ἄλλων, ἐπ' αὐτοῖς ἐκεῖνα θεσπίζομεν ἅπερ ἐπὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν ἤδη διετάξαμεν· αὐτὸς γὰρ ἂν εἴη μητροπολίτης δικαίως καλοῖτο ὁ τὴν ἐξουσίαν τῶν ὑπὸ τὴν μητρόπολιν ἐπισκόπων ἐκ τῶν θείων ἔχων κανόνων. *quoniam vero quidam sunt sanctissimi patriarchæ, qui in prouinciis, in quibus constituti sunt, metropolitarum officium gerunt, alij etiam per vniuersam diœcesim, episcoporum qui sub eis sunt, tam metropolitanorum quam aliorum, ordinationes faciunt: de illis eadem obseruari sancimus, quæ de metropolitanis iam antea constituimus. is enim iure vocetur metropolitanus, qui in episcopos sibi subiectos ex sacris canonibus habet potestatem.* Heic duo genera habemus patriarcharum: vnum eorum qui totius diœcesis erant metropolitæ, & omnium episcoporum tam metropolitanorum quam aliorum ordinationes faciebant. tales fuere Alexandrinus & Antiochenus in Ægyptiaca, Orientalique diœcesi: Alterum eorum qui eius tantum prouinciæ cui præsidebant, episcopos ordinandi facultatem habebant, cuiusmodi

erant omnes exarchi illi diœceſeon, qui primas ſedes in vnaquaque diœceſi tenebant, quos tu a patriarchis diſtinguis. Et hos & illos metropolitas iure appellari dicit Iuſtinianus, & de his eadem ſancit, quæ de metropolitis iam ſanxerat: reuera enim metropolitæ fuere, illi diœceſeon, iſti prouinciarum. de quibus capite ſequenti plura. Patriarchæ vero, qualis Conſtantinopolitanus, metropolitæ recte dici non poterant. nec enim propriam vllam habuit prouinciam cuius epiſcopos ordinaret, nec per totam ſibi ſubiectam diœceſim epiſcopos omnes ordinauit, ſed ſolos metropolitanos. Primates autem diœceſeon ſiue patriarchæ, qui non totius diœceſis cui præerant, ſed ſolius cui præſidebant prouinciæ, veri fuere metropolitæ, in ceteros per diœceſin conſtitutos metropolitas id iuris non habebant, vt epiſcopos eorum ſuffraganeos ordinarent, aut ad eos ordinandos aſſenſum ſuum requiri oportere intenderent. ſic enim aperte contra ſacros canones iuiſſent, qui μιᾷ ψήφῳ omnes ſanciunt, ſolius metropolitani auctoritatem requiri in ſingularum prouinciarum epiſcopis ordinandis. Quare ſi epiſcopus Romanus omnium Occidentis epiſcoporum ordinationes habuiſſe credendus eſt, non aliter eas ſibi vindicare potuit, quam aut iure metropolitæ ſpecialis, aut iure ſummi pontificis, & epiſcopi vniuerſalis. nihil eſt tertium. iure metropolitæ eas ſibi vindicaſſe, non tu dixeris, non alius dixerit: nec enim totius Occidentis fuit metropolita, ſed ſolius prouinciæ

uinciæ Romanæ. restat ergo, vt tanquam maioris ordinis pontifex, & ordinarius, vt vocant, ordinariorum, eas iuri suo vindicare potuerit. sed hoc nomine, & hoc iure, non minus per Orientem quam per Occidentem, omnium tam episcoporum quam metropolitanorum ordinationes suæ potestatis fuisse possit asserere. quodcunque fuerit horum, interpretatio de Occidente, in illo sexto canone locum habere non potest. Nam si patriarcham Occidentis fuisse admittimus episcopum Romanum, hoc nomine soli per Occidentem metropolitani, aut ab ipso ordinandi fuere, aut non sine eius consensu ordinandi, seruato interim iure suo metropolitanis omnibus, vt & ipsi suos ordinarent suffraganeos. sin autem ordinationes episcoporum per Occidentem sui iuris ac muneris esse, velit asserere, non iure patriarchæ id sibi potestatis tributum possit defendere, sed tanquam pontifex summus, & episcopus vniuersæ per orbem Ecclesiæ, & verus totius orbis metropolita, ac proinde legitimus licet extra ordinem, episcoporum ordinator. Ceterum nec hoc nec illo, nec vllo sane modo ordinationes episcoporum per omnes Occidentis prouincias antiquitus agnouit episcopus Romanus, sed eas semper liberas metropolitanis reliquit, iuxta illam constantem perpetuamque omnium conciliorum regulam, *vt extra conscientiam metropolitani nullus ordinaretur episcopus, aut qui sic ordinatus esset, non esset episcopus.* Ideoque per Italiam, per Africam, per Gallias, &

Hiſpanias, áliaſque Occidentis regiones epiſcoporum ordinatio penes metropolitanum prouinciæ ſemper fuit. ſed nec iuris huius, quod metropolitanis competebat, acriores illi fuere defenſores, quam epiſcopi Romani aduerſus eos, qui turbare illud conarentur, aut vlla ex parte imminuere. Leo magnus epiſt. LXXXVII. ad epiſcopos Viennenſes de Hilario qui extra ſuam prouinciam epiſcopos ordinabat, & per hoc iura metropolitanorum tentabat, ita ſcribit: *Hilarius Eccleſiarum ſtatum & concordiam ſacerdotum nouis præſumptionibus turbaturus exceſſit, ita ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, vt ſe beato Petro Apoſtolo patiatur eſſe ſubiectum, ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicans, & debitam metropolitanis ſacerdotibus in ſuum ius transferens dignitatem.* Ordinationes epiſcoporum per Gallias non ſibi per hæc Leo vindicauit, ſed Hilario eás ſibi contra ius faſque vindicanti reſtitit, pro ea cura ſcilicet, quam vniuerſæ gerere debuit Eccleſiæ. Hoc etiam clarius teſtatur in epiſt. XCIII. ad eoſdem epiſcopos Viennenſes, his verbis: *vnde quia noſtra alia videtur intentio, nam omnium Eccleſiarum ſtatum & concordiam cupimus cuſtodiri ſacerdotum, ad vnitatem vos vinculo charitatis hortantes, & obteſtamur & affectione congrua commonemus, vt ea quæ a nobis, Deo inſpirante, & beatiſſimo Petro Apoſtolo, diſcuſſis probatiſque nunc omnibus cauſis decreta ſunt, pro veſtra pace & dignitate ſeruetis: certi non tam noſtro honori proficere, quod talia ſtatuiſſe cognoſcimur, non enim nobis ordinationes veſtrarum prouinciarum defendimus; quod poteſt forſitan ad*

deprauandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri: sed vobis per nostram sollicitudinem vindicamus, ne quid vlterius liceat nouitati. Non igitur sibi sed metropolitanis ad quos pertinebant, ordinationes episcoporum per Galliæ prouincias, tanquam legitimas asseruit Leo, contra Hilarium, qui eas suo iuri nullo iure arrogabat. sic in causa Arelatensis & Viennensis archiepiscopi, cum de primatu inter eos contentio esset, Taurinatense Concilium decreuit, vt qui ex eis comprobasset suam ciuitatem esse metropolim, is totius prouinciæ honorem primatus obtineret, & ipse iuxta præceptum canonum, ordinationum haberet potestatem. sexcentis huiusmodi testimoniis probari facile esset, ius ordinationum per Gallias, & alias Occidentis prouincias fuisse penes metropolitanos singularum prouinciarum. idem ius, idem mos non solum in Galliis obtinuit, sed etiam in Italia ipsa, in Africa, aliisque Occidentis regionibus. in Africa sane constat, quæ Occidentis erat prouincia, nihil iuris ac potestatis habuisse Romanum episcopum, quod ad episcoporum attinet ordinationes, sed earum ius semper ac potestatem, penes singulos prouinciarum primates hoc est metropolitanos fuisse. id constat ex can. XIII. Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ qui ita habet: *ab vniuersis episcopis dictum est, a nobis veterum statuta debere seruari, sicuti & inconsulto primate cuiuslibet prouinciæ, tam facile non præsumant multi congregati episcopi episcopum ordinare.* Præterea hoc priuilegium etiam habuit primas

Carthaginensis per totam Africam, vt de quacunque Africæ prouincia vellet, episcopum posset ordinare pro cuiusque Ecclesiæ desiderio. can. LV. eiusdem Cod. *fuit semper hæc licentia huic sedi, vt vnde vellet, & de cuius nomine fuisset conuentus, pro desiderio cuiusque Ecclesiæ ordinare episcopum.* Igitur quum & in Africa & in toto reliquo Occidente constet ordinationes episcoporum absque consensu & auctoritate Papæ peragi solitas fuisse, & e contrario constet per totam Ægyptum nullum olim ordinari fas fuisse episcopum, episcopo Alexandrino inconsulto, & non consentiente; quomodo stare poterit eorum interpretatio qui sexto Niceno canone parem potestatem asseri defendunt episcopo Alexandrino per Ægyptum in episcoporum ordinationibus, quam episcopus Romanus haberet per Occidentem, hoc est per specialem suam diœcesim? ius metropoliticum in ordinandis episcopis per totam Ægyptiacam diœcesim Alexandrino episcopo confirmat sextus ille canon, quia iuris huius controuersiam patiebatur a Meletio. idque confirmat ad formam ac typum episcopi Romani, ex consuetudine scilicet, quam in sua prouincia retinebat. hinc certo certius est de ea prouincia intelligendum esse, in qua ius illud metropoliticum, quod in episcopis ordinandis positum est, haberet episcopus Romanus. atqui etiam cæcis manifestum est, non in Italia, non in vlla alia Occidẽtis prouincia ius illud fuisse metropoliticum episcopo Romano præterquam in sua

prouincia metropolitana. quid igitur certius, quid manifestius quam de prouincia Romana cuius metropolita erat episcopus Romanus, accipiendum esse canonem illum Nicenum? omnes Romanæ prouinciæ episcopi de consecratione episcopi Romani erant, ad eius ordinationem immediate pertinebant, & proprie ac metropolitæ iure ipsi competebant. talis fuit, & tali iure vsus est per vniuersam Ægyptiacam diœcesim episcopus Alexandrinus: nec alio iure censebatur per Orientem hoc est Orientis diœcesim Ecclesia Antiochena. Hinc beatus Hieronymus epist. LXI. scribit ex Niceno Concilio totius Orientis metropolim esse Antiochiam. Leo epist. xx. ad Alexandrum episcopum, Antiochenam Ecclesiam non super aliquam prouinciam, sed super diœcesim suam, hoc est Orientis, constitutam esse agnoscit his verbis: *Reuoluentes auctoritatem Nicenæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat mentem sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus ne dixerim sacerdotibus esse necessarium custodire; quam super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam prouinciam recognoscimus constitutam.* Canon igitur supra scriptus Nicenæ Synodi Alexandrinum Antiochenumque episcopos, metropolitas meros suarum diœceseon fuisse agnoscit, hisque ita consideratis metropolitica sua iura confirmat, vt & ceteris omnibus metropolitis ad exemplum metropolitæ Romani, qui nullam aliam in Occidente prouinciam iure illo ac potestate metropolitana administrauit,

quam Romanam. Falluntur autem qui ſexto canone Nicenæ Synodi putant repreſſam fuiſſe inſolentiam patriarcharum, & certos illis prouinciarum terminos conſtitutos, quos ne excederent & ne in alienas prouincias inuaderent. immo occaſione data ex ſchiſmate Meletij qui iura metropolitana epiſcopi Alexandrini circa epiſcopos ordinandos turbatum iuerat per Ægyptum, inſolentiam eius & vſurpationem hoc canone retuderunt Niceni Concilij patres, & iura ſua Alexandrinæ Eccleſiæ antiſtiti conſtabiliuerunt, eodemque decreto reliquis ſimiliter per vniuerſum orbem metropolitis priuilegia ſua cuſtodienda ſanxerunt in propriis prouinciis, iuxta morem quem tenebat in ſua prouincia epiſcopus Romanus. De metropolitis igitur ſolis agit canon, & epiſcopus Romanus ibi tantum ſpectandus eſt tanquam metropolita, & prouincia eius ſpecialis haud alia intelligenda eſt quam metropolitana. ſi totus Occidens metropolitana eius prouincia fuit, totus Occidens intelligendus. ſi totus orbis, de toto orbe debemus intelligere. præcipua poteſtatis pars, ac præcipuum ius metropolitarum, circa ordinandos epiſcopos verſabatur. hoc iure præcipue cenſebatur metropolitana dignitas. Hanc poteſtatem, hoc ius ordinationum, ſolis competens metropolitanis, per totam Ægyptum habuit epiſcopus Alexandrinus: per totum Orientem Antiochenus. Epiſcopus vero Romanus, vt iterum iterumque hoc repetam, nihil quidquam iuris habuit per

Occidentem circa ſimplicium epiſcoporum ordinationes: nullo quippe nomine aut titulo potuit eas ſibi vindicare. tanquam metropolita non poterat: nec enim fuit Occidentis metropolita. tanquam patriarcha, multo minus: nam hoc ius non erat patriarchale. metropolitæ quidem omnes per Occidentem pallium & conſecrationem ab ipſo non heri hodieque accipere ſoliti ſunt. hoc erat patriarchale. ſed per Orientem quoque eamdem ſibi poteſtatem vindicauit, vt patriarchæ metropolitæque omnes pallium ab ipſo & conſecrationem recipere deberent. non igitur tanquam patriarcha Occidentis, per Occidentem hoc facit, ſed tanquam epiſcopus vniuerſalis & patriarcha patriarcharum. ſic nec Occidentis metropolita, nec ſpecialis fuit patriarcha. vnica igitur erat prouincia Romana, in qua ius metropoliticum, ac poteſtatem metropolitæ proprie competentem in ordinandis epiſcopis exercere, iuxta canonum antiquorum inſtituta, potuit. ea eſt prouincia de qua canonis Niceni verba debent accipi, & vero etiam accepere veteres omnes eiuſdem canonis enarratores: omnium vero optime mentem canonis cepit, & clariſſime expreſſit Arabicæ verſionis auctor, quam heic integram producemus: *Conſtitutum eſt, vt epiſcopus Ægypti, id eſt patriarcha Alexandrinus, præſideat, & habeat poteſtatem totius Ægypti, & omnium locorum, caſtellorum, & ciuitatum quæ ſunt circum eam, quia ſic conuenit. ſiquidem ſimiliter epiſcopus Romæ, id eſt ſucceſſor Petri Apoſtoli, poteſtatem habet omnium ciuitatum*

& locorum quæ sunt circa eam. ac similiter episcopus Antiochiæ, id est patriarcha potestatem habeat prouinciæ illius totius: & in aliis idem locis seruari debet, quod in præterito constitutum est. Vides eum quisquis est Arabem interpretem, non aliter considerare patriarcham Alexandrinum, quam vt episcopum Ægypti, hoc est totius Ægypti metropolitam. quæ vera canonis illius mens est. eidem vero Alexandrino patriarchæ, totam Ægyptum assignat, tanquam germano meroque metropolitæ: Romano autem episcopo solas ciuitates, & loca quæ circum vrbem sunt, metropolitani iure administrandas tribuit. Atque eæ sunt ciuitates circa vrbem quas *suburbicarias Ecclesias* vocat Ruffinus in eadem prouincia metropolitana episcopi Romani designanda. ea etiam sunt loca circa vrbem, quæ *suburbicaria loca* vocauit in eiusdem canonis expositione Vaticanus interpres: quibus locis suburbicariis prouinciam omnem episcopi Romani, hoc est Romanam & metropolitanam prouinciam, definiuit. Verum est igitur veteres illos tres interpretes Synodum Nicenam, sexto eius canone de prouincia metropolitana episcopi Romani intellexisse: verum est, ita sextum illum canonem intelligi debere: verum etiam est ac verissimum, Romanam prouinciam, quæ metropolitana episcopi vrbis Romæ fuit, suburbicariarum Ecclesiarum vel suburbicariorum locorum finibus circumscriptam fuisse, ac propterea eosdem terminos habuisse, quos Romana regio habuit quæ sub præfecto vrbis erat, & subur-

suburbicariis regionibus intra centesimum comprehensis definiebatur. Ex suburbicariis porro regionibus,& earum notione,quemadmodum facile probari potuit, quænam fuerint Ecclesiæ suburbicariæ; ita nunc vice versa ex suburbicariis Ecclesiis certo potest definiri quænam fuerint regiones suburbicariæ. Cum iam ex his quæ diximus cōstet, suburbicarias Ecclesias, & suburbicaria loca, de locis & Ecclesiis dici vrbi Romæ vicinis & suburbanis, circa vrbem & sub vrbe sitis; constare etiam oportet, suburbicarias regiones & prouincias, quarum apud auctores extat mentio, eodem omnino sensu accipi pro finitimis & proximis vrbi prouinciis; nulla igitur iam erit Sicilia suburbicaria, non Corsica, non Sardinia, non Calabria, non Bruttij, nec si quæ aliæ remotiores ab vrbe regiones, quibus propterea nomen hoc *suburbicarij* conuenire non potest, quod ab vrbis vicinitate factum est. Hinc etiam certum erit, & certo colligi poterit, suburbicarias non omnes fuisse, quibus vicariana vrbis potestas præsidebat. nam multæ sub eius erāt dispositione longius ab vrbe dissitæ, & quædam etiam extra Italiam sitæ: nec suburbicarias inde esse appellatas, quod essent sub vrbis vicario. Præterea cum iam certissimum etiam sit illud, suburbicarias Ecclesias & ciuitates, prouinciam metropolitanam constituisse episcopi vrbis, quæ & Romana dicebatur, ex eo cuilibet colligere promptum est, suburbicarias quoque regiones siue prouincias

intra Romanæ siue vrbicariæ regionis, vrbicique territorij fines constitisse, quibus finibus ad centesimum vsque milliare protensis terminabatur omnis iurisdictio præfecti vrbis. sic quam operam opemque præstitere indagandis ac reperiundis Ecclesiis suburbicariis regiones suburbicariæ, nunc eamdem inuicem ac mutuo præstant stabiliendis suburbicariis regionibus, suburbicariæ Ecclesiæ. Harum igitur & illarum olim idem qui centesimi terminus fuit. Huc vsque Romanæ regionis sub præfecto vrbico, & Romanæ prouinciæ sub vrbico episcopo fines porrigebantur. Cum aliquis ab vrbe extra centesimum pellebatur, idem etiam intra suburbicarias regiones diuersari ac consistere vetabatur. nam omnes suburbicariæ intra centesimum, quæ & proximæ & vicinæ, & finitimæ vrbi regiones, & suburbanæ dicebantur. Hoc iam in superiori capite ex rescriptis Valentiniani senioris ac iunioris probauimus: nunc & alio rescripto Constantij Valentiniani iunioris patris id confirmabimus. Extat apud Baronium sub anno Christi ccccxx. rescriptum eius quem diximus Constantij ad Volusianum præfectum vrbis de expellendo Cælestio Pelagiano extra vrbem & centesimum lapidem, cum edicto eiusdem præfecti vrbis ad camdem rem pertinenti. Quæ cum mendosissime descripta vel corrupta referantur a Baronio, emendata heic subiiciam ex vetustissimo Codice Bibliothecæ Thuanæ.

INCIPIT SACRA EPISTOLA CONSTANTII IMP. PATRIS VALENTINIANI AVGVSTI DE EXILIANDO CÆLESTIO HÆRETICO PELAGIANO.

Imperator Constantius Volusiano præfecto urbis. Quum cum præterita superstitionis, tum recentia plena vanitatis iamdudum corrigi iusserimus, cotidianis insinuationibus maiora fieri nunciantur. Et quoniam discordia animos commouet populorum, & quæ iamdudum iusseramus præcipimus iterari. Vnde his lectis eximietas tua omnes qui Dei inuident pietati, diligenter inquirat: & eos facias statim e muris urbis expelli, ita tamen ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Cælestium quoque magis ac magis ex urbe pelli mandamus. Constat enim hisdem e medio sublatis gratiam ac concordiam tenere veterem firmitatem. sane deinceps si tale quicquam fuerit nunciatum, officium præstantiæ tuæ capitali sententiæ subdendum esse cognosce: non enim patimur impunitum esse, præcepta nostra exequutionis negligentia protelari. Vale parens carissime atque amantissime. & adiecta subscriptione, *Impleatur quod iussimus, quia hoc famæ tuæ expedit.*

Sequitur edictum præfecti vrbis quod ille more sollemni accepta Imperatoris epistola, publice simul iunctimque proposuit, ad eam promulgandam.

INCIPIT EXEMPLAR EDICTI PROPOSITI A VOLVSIANO PRÆFECTO VRBIS.

Volusianus præfectus edixit. Hactenus Cælestium

diuinæ fidei, & quietis publicæ turbatorem iudiciis amica reis ſacra ſubdiderunt. Iam leges etiam & edicta perſequentur abſentem. Cui quod primum eſt, æternæ vrbis negatur habitatio, vt ſi vel in proximis fuerit diuerſatus, debitum non euadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atque auſus ſui, cunctos huius edicti cautione præmonemus, ne quis iniquo noxius latebram putet eſſe præbendam. Cuicunque horridi ſit poſita pœna ſupplicij, ac ſtilum neceſſe ſit proſcriptionis incurrere, quiſquis reum diuinis humaniſque rebus apud ſe putauerit occultandum.

Comparet hæc aliquis cum Baronianis, atque vtra ſint meliora & emendatiora, iudicet. Nunc quod noſtrum eſt videamus. Per legem illam Conſtantij quæ ad Voluſianum præfectum vrbis data eſt, Cæleſtius ita ab vrbe pelli iubetur, vt ne intra centeſimum quidem lapidem conſiſtendi habeat poteſtatem. Per edictum vero Voluſiani, quo ſupra ſcriptam conſtitutionem de more promulgandam curauit, eidem Cæleſtio vrbis habitatio ita interdicitur, vt ne vel in proximis diuerſari poſſit. proxima igitur vrbi cenſebantur, quæcunque intra centeſimum. eodem quippe ſenſu ne intra centeſimum conſiſterent Pelagiani, ſanxit imperator, & ne in proximis vrbi diuerſarentur, edixit præfectus vrbi. ſic *proxima* in illo edicto ſunt proximæ vel vicinæ vrbi regiones, quæ ſuburbicariæ vel ſuburbanæ ab eadem vrbis proximitate dictæ. ſic apud Symmachum lib. II. epiſt. LVII. *quamuis ipſe dixerim Romæ, aut in proximis poſitos vel euocari debere vel conſuli.* Proxima, id eſt ſuburbana

intra Italiam opponebantur longinquis, vt in priore dissertatione docuimus. *Longinqua* Italiæ dicebantur quæ extra centesimum: proxima & suburbana, quæ intra centesimum. In actis Concilij Romani sub Syluestro, quæ in multis scriptis Codicibus reperiuntur, de quorum fide ac veritate nunc non disputo, enumeratis Latinis episcopis qui Concilio interfuere, additur in omnibus exemplaribus: *hij sunt de vrbe Roma non longe.* hoc est non de longinquis, sed de proximis & suburbicariis Romæ locis. Ita Aristinus sacrorum canonum Græcus collector, τὰ ὑπὸ Ῥώμην, id est sub vrbe Roma sitas regiones episcopo vrbis Romæ subiicit. sic Theodorus Hermopolites Græcus iuris interpres ad leg. III. D. *de officio præfecti vrbis*, τὰ ὑπὸ πόλιν præfecto vrbi assignat, in quibus, vt & in vrbe, iurisdictionem habeat. Lex autem illa tertia in Basilicis ita Græce reddita est cap. III. tit. IV. lib. VI. ὁ τῆς πόλεως ἔξαρχος ἐξελθὼν τῶν τῆς πόλεως ὅρων οὐ δύναται τὴν ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἐπαρχότητος. ἔτι μέντοι ὢν ἐν τῇ πόλει δύναται κελεύειν τινὶ δικάζειν, ἢ καὶ ἔξω τῆς πόλεως. ad eam Theodorus hæc habet: ἐν γὰρ τῇ πόλει, inquit, καὶ τοῖς ὑπὸ τὴν πόλιν ἔχει καὶ κράτος καὶ δικαιοδοσίαν, ἔξωθεν τῆς πόλεως ἄχρι μιλίων ἑκατόν. *in vrbe enim & suburbicariis locis habet & potestatem & iurisdictionem, & extra vrbem vsque ad centum milliaria.* τὰ ὑπὸ τὴν πόλιν sunt sub vrbe sitæ vel suburbicariæ regiones, intra quarum fines iurisdictionem habuit vsque ad centesimum præfectus vrbi. eadem erant *suburbicaria loca* τὰ ὑπὸ Ῥώμην, quibus Latini Græcique

interpretes prouinciam omnem episcopi vrbis Romæ definiuerunt ac determinarunt. Quæ sequuntur apud eumdem Theodorum de præfecto vrbis, & legis suprascriptæ expositione, quia sententiam nostram confirmant, quam priore libro posuimus, heic subiicere non grauabor: καὶ ὥσπερ, inquit, οἱ λοιποὶ πάντες ἄρχοντες ἔξωθεν διάγοντες τῶν ἐπαρχιῶν ὧν ἔχουσιν ἰδιῶται εἰσὶ, καὶ ἀκινδύνως αὐτοῖς ἀπειθοῦσιν οἱ ὑποτελεῖς, οὕτω καὶ ὁ ἔπαρχος ἔξωθεν τῶν τῆς πόλεως ὅρων τυγχάνων οὐκ ἔχει τὴν ἐξουσίαν ἐπαρχότητος. εἰ γὰρ εἴποι τις τὸν ἄρχοντα ἐπαρχίας τῆσδε ἔξωθεν ὄντα ταύτης καὶ διατρίβοντα ἐν ἄλλῳ τόπῳ ἀρχὴν ἔχειν καὶ δικαιοδοσίαν, οὐδὲν ἄλλο εὕρηται λέγων εἰ μὴ τὸ ἐν αὐτῷ τόπῳ δύο ἄρχοντας εἶναι· ὅπερ ἄτοπον. εἰκότως οὖν καὶ ὁ ἔπαρχος ἔξω τῶν τῆς πόλεως ὅρων οὐκ ἔχει κράτος καὶ δικαιοδοσίαν, ὡς τοῦ πραίτωρος Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας ὄντος ἄρχοντος καὶ δικαιοδοσίαν ἔχοντος. ἐν μὲν τοι πόλει διάγων ὁ ἔπαρχος δύναταί τινι κελεῦσαι δικάσαι ἔξω τῆς πόλεως· οἶμαι δὲ ὅτι ἄχρι ἑκατὸν μιλίων. de præfecto vrbis Constantinopolitanæ hæc dicit Hermopolites. de vrbis Romæ præfecto eadem sunt. ad huius enim exemplar ille constitutus. præterea vt intra centesimi spatium quod ab vrbe Roma intercedebat, consulares ac præsides erãt, qui prouincias in illo regionis tractu positas regebant: sic etiam intra centesimũ ab vrbe Constantinopolitana lapidem, Thraciæ & Macedoniæ prætor prouinciæ sibi creditæ terminos habebat. nam Constantinopolis in Thracia. hoc tamen nihil obstabat quominus præfectus vrbi tam Romanæ quam Constantinopolitanæ iuris-

dictionem in vrbe, & vſque ad centeſimum ab vrbe milliarium haberet, & de omnibus criminibus cognoſceret, dum intra vrbis terminos hoc eſt muros manebat. Extra vrbem poteſtatem illam non habebat ſummam, hoc eſt ἐξουσίαν τῆς ἐπαρχότητος, ſed poterat iubere iudicare, & iudicem dare. hæc ſuperius multis explicata ſunt. Quoties igitur ab vrbe & ſuburbicariis regionibus, hoc eſt extra centeſimum pellendus erat aliquis, ad præfectum vrbis, cuius iuriſdictio ad hos vſque fines progrediebatur, reſcribere ſolebat imperator. Extra centeſimum notio erat, vt notum eſt, præfecti prætorio. ἐκλογαὶ βασιλικῶν, cap. II. titulo IV. lib. VI. ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος κρίνων τὰ ἐγκλήματα πάντα, καὶ ἐξορίζει καὶ περιορίζει τοὺς ἁμαρτάνοντας, ἀναφέρων τῷ βασιλεῖ περὶ τῆς νήσου ἐν ᾗ ὀφείλει ὁ κατακριθεὶς διάγειν. ζητεῖ καὶ τὰ ἐντὸς ἑκατὸν μιλίων ἔξω τῆς πόλεως πλημμελούμενα, οὐ μὴν τὰ πορρωτέρω. ibidem: ἔπαρχος τῆς πόλεως οὐ μόνον τὰ ἐγκλήματα πάντα κρίνει τὰ ἐν τῇ πόλει ἁμαρτανόμενα, καὶ τὴν χρηματικὴν δίκην ἐπακούει· ἀλλὰ καὶ ἐντὸς ἑκατὸν μιλίων ἔξωθεν τῆς πόλεως πλημμελούμενα, οὐ μὴν τὰ πορρωτέρω. ſolitæ ergo illæ regiones, quibus vt & vrbe interdicere præfectum vrbi poſſe dicit Iuriſconſultus, centeſimi terminos non egrediebantur, & omnino erant ſuburbicariæ. Hinc ſi cui tota Italia interdicere vellent Imperatores, ad præfectum prætorio Italiæ reſcribere ſolebant: ſi quem vero iuberent toto imperio Romano cedere, eodem exemplo ad quattuor præfectos prætorij reſcriptum dabāt. Baronius in annalibus ad annum Chriſti ccccxx.

post illud edictum Volusiani, præfecti vrbi, quod paulo ante retulimus, subiunxit alterum edictum quattuor præfectorum prætorio, contra Pelagium & Cælestium. Verum illud edictum ad eum annum nequaquam pertinet, sed ad annum CCCCXVIII. quo anno Impp. Honorius ac Theodosius post Synodum Carthaginensem aduersus Pelagianos congregatam, generali lege Pelagianorum sectam per totum orbem condemnarunt, Pelagianosque ipsos vbicunque reperti essent, accusatos & conuictos deportatione damnari sanxerunt. rescriptum ipsum cum edicto præfectorum simul iuncto, sicut ab illis de more promulgatum fuit, hoc loco subiiciam ex vetustissimo Codice Thuanæ Bibliothecæ. Nam male apud Baronium edictum præfectorum seorsim ab imperatorum rescripto, & sub alio positum anno legitur: multis præterea mendis refertum vtrumque, ab eo refertur, quæ partim illius Codicis ope adiuti, partim coniectura ducti omnia fere sustulimus.

INCIPIT SACRVM RESCRIPTVM ACCEPTIS SYNODI SS. (CARTHAGINENSIS) GESTIS DATVM.

IMPP. HONORIVS & THEODOSIVS AVGG. *Palladio præfecto prætorij. Ad conturbandam Catholicæ simplicitatis lucem, puro semper splendore radiantem, dolosæ artis ingenio nouam subito emicuisse versutiam, peruulgata opinione cognouimus. quæ fallacis scientiæ abumbrata mendaciis, & furioso tantum dibacchata luctamine,*

luctamine, stabilem quietem cælestis audet adtrectare fidei, dum noui criminis commentatores, insignem notam plebeiæ æstimant vilitatis, sentire cum cunctis: & prudentiæ singularis palmam arbitrantur, adprobata destruere. Cuius impiæ commentationis auctores Pelagium Cælestiumque percrebuit extitisse. Hij parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæque semper maiestatis, interminatione potenti omne vltra principium transeunti, tam trucem inclementiam sæuæ voluntatis assignant, vt cum formandi operis curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profunda spiritus conceptione libraret, fundati muneris finem anteferret exordio, & mortem præmitteret nasciturο: non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed egisse penitus legem immutabilis constituti: ad declinandum leti exitialis incursum nihil prodesse abstinentiam delinquendi, cuius ita vis putaretur adstricta, vt non possit aboleri deinceps: Primitiui hominis errorem, in quem captæ mentis inops rationis cæcitas inruisset, delapsum ad posteros non fuisse, tantumque apud eum quem maluesadæ gratiæ infelix rapuisset inlecebra, transgressionem interdicti extitisse discriminis. Cum euidens Catholicæ legis omnifaria testetur auctoritas illum interitus omnium fuisse vestibulum, quem diuinæ præceptionis sedulum liqueat corrupisse mandatum. Aliaque quamplurima quæ sermo respuit, lex refutat, quæ perpetue absit recordari, etiam sub dispositione plectendi. Quæ maturato remedio, & celeritate festina oportet intercipi, ne corroborato vsu nequitiæ adulescentia, vix valeant coerceri. siquidem aures mansuetudinis nostræ recens fama perstrinxerat, intra sacratissimam vrbem nostram aliaque loca, ita pestiferum virus quorumdam inoleuisse pectoribus,

vt interrupto directæ credulitatis tramite scissis in partes studiis asserendi, materia impacatæ dissensionis inducta sit. nouoque scandali fomite concitato, beatissimæ Ecclesiæ acta nutet & adtemptata tranquillitas, aliis aliud iter ancipiti interpretatione sectantibus, & absoluta sanctorum apicum cum sit claritas, ac dilucide quid sequi vniuersitas debeat explanans, pro captu versipellis ingenij profanam nouorum, aut suam mouentibus quæstionem, Palladi parens carissime atque amantissime. Ob quam rem illustris auctoritas tua, victura in omne æuum, lege nos statuisse cognoscat, vt pulsis ex vrbe primitus capitibus dogmatis execrandi Cælestio atque Pelagio, si qui huius de cetero sacrilegij sectatores, quibuscunque locis potuerint repperiri, aut de prauitate damnata aliquem proferre sermonem, a quocunque correpti, ad competentem iudicem pertrahantur, quos siue clericus, siue laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, & sine præscriptione aliqua perurgendi, quos relicta cõmunis scientiæ luce, nouæ disputationis tenebras introferre deprehenderit, contra Apostolicam scilicet disciplinam euangelicamque claram & sine errore sententiam, vafra rudis sectæ calliditate pugnantes, inuoluentesque splendentem fidem veris ambagibus differendo. Hos ergo repertos vbicunque de hoc tam infando scelere conferentes, a quibuscunque iubemus corripi, deductosque ad audientiam publicam, promiscue ab omnibus accusari, ita vt probationem conuicti criminis stilus publicus insequatur, ipsis inexorati exilij deportatione damnatis. Decet enim originem vitij a conuentu publico sequestrari, nec in communi eos celebritate consistere, qui non solum facto nefario detestandi, verum etiam exemplo venenati spiritus sint cauendi. Iuuat autem per omne pæne

Imperium noſtrum qua mundus extenditur, huiuſmodi promulgata diffundi, ne ſcientiæ fortaſſe diſſimulatio paſtum præſtet errori, atque impune ſe quiſquam putet audere quod condemnatum vigore publico ſeſe finxerit ignorare. DATVM II. KAL. MAIAS. RAVENNÆ. DD. NN. HONORIO XII. ET THEODOSIO VIII. AVGG. COSS.

Eodem exemplo reſcripſere iidem Auguſti, & ad reliquos tres præfectos prætorij. Nam cum hanc legem per vniuerſum, qua mundus extenditur, imperium Romanum, promulgatam diffundi voluerint, neceſſario reſcriptum eodem tenore ad omnes præfectos mitti debuit, vt a ſingulis per omnes prouincias diœceſeon ſibi ſubiectarum, propoſitis, vt moris erat, edictis vulgari poſſet. Nec enim, exempli gratia, præfectus prætorio Orientis ſub edicto ſuo vel programmate, ſiquæ ad præfectum prætorio Italiæ fuerant data reſcripta, curabat promulganda, ſed ea tantum quæ acceperat ipſe, per diœceſes ſibi ſubiectas, ſub edicti ſui ſiue programmatis propoſitione omnium notitiæ vulgabat. Certum eſt igitur Honorium & Theodoſium aduerſus Pelagianos factæ conſtitutionis ſimile exemplum omnibus præfectis miſiſſe. atque ideo in veteri Codice poſt ſupraſcriptam conſtitutionem ſtatim ſequitur edictum quattuor præfectorum prætorio ad quos data fuit, quique propoſitis ſollemniter edictis eam promulgarunt. Exemplar edicti ita ſe habet:

IVNIVS QVARTVS, *Palladius, Monaxius, Agri-*

cola iterum, præfecti prætorio edixerunt. Pelagium atque Cælestium Catholici dogmatis fidem nefandis tractatibus destruentes, sententia principalis inualuit, vt venerabili vrbe submoti, bonorum concilio multarentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis sinistræ persuasionis erroribus sinistrum præstet assensum. Etsi sit ille plebeius ac clericus qui in caliginis huius obscæna reciderit, a quocunque tractus ad iudicem sine accusatricis discretione personæ, facultatum publicatione nudatus inreuocabile patietur exilium. Nam superna maiestas vt non colligit execrandam ignorationem, ita ineptæ disputationis reiicit iniuriam.

Hoc illud edictum fuit, sub cuius propositione, præfecti quattuor prætorio in suis quisque diœcesibus, superius Honorij contra Pelagianos rescriptum promulgarunt ac publicarunt, quod male in annum ccccxx. Baronius retulit. Ita autem moris fuit, vt in rescriptis ac constitutionibus principum publice proponendis ac diuulgandis, sua ipsi edicta simul proponerent tam præfecti prætorio quam præfecti vrbis. non aliter publicabantur rescripta imperatorum, quam sub edictis præfectorum ad quos erant data. Hinc illa sollemnia in omnibus fermè constitutionibus, quæ ad præfectos mittebantur: *Illustris auctoritas tua hanc legem propositis promulgari iubebit edictis.* Priore loco edictum proponebat suum præfectus vel vrbis vel prætorio, quo quid a principe constitutum esset, notum faciebat, simulque edicebat, & illo edicto omnes admonebat sub pœna statuta seruandum

esse principis decretum: tum deinde legem ipsam vel constitutionem subiiciebat. Hoc modo publicabantur. inde προγράμματα & προθέματα illa edicta præfectorum dicta sunt, quod in publicatione imperialium rescriptorum, rescriptis ipsis præponerentur, & anteferrentur. Hinc illæ sollemnes loquutiones in Theodosianis Nouellis ad præfectos datis de huiusmodi edictorum propositione, & legum promulgatione facienda: *hanc legem sublimis auctoritas tua sub programmatis sui propositione curabit euulgari.* & in Iustinianeis: τὰ τοίνυν παραστάντα ἡμῖν καὶ διὰ τοῦδε τοῦ θείου δηλούμενα νόμου ἡ σὴ ἐνδοξότης διὰ προγραμμάτων κατὰ τοὺς συνήθεις τόπους προτιθεμένων σπουδασάτω καταφανῆ ποιῆσαι. Hoc ex aliquot Theodosij Valentinianique Nouellarum subscriptionibus confirmabimus, quas & corrigemus. Nouella Theod. *de testamentis*, tit. IV. in subscriptione sic habet: *Dat.* XII. *Kal. Nouemb. Rom. Aetio* III. *&* *Q. Aurelio Symmacho* VV. CC. COSS. PP. *in foro Diui Traiani. Antelata edicto Albini iterum* PF. P. *&* *Patricij.* scribe ac distingue: PP. *in foro Traiani, antelato edicto Albini iterum* PF. P. *&* *Patricij.* hoc est, proposita in foro diui Traiani, antelato edicto Albini iterum præfecti prætorio & patricij. & tit. V. *de sepulcris*, Nouellæ subscriptio ita quoque legi debet: *Proposita in foro Traiani,* VIII. *Id. Apriles, antelato edicto Albini viri inlustris* PF. P. II. *&* *Patricij.* ita & sequentis: PP. *in foro Traiani*, V. *Id. Iunias, antelato edicto Albini* V.C. perperam his omnibus locis, *Antelata edicto*, scriptum est. nec enim lex

promulganda edicto præfecti qui eam promulgabat, præponebatur, & anteferebatur, sed contra. Inde publicari & proponi sub edicto vel sub programmate dicebantur, quia cum promulgarentur, edicto vel programmati præfectorum subiici subiungique solebant. Nouella *de triginta annorum præscriptione*, ad Firminum Præf. præt. tit. VIII. id manifeste ostendit, cum hac subscriptione: *Dat.* XV. *Kal. Iul. Rauennæ, Asturio, & Protogene* VV. CC. COSS. PP. *in foro Traiani* XIII. *Kal. Aug. sub edicto Firmini viri illustris* PF. P. si sub edicto Firmini proposita est lex illa, ergo Firmini edictum præcedebat, & antepositum erat. idem igitur est, *lex proposita sub edicto*, & *proposita antelato edicto*. Hæc indubitata sunt, sed quid ad suburbicarias? sane suburbicarios transire limites haud negauerim. Verum tanti erat vel ad longinquiora excucurrisse relictis tantisper cum vrbe suburbanis. Dic magister, quid censes tu? an pro emansore castigandum putabis? nullus feceris. in tui gratiam ita sumus euagati. Nam si circa suburbicarias semper hærerem, tu semper vapulares. Hæc parui temporis tibi requies interim data est. sed ego tibi nuncio me iam ad suburbicarias reuerti: os denuo percidendum para.

CAPVT II.

Tres tantum episcoporum gradus fuisse, patriarchas, metropolitas & episcopos. Non plures agnoscere Synodum Chalcedonensem. Exarchum diœceseos nono eius canone, & septimodecimo patriarcham diœceseos significare. Græcis incognitum esse genus illud exarchorum quod inter patriarchas & metropolitanos interiectum sit. Patriarchas qui diœceses regerent, diœceseon exarchos ita dictos, vt prouinciarum exarchi dicebantur, qui prouincias regebant, metropolitani. De variis patriarcharum priuilegiis & honoribus. De diœcesibus Orientis & Occidentis, & primis singularum diœceseon prouinciis. Qui primæ per vnamquamque diœcesin prouinciæ præerant, exarchos & patriarchas diœceseos esse dictos. Exarchos Ponticæ, Asianæ & Thracicæ diœceseon, nec ante quam sedi Constantinopolitanæ subiicerentur, nec postquam eidem subiecti sunt, quicquam iuris in alios metropolitanos habuisse. Meros ipsos ac veros tantum suarum extitisse prouinciarum metropolitas, eoque de metropolitarum quos non ordinabant, causis cognoscere non potuisse. De metropolitanis patriarchæ Constantinopolitano subiectis, quinam eorum ἔξαρχοι dicti fuerint, & qui ἐξαρχίας habuerint. Nullos honorarios & sine re exarchos fuisse. De variis exarchis. Alia multa.

A SEXTI Niceni canonis explicatione, ad noni Chalcedonensis interpretationem, hoc est ab hallucinatione tua in illo canone exponendo, ad delirationem in isto enarrando tuam transeamus. vtrius porro canonis peior interpres fueris nescio, nisi quod vtriusque pessimum interpretem fuisse certo scio. Ex Niceno episcopum Romanum totius Occidentis specialem patriarcham constituis: ex Chalcedonensi quattuor episcoporum gradus sta-

tuis. ab hoc illud plane pendet. Nam nisi hoc teneas, frustra de illo obtinendo cogites. Hæc tua igitur prima molitio fuit, vt de Occidente toto prouinciam vnam constitueres, & suburbicariis locis omnes Occidentis prouincias ac diœceses comprehenderes. Nam nisi quattuor gradus episcoporum in Ecclesia commentus esses, non habebas quo episcopum Romanum, faceres episcopum vrbis suæ, prouinciæ Romanæ metropolitanum, primatem Italiæ, patriarcham Occidentis. nisi hos inquam, quattuor gradus struxisses, sententiam illam de Occidentis patriarchatu frustra ac perperam te adstruxisse videbas. ideo tot numero fuere commachinandi. nam si vel vnus ex eo numero abesset, ad patriarchatum Occidentis haud poterat ascendi. en vt parua res magni sæpe momenti est, ac non paruum præstat adiumentum! sic peruenisti quo tendebas: sic effecisti quod volebas. Ceterum nouæ machinationi bono firmoque opus fuit fundamento, cui tuto superstrui posset. Vt felix ingenium habes, atque ad omnia paratum, hoc quoque reperisti. Nonus & septimusdecimus canones Synodi Chalcedonensis ad eam rem tibi visi sunt idonei, quos in partes tuas obtorto collo traheres, ac fundandis illis tuis quattuor gradibus supponeres ac substrueres. Hi sunt igitur gradus: episcopi singularum ciuitatum, metropolitani prouinciarum, exarchi siue primates diœceseon, & sedium sic proprie dictarum rectores patriarchæ. ergo fuere tibi primates, qui diœceses haberent, sedes

non

non haberent, & vice verſa patriarchæ quibus nudæ ſedes eſſent, quas regerent, nullæ vero diœceſes ſubeſſent? pulcre, & ex ſententia ſucceſſerat hoc negotium. iam tibi ipſi plaudebas, ac plerique ex tuis ingenium laudabant. verum iſta tanta gloria, meritis tuis parta frui tibi diu non licuit, ita ſtatim & ex improuiſo non expectatus interuenit laudum tuarum turbo, qui & vnde an ſcias neſcio: cauſidicum putas Diuionenſem. Hic commentum iſtud ſtare non paſſus eſt, ac totam illam noui operis ædificationem ad ſolum diruit. Non mirum itaque ſi tantopere in eum excanduiſti, vt picam vocares,petulantem, impotentem ſui,atque etiam ſi Deo placet, rabioſum. Hæc ſenum natura eſt: facile ad iram incenduntur. Et in hoc, vt aliis in rebus, δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Vide ſis mihi pueros, quo tumore animorum, quanto irarum igne incaleſcant ſi quis improbus ac petulans caſtella de chartis pictis quæ per ludum ædificauerint,aut domunculas quas in arena conſtruxerint, per laſciuiam deſtruat. Idem de te quod de pueris eſt.quod tanto labore, tanta cum mole moleſtiaque confabricaueras, repente dirutum ac proſtratum videre, ſine animi fermento non potuiſti. Hoc tibi pectus peracuit,& bilem in naſum conciuit. ſed dic ſodes, ὦ πικρόχολε magiſter, ſi tumor ille tuus omnis & ira conceſſit, ſi iam ad te rediiſti, ſi iam tuus es, cur quattuor epiſcoporum gradus, quum tres tantum fuerint, tibi placitum eſt confingere? cur tribus antiquis vnum de nouo ac de tuo adfingere? *adeone*,

inquis, *pingui & crasso es sensu vt quattuor numerare non possis?* Adeone tu, inquam, excors & cæcus & incogitabilis, & ἄλογος logistes existis, vt quattuor numerare queas vbi tres tantum fuere? Synodus Chalcedonensis can. IX. & XVII. de iudiciis clericorum ita sancit: Εἰ δέ τις ἀδικοῖτο παρὰ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ἢ μητροπολίτου, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ διοικήσεως ἢ τῷ τῆς βασιλευούσης θρόνῳ δικαζέσθω. *si quis se a proprio episcopo aut metropolitano iniuria affici putauerit, apud exarchum diœceseos, aut apud Constantinopolitanæ vrbis Regiæ sedem iudicetur.* Heic quæris, episcopū, metropolitanum, exarchum diœcesis, & θρόνου siue sedis vrbis Regiæ archiepiscopum patriarcham, quot numero esse censeam? sane quattuor sunt, sed tres sunt tantummodo diuersi gradus episcoporum. Hoc tibi mirum videtur? Dic sodes igitur, episcopum, metropolitam, patriarcham cuiuslibet diœceseos, & patriarcham Constantinopolitanum an tu quattuor gradus esse censes? Profecto si patriarchas cuiusque diœceseos, & patriarcham sedis Constantinopolitanæ pro duobus computas gradibus, tum tibi liceat tot gradus putare fuisse patriarcharum, quot singuli fuere patriarchæ. Exarchus diœcesis in illis canonibus est quilibet patriarcha, πατριάρχης ἑκάστης διοικήσεως· θρόνος vero τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως, sedes est archiepiscopi Constantinopolitani, qui & ipse patriarcha fuit, & suæ quanta patebat diœceseos exarchus. quis hoc neget? quis hoc negare queat, nisi eadem farina consperfus, immo ex eodem quo tu furfure sit

concretus? ὦ καλὸν καὶ ἀσυνάρτητον φύραμα! præcipuum vt video & fere vnicum quattuor illorum graduum fundandorum argumentum inde arripuiſti, quod in Synodo patriarcha Conſtantinopolitanus non nominetur, ſed θρόνος τῆς βασιλευούσης πόλεως. hinc θρόνους, ſiue ſedes, ab exarchis diœceſeon, a metropolitis & ab epiſcopis diſtinxiſti, & ſic quattuor gradus effeciſti. o acumen Sirmondinum! quid facies igitur Theodoreto, qui Concilio ipſe Chalcedonenſi interfuit, & hunc canonem in ſua canonum συναγωγῇ ita retulit, vt θρόνον nuſquam nominarit, ſed epiſcopum ſimpliciter Regiæ vrbis dixit? titulus xv. συναγωγῆς eius ita ab eo conceptus eſt: περὶ τοῦ δεῖν τὸν ἀμφισβητοῦντα ἢ πρᾶγμα πρὸς τὸν ἴδιον ἐπίσκοπον ἔχοντα καταφεύγειν ἐπὶ τὸν μητροπολίτην εἰ βούλοιτο· εἰ δὲ μητροπολίτης ἀντίδικος εἴη, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως, ἢ τῷ τῆς βασιλευούσης αὐτὸν ἐπισκόπῳ δικάζεσθαι. Epiſcopus vrbis Regiæ quis fuit? an non patriarcha? ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, hoc eſt exarchus illius diœceſeos, in qua metropolita & epiſcopus qui inuicem contendũt, conſtituti ſunt, an non ille etiam ſuæ diœceſis patriarcha? Profecto ſi canon ille ita conciperetur, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ διοικήσεως, ἢ τῷ πατριάρχῃ δικαζέσθω, tum rationem quam nunc nullam habes, aliquam fortaſſe haberes. Tu perinde tamen ac ſi ita conceptus eſſet, interrogare me audes, epiſcopum, metropolitam, exarchum diœceſeos, & θρόνου ſiue ſedis archiepiſcopum patriarcham quot numero cenſeam eſſe. Dic, o ſtabulum impudentię, cur ſedis patriarcham

ſimpliciter dicis? an ita habetur, aut legitur in canone? cur non dicis Conſtantinopolitanæ ſedis patriarcham, vt nominatim expreſſimque habet ſupraſcriptus vterque canon? Idemne futurus tibi videtur illorum canonum ſenſus, ſi loco Conſtantinopolitani patriarchæ, quem expreſſe nominant, ſimpliciter & abſolute patriarcham dixiſſent? ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, patriarcha eſt vniuſcuiuſque diœceſis: θρόνος τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως, ſedes eſt patriarchæ Conſtantinopolitani. ſanciunt igitur illi canones cauſam clericorum ab epiſcopo ſuo metropolitano pulſatorum, ventilari, vel apud primatem diœceſis, hoc eſt patriarcham ſub cuius diœceſi ſunt poſiti, vel ſi malint apud ſedem patriarchæ Conſtantinopolitani, tanquam patriarchæ ſummi, & ſupra ceteros omnes Orientis patriarchas conſtituti. ſic igitur Synodum in Epiſtola ad amicum interpretatus ſum, vt clerici vel epiſcopi cum metropolitano controuerſiam, exarcho diœceſeos hoc eſt patriarchæ diœceſis illius cui ſubiectus eſt, aut patriarchæ ſedis Conſtantinopolitanæ, diſceptandam ac definiendam permittat. quid verius hac expoſitione? quid ſimplicius? Græca verba Synodi ita legunt: καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον. Tu vero vt antiquum obtineres, vt idem eſſes qui ſemper, vt more tuo fucum faceres, & impoſturam, parte meæ interpretationis ſubtracta & diſſimulata, quaſi Synodus patriarchæ Conſtantinopolitani mentionem nominatim

non feciſſet, ſed ſimpliciter patriarcham nominaſſet, ad eam ſuggillandam interpretationem quam dimidiatam tantum exhibuiſti, in hæc verba prorumpis, & ſic paratragœdias: *quid ineptius? quid inſulſius? quid a Synodi mente alienius fingi queat? Nam ſi cum* AVT EXARCHVM, AVT PATRIARCHAM *Synodus dicit, vnum atque eumdem dicit, quid reſtat, niſi vt cum in eodem canone* PROPRIVM, AVT ALIVM EPISCOPVM *diſtinguit, itemque* EPISCOPVM AVT CLERICVM, *nulla tamen inter hos tuo iudicio ſit diſtinctio: ſed vnum idemque ſit proprius epiſcopus quod alienus, idem clericus quod epiſcopus?* Hanc periodum tuam integram attuli, vt pateret, nihil illa ineptius eſſe, nihil abſurdius: nihil cum a Synodi mente, tum ab expoſitionis meæ ſenſu alienius fingi vel excogitari poſſe. præterea vt ex eadem conſtaret, nihil te vno impudentius eſſe, nullum in mentiendo, & quodlibet fingendo confidentius atque audacius monſtrum poſſe reperiri. vere dico, iuratus dico, non iratus dico, magnus impoſtor es, & inſignis plagiarius. Cur partem meæ interpretationis, quæ de patriarcha Conſtantinopolitano agit, cuius in Synodo nominatim mentio fit, diſſimulaſti? cur eam tantum dimidiatam poſuiſti? cur mentitus etiam es Synodum dicere, AVT EXARCHVM, AVT PATRIARCHAM, cum dicat illa, AVT EXARCHVM DIOECESIS, AVT PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANVM? an, quod ſupra dicebam, nullum ſtatuis eſſe diſcrimen, inter patriarcham, & patriarcham Conſtan-

tinopolitanum? an idem putas esse cum clericus vel episcopus ad patriarcham suum iudicandus mittitur, & cum ad patriarcham Constantinopolitanum, hoc est, ex sua ad alienam diœcesim? quod si in Synodi canonibus ita scriptum esset, καταλαμβανέτω τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως ἢ τὸν πατριαρχικὸν θρόνον, tum stultiloquium illud tuum, locum habere posset, quo exarchum diœcesis a patriarcha distinguis. cum vero Synodus ita scriptum exhibeat, καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, quis non perspicit aliam causam esse patriarchæ cuiuslibet diœcesis, & aliam patriarchæ Constantinopolitani? alium esse patriarcham diœceseos illius, in qua episcopus & metropolitanus, qui inter se contendunt, constituti sunt; alium patriarcham Constantinopolitanum, ad cuius sedis audientiam ex aliena diœcesi episcopi iudicandi mittuntur? Verum enimuero, vt cuilibet constare possit, quam sublesta & infida fide sit vsus reuerendus hic de societate Iesu pater in referenda expositione nostra illorum canonum, lubet eam heic totam subtexere ex Epistola ad Amicum. sic enim optime patescet eius impostura: sed & os illud ferreum, si non ingenua verecundi sanguinis purpura, cuius guttam nullam habet, Ibera tamen aliqua forsitan ferrugine erubescet. Ita igitur πρὸς λέξιν scripsimus in Epist. ad Amicum pag. LXIX. de horum canonum interpre-
» tatione: Longe alia mens est Synodi ac putauit
» Sirmondus, quæ summatim ac breuiter aperienda

eſt. *Si clericus*, inquit, *cum clerico agat, apud iudicis ſæcularis tribunal experiri non debet, ſed epiſcopum ſuum adire, vt ex eius ſententia negotium inter eos componatur. ſin vero clericus epiſcopo proprio, aut alterius prouinciæ actionem intenderit, Synodus illius prouinciæ, cauſam quæ inter epiſcopum & clericum vertitur, dignoſcat, ac terminet. vt ſi vel clericus vel epiſcopus cum ſuo metropolitano controuerſiam habuerit, ea controuerſia exarcho diœceſeos, hoc eſt patriarchæ, dirimenda ac definienda permittatur.* Exarchus diœceſis eſt patriarcha, atque ita interpretatus eſt Iuſtinianus Nouella CXXIII. his verbis: Εἰ δὲ καὶ παρὰ κληρικοῦ ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσέλευσις κατὰ ἐπισκόπου γένηται, διὰ οἱανδήποτε αἰτίαν, πρότερον ὁ ὁσιώτατος αὐτοῦ μητροπολίτης κατὰ τοὺς ἁγίους κανόνας καὶ τοὺς ἡμετέρους νόμους τὸ πρᾶγμα διακρινέτω. καὶ εἴ τις τοῖς κεκριμένοις ἀντείποι, ἐπὶ τὸν μακαριώτατον πατριάρχην τῆς διοικήσεως ἐκείνης ἀναφερέσθω τὸ πρᾶγμα. εἰ δὲ κατὰ μητροπολίτου τοιαύτη προσέλευσις γένηται, εἴτε παρὰ ἐπισκόπου, εἴτε παρὰ κληρικοῦ ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσώπου, ὁ τῆς διοικήσεως ἐκείνης μακαριώτατος πατριάρχης κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ πρᾶγμα κρινέτω. vbi manifeſto πατριάρχης τῆς διοικήσεως Iuſtiniano dicitur, qui in ſacris canonibus quorum meminit, ἔξαρχος τῆς διοικήσεως nuncupatur. quod autem additum eſt in illis canonibus, καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, id ad ſpecialem ſingularemque patriarchæ Conſtantinopolis, vrbis ſcilicet Regiæ prærogatiuam pertinere quis non videt? per hæc enim verba licentiam tribuunt canones ſupraſcripti, illi clerico vel epiſcopo cum

» metropolitano ſuo agenti, aut apud patriarcham
» diœceſis in qua conſtitutus eſt, iure experiundi,
» aut apud patriarcham Conſtantinopolitanæ ſedis,
» ſi in eum videlicet partes conſenſerint, aut ſi iudi-
» catis a patriarcha ſuo non ſteterint, &c. Reliqua quæ ſequuntur, in epiſtola videnda ſunt; longiora enim ſunt, quam vt huc transferri debeant. fuſius quippe ibi confirmatur Græcos in Concilio Chalcedonenſi parem in omnibus prærogatiuam, & honoris præeminentiam, & in rebus Eccleſiaſticis adminiſtrandis auctoritatem decreuiſſe epiſcopo Conſtantinopolitano & epiſcopo Romano, ac per omnia ſedem Conſtantinopolitanam ſedi Romanæ exæquauiſſe. ſimiliter igitur & prouocationem ab omnibus patriarchis Orientis, patriarchæ Conſtantinopolitano decreuerunt, quia hoc iure vti videbatur epiſcopus Romanus, cui appellationes epiſcoporum ex toto orbe Synodus Sardicenſis cenſuerat. Quod enim Synodus Chalcedonenſis clericos aut epiſcopos cum metropolitano ſuo contendentes exarchum diœceſeos, in qua ſcilicet conſtituti ſunt, id eſt patriarcham ſuum iubet adire, hoc erat de iure communi: ius quippe commune hoc fuit, vt ab epiſcopo metropolitanus, a metropolitano patriarcha iudex caperetur. quod vero iiſdem permittit, omiſſo exarcho diœceſeos hoc eſt patriarcha, recta petere Conſtantinopolitanæ ſedis patriarcham, id iuri communi, & regulæ plane derogat, & priuilegium eſt patriarchæ Conſtantinopolitani. Ceterum ius illud commune

ſemper

ſemper in Eccleſia Orientali obſeruatum eſt. quod vero in gratiam & prærogatiuam patriarchæ Conſtantinopolitani priuilegium ſanxerant Concilij Chalcedonenſis patres, nunquam obtinuit, nec in vſum receptum eſt. Hoc enim perpetuo & conſtanter, & vbique per Orientem tenuit, vt a ſententiis patriarcharum prouocatio non daretur. Hinc illa regula, *ἡ τῶν πατριαρχῶν ψῆφος τῇ ἐκκλήτῳ οὐχ ὑπόκειται*. Ideo Iuſtinianus Nouella cxxiii. ſupra citata, cum ex illorum canonum Chalcedonenſium ſententia ab epiſcopo metropolitanum, a metropolitano patriarcham hoc eſt exarchum cuiuſque diœceſis in cauſis Eccleſiaſticis appellari iuberet, omiſit clauſulam illam de patriarcha Conſtantinopolitano, qua ſanxere iidem canones eum adiri ſtatim poſſe inſuper habito patriarcha diœceſis. Hanc fuiſſe Synodi mentem, hunc illorum canonum ſenſum, te vno excepto, nemo tam impudenter pertinax eſt qui negare poſſit. Græci nunquam aliter Synodum interpretati ſunt, qui ore vno καὶ ὁμοθυμαδὸν prouocationem Conſtantinopolitanæ ſedis patriarchæ per illa verba Synodi decerni a ceteris Orientis patriarchis conſentiunt. ita Nilus expoſuit in libro de primatu Papæ: ita Barlaamus accepit, de eodem primatu cap. ix. ita Latinos accepiſſe, atque ita omnino accipi debere, nunc tertius teſtis accedat Hincmarus Rhemenſis in Epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem cap. xxiii. De his ipſis canonibus agens ſic ille ſcribit: *Egit enim Anatolius tunc Conſtantinopolitanus*

episcopus apud Synodum & apud Imperatorem, nacta occasione de damnatione Dioscori secundæ sedis Alexandrinæ episcopi, hac calliditate, quoniam mens potentiæ auida, nec abstinet vetitis, nec gaudet concessis, vt quia in Constantinopolitana CL. *episcoporum Synodo Nectarius obtinuerat, quatenus Constantinopolis prælata secundæ & tertiæ sedi post Romanum pontificem primatum haberet, istud capitulum* (canon scilicet nonus Concilij Chalcedonensis) *aliis necessariis interpositum de appellatione episcoporum & clericorum ad sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ foret: quatenus constitutionem Sardicensis Concilij de appellatione clericorum apud finitimos episcopos, & appellationem episcoporum de regionali concilio ad sedem Apostolicam, eidem Apostolicæ sedi abriperet, & sibi adscribi faceret; quo, sicut mox claruit, primatum sedis Apostolicæ liberius contra sacros canones, & antiquam consuetudinem vsurparet, & vniuersalis appellaretur & esset.* quo sensu veteres cum Romani tum Græci canonem illum nonum cum septimodecimo Concilij Chalcedonensis acceperint, patet ex istis. Ideo autem sedes Apostolica nunquam illos duo canones admisit, licet Concilium Chalcedonense receperit, quia patriarchæ Constantinopolitano aperte vindicarent, quod suæ sedis esse proprium episcopi Romani semper credi voluerunt, appellationes nimirum clericorum & episcoporum ab omnibus metropolitanis & patriarchis. Hincmarus cap. XXIV. *quia vero sedes Apostolica canones Chalcedonensis Concilij, præter illud vnum nonum capitulum in* XVII. *recapitulatũ, quod contra Nicenos canones constitutum recipiat, idem*

beatus Gregorius in Epistola ad Secundinum & in Homilia Euangelij XVII. *euidenter ostendit.* Per Nicenos canones intelligit Hincmarus, Synodi Sardicensis canones IV. & V. quibus de appellatione episcoporum ad sedem Apostolicam sancitum est. sunt illi ipsi canones de quibus Gelasius Papa in commonitorio ad Faustum Magistrum: *ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri.* pro Nicenis canonibus in Ecclesia Romana habiti sunt, & pro talibus obtrusi in Concilio Carthaginensi. quia scilicet Sardicensis Synodus tanquam Nicenæ appendix, vno eodemque nomine Concilij Niceni, vt vno eodemque codice, comprehensa fuerit. Zonaras ad V. canonem Concilij Sardicensis : ἐκ τούτου τοῦ κανόνος οἱ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀρχιερεῖς, αὐχοῦσιν ἐνδεδόσθαι αὐτοῖς τὰς ἐκκλήτους πάσας τῶν ἐπισκόπων πρὸς αὐτοὺς ἀναφέρεσθαι, τῆς πρώτης οἰκουμενικῆς συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ τοῦτον εἶναι τὸν κανόνα, ψευδῶς λέγοντες. sed ille tanquam schismaticus loquitur, & Græcus, dum Romanos summos pontifices arguit mendacij. vtvt sit, contra illum canonem Concilij Sardicensis quo appellatio omnium episcoporum ex vniuersa Ecclesia episcopo Romano decreta est, manifesto venire visi sunt canones illi duo supra memorati Synodi Chalcedonensis, qui hoc idem priuilegium episcopo Constantinopolitanæ sedis attribuerunt. eoque nunquam a Romanæ sedis episcopo recepti fuere vel approbati. At si tuam interpretationem sequeremur, quid erat in illis canonibus quod merito posset

Qq ij

improbari? quod contra Sardicensis Concilij canones constitutum videri posset?

Græci semper Chalcedonensem Synodum, tanquam telum validissimum Latinis intentarunt, ad vindicandam episcopo Constantinopolitano eamdem prorsus circa episcoporum appellationes prærogatiuam, quam sibi Romanus vindicabat. quinimmo venditarunt fortiorem hac in parte causam videri Constantinopolitani quam Romani episcopi: Sardicense quippe Concilium, quod de appellatione episcoporum ad sedem Romanam danda sanxit, non fuisse Oecumenicum, Chalcedonensem vero Synodum qua ius hoc idem priuilegiumque Constantinopolitanæ sedi tributum est, Oecumenicam fuisse. Barlaamus cap. IX. de primatu Papæ scribit nullum Oecumenicum Concilium Romano pontifici appellationem episcoporum decreuisse, quam quarta Oecumenica Synodus Constantinopolitano patriarchæ decreto suo adiudicauit. ὃ δὲ οὐδεμία, inquit, τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων περὶ τοῦ θρόνου τῆς Ῥώμης ἐνομοθέτησε, τοῦτο ὁ ἑπτακαιδέκατος κανὼν τῆς τετάρτης συνόδου τὸν τῆς νέας Ῥώμης θρόνον ἔχειν ἐδικαίωσεν. ἵνα δηλονότι καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν εἴ τις ἀδικοῖτο παρὰ τοῦ ἰδίου μητροπολίτου, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως δικάζηται ἢ παρὰ τῷ τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ. Græci enim, vt omnes norunt, Sardicense Concilium pro Oecumenico nunquam habuere. Balsamo in expositione quinti Canonis Sardicensis priuilegium hoc episcopi Romani circa appellationem episcoporum, non proprium ipsius esse scribit, sed com-

mune illi cum patriarcha Constantinopolitano: ἐπειδὴ γὰρ ἐν τοῖς προλαβοῦσι χρόνοις εἴπομεν, μὴ εἶναι τὰ παρὰ τοῦ πάπα ὁρισθέντα ἰδικὰ τούτου καὶ μόνου προνόμια, ὥστε ἔχειν ἐξ ἀνάγκης πάντα ἐπίσκοπον καταδικαζόμενον τῷ θρόνῳ τῆς Ῥώμης προσέρχεσθαι, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως, τὰ αὐτὰ καὶ πάλιν φαμέν. Ita nulla in re concedere summo pontifici, sed paria in omnibus cum illo facere patriarcham suum Græci ambitiosi voluere. Ceterum tragulam hanc de Chalcedonensi Concilio iniectam a Græcis Romani vt auerterent vel euitarent, non alio modo commodius id fieri posse sperarunt, quam non recipiendo suprascriptam Synodum, in iis quæ contraria viderentur priuilegiis Ecclesiæ vniuersalis, vniuersalisque eius episcopi prærogatiuæ. qua de re videndus Gelasius Papa, *tomo de vinculo anathematis* post epist. VIII. sic nec illi duo canones recepti, qui quantum Constantinopolitanæ sedi adrogarunt, tantum Romanæ derogarunt, dum appellationes episcoporum huic sedi abiudicatas, illi alteri vindicant. Sed Nicolaus primus Papa, hanc clauam Græcis de manibus vt extorqueret, iaculumque in eos retorqueret, aliam viam iniit, longeque aliam methodum sequutus est. quid igitur ille fecit? supradictos canones non solum admisit, sed eorum etiam auctoritatem Græcis opposuit, & obiecit, ad confirmanda Romanæ sedis priuilegia. sic armis Græcorum, aduersus ipsos vsus est, ac τοῖς ἑαυτῶν πτεροῖς eos transfixit. idque, quod mirum, sola interpretandi ratione assequutus est. sic igitur nonum canonem

Concilij Chalcedonensis interpretatur in Epistola ad Michaelem imperatorem: *sed ne sine auctoritate canonica quidquam prosequi videamur, nunc Chalcedonensis Concilij sanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt.* si clericus habet causam aduersus episcopum proprium, apud Synodum prouinciæ iudicetur: quod si aduersus eiusdem prouinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ.. *in quo hic tenor obseruandus est, vt si videlicet clericus, aut episcopus aduersus metropolitanum habet querelam, & tanta vrgetur necessitate, vel si hoc graue non ferat, vbicunque sit positus, primatem diœceseos petat: quod si iuxta Constantinopolitanam vrbem quisquam eorum constitutus, & solius eius præsulis iudicio velit esse contentus, petat eamdem regiam vrbem. cum enim dixisset,* petat primatem diœceseos, *præceptum posuit eadem sancta Synodus, regulamque constituit. Cum vero disiunctiua coniunctione addidisset,* aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ, *liquet profecto, quia hoc secundum permissionem indulsit. Ergo saltem nunc non videtis ad maiora semper esse properãdum? & quanto magis ad potioris auctoritatis iudicium tenditur querimonia, tanto adhuc amplius maius culmen petendum est, quousque gradatim perueniatur ad eam sedem, cuius causa, aut a se negotiorum meritis exigentibus in melius commutatur, aut solius Dei sine quæstione reseruatur arbitrio. quem autem* primatem diœceseos, *sancta Synodus dixerit, præter apostoli primi vicarium, nullus penitus intelligitur. ipse est enim primas, qui & primus*

habetur & summus: quæ viritim si locus exegerit in subditis demonstrabimus. Ne vero moueat, quia singulari numero diœceseos, dictum est; sciendum est quia tantumdem valet dixisse, primatem diœceseos, quantũ si perhibuisset, diœceseon, plenæ sunt enim sanctæ scripturæ tali forma loquutionis. quum in ea versione qua vsus est Nicolaus, quasi absolute positum habeatur, *petat primatem diœceseos,* hoc ille κατ' ἐξοχὴν de summo pontifice dictum accipi voluit. *quis enim*, inquit, *primas præter Apostoli primi vicarium?* Sed cui dubium est quin Synodus episcopos cum metropolitanis controuersiam habẽtes, primatem velit petere diœceseos intra quam consistunt, hoc est primatem suum? Græca canonis verba id manifeste ostendunt, quæ non simpliciter παρὰ τῷ ἐξάρχῳ διοικήσεως habent, sed παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως. quid valeat illud τῆς, norunt Græce periti. idem quippe est ac si dixisset, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς ἐκείνης διοικήσεως. sic apud Iustinianum passim ὁ πατριάρχης τῆς ἐκείνης διοικήσεως· παρὰ τῷ πατριάρχῃ τῆς ἐκείνης διοικήσεως. sensum Synodi recte expressit hæc vetus versio quæ sic habet: *Si clericus aduersus suum seu alium episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi prouinciæ conqueratur: si vero contra ipsius prouinciæ metropolitanum episcopum, episcopus siue clericus habeat controuersiam, pergat ad ipsius diœcesis primatem, aut certe ad Constantinopolitanæ Regiæ ciuitatis sedem: eorum ibi proprium negotium exquiratur.* ἔξαρχος igitur τῆς διοικήσεως in Græcis est exarchus vel patriarcha illius diœcesis in qua positus est metropolitanus, qui ab episcopo suo lite pulsatur. Huic autem licentiam

dat Synodus vel patriarchā diœceseos cui subiectus est adeundi, vel certe si malit Constantinopolitanæ sedis patriarcham. Nicolaus Papa primatem diœceseos de summo pontifice interpretatur, & *diœceseos* positum putat pro *diœceseon*; reuera enim non vnius, sed omnium totius orbis diœceseon primas est Papa. Quam recta sit hæc expositio, tibi ipsi æstimandum relinquo. Iudicium ego meum non interponam. Hæreseos mihi crimen impingeres si Papam errauisse dicerem. Nunc tantum hoc dicam, si vera illa est interpretatio, tuam esse falsam; sin vera tua est, illam non esse. sed vereor ne dicat aliquis, postquam hæc nostra legerit, vtramq. esse falsissimam. Ex illa Nicolai expositione hoc saltem liquet, quod in canone de sede Constantinopolitana additum est, id ad speciale ac singulare illius sedis priuilegium referri debere.

Nunc veniamus ad Græcos canonum interpretes, & quomodo illi ἐξάρχους διοικήσεως in Synodo Chalcedonensi exposuerint videamus. Zonaras ad canonem ix. illius Synodi scribit exarchos diœceseon ab aliis exponi patriarchas, aliis metropolitas. ἐξάρχους δὲ τῶν διοικήσεων τοὺς πατριάρχας φασίν· ἄλλοι δὲ τοὺς μητροπολίτας. Græcos heic vtrobique errasse contendis. neutram enim interpretationem esse veram. tam igitur illi tuo iudicio falluntur, qui exarchum diœcesis pro metropolita accipiunt, quam qui patriarcham interpretantur. quid erit ergo exarchus diœcesis, si nec patriarcha est, nec metropolita? exarchus nimirum diœcesis, nec

patriarcha

patriarcha nec metropolita, ſed inter vtrumque medius, dimidiatus nempe patriarcha, & dimidiatus metropolitanus. mira profecto hæc ſunt, Græcos genus illud epiſcoporum ignoraſſe, ex vtroque genere compoſitum patriarcharum, & metropolitanorum, & inter vtroſque poſitum. ſi tales fuere quidam, cur eos non nouere? ſi nouere tales, cur in expoſitione canonum illorum non agnouerunt? cur exarchos diœceſeon ſimpliciter id quod erant, interpretati non ſunt? cur ſi diuerſi erant a patriarchis & metropolitis, omnino tamen aut metropolitas eos debere accipi, aut patriarchas affirmarunt? Zonaras de metropolitis accipit, & ſcribit alios de patriarchis accepiſſe. quam vere ille de metropolitis expoſuerit, non laborandum eſt. quum nugas dicit, hoc ſolens facit. ſed illud quod quæramus dignum eſt; cum exarchos diœceſeon alij de metropolitis intellexerint, alij de patriarchis, cur nemo id potuit intelligere, eos nec metropolitas fuiſſe, nec patriarchas, ſed ſimpliciter id quod dicuntur exarchos diœceſeon, hoc eſt mixtum genus ex vtroque, metropolitis ſuperpoſitum, ſuppoſitum patriarchis? cur tantopere laborarunt Græci interpretes in illis explicandis exarchis diœceſeon? cur quod in promptu erat, hoc non dixere, exarchos illos eſſe diœceſeon? immo cur hanc vocem explicare & interpretari ſunt conati, quæ nulla egebat interpretatione? quemadmodum enim & metropolita quid ſit & patriarcha quis dicatur, quoties eorum mentio occurrit, non expo-

nunt, quia notum hoc omnibus: idem omnino esse debuit de exarcho diœcesis. Exarchus quippe diœcesis si medius fuit episcopi gradus inter patriarcham & metropolitam, nullumque aliud nomen habuit, profecto id omnibus tunc notum esse debuit. nam nemini tunc temporis, magis ignoratum esse oportuit quid esset exarchus diœcesis, quam quid patriarcha vel metropolita. vt quid igitur exarchum diœceseos alij metropolitam, alij patriarcham dici scripserunt? si speciale hoc nomen fuit cuiusdam generis & ordinis episcoporum, cur quasi commune patriarchis & metropolitis, his vel illis illud tribuere? oportet, aut illos omnes Græcos interpretes id nesciuisse quod nemo poterat nescire, aut te hariolari id fuisse, quod nusquam fuit. sed tu magis hariolus. nec enim Græci potuerunt ignorare, cum omnes patriarchas fuisse diœceseon exarchos, tum quosdam fuisse metropolitanos qui exarchi diœceseon essent ac dicerentur. Patriarcha Alexandrinus qui diœcesin Ægyptiacam regebat, exarchus vere fuit Ægyptiacæ diœcesis. Antiochenus patriarcha qui Orientis diœcesin administrabat, idem etiam omnino fuit diœceseos exarchus. hinc Græcis ἔξαρχος τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως appellatur. inter metropolitanos porro fuere quidam, exarchi diœceseon appellati, illi scilicet qui non singulis prouinciis, nam hi prouinciarum exarchi dicebantur, sed qui integris diœcesibus præessent. Hoc de genere fuerunt Asianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceseon

exarchi, postquam patriarchæ Constantinopolitano subiecti sunt. Nam & patriarchæ subiacebant, ab ipso ordinabantur, nullos ipsi metropolitanos subiectos habebant, nullos ordinabant, solo iure metropolitano censebantur in suis ordinandis episcopis, metropolitæ denique tantum erant ac dicebantur. Iam habemus igitur, cum patriarchas, tum metropolitas quosdam, exarchos diœceseon dictos. si tertium vllum genus fuit eorum, qui nec patriarchæ essent, nec metropolitæ; da nobis illud Sirmonde, vel auctorem da, qui nouerit, qui meminerit. sin nullum est, nec vllum fuit vnquam, nec vllus auctor dari potest, qui tales diœceseon exarchos memoret, fateare iam, quod negari non potest, in Synodo Chalcedonensi per exarchum diœceseos necessario, aut metropolitam intelligi debere, aut patriarcham. De metropolita intelligi non posse Synodus ipsa testatur, quæ manifesto τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως ἀπὸ τοῦ μητροπολίτου distinguit. Ergo de patriarcha accipi super omnem necessitatem necesse est. Sed omisso Zonara Balsamonem audire consultius tibi visum est. quoniam ita consulis, Balsamonem audiamus, sed non vt suades etiam auscultemus: ὁ μέντοι ἔξαρχος τῆς διοικήσεως ἐστὶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐχ ὁ ἑκάστης ἐπαρχίας μητροπολίτης, ἀλλ' ὁ τῆς ὅλης διοικήσεως μητροπολίτης. διοίκησις δὲ ἐστὶν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν αὐτῇ. Inter Zonaræ & Balsamonis expositionem hoc solum interest, quod ille exarchum diœcesis de prouinciæ metropolita, hic de metropolita diœcesis accipiendum censet;

vterque tamen metropolitam interpretatur. Ceterum vtriusque interpretatio falsa est, vterque fallitur, vterque a Synodo refellitur, quæ metropolitam manifesto distinguit ab exarcho diœcesis. atqui non minus est metropolita qui diœceseos primas est, hoc est primus in diœcesi metropolita, quam qui secundus vel tertius: præsertim si ille metropolitanus primas diœceseos, alteri patriarchæ subiaceat & ipse nullos habeat sibi subiectos metropolitas. quod de illis metropolitanis diœceseon dici potest, quos intelligit Balsamo. Nam & patriarchæ subiecti Constantinopolitano, nullos ipsi sibi subditos cum habuerint metropolitanos, nihil plus erant quam simplices metropolitæ, nec alio iure aut nomine censebantur in tota sua diœcesi. quomodo igitur ipsi tibi constabis, qui dicebas eos a Synodo redargui qui exarchos diœceseon, metropolitanos interpretarētur, quum nunc nos iubeas auscultare Balsamoni ita interpretanti? saltem audisses aut legisses quod ille interpretationi suæ subiecit, tam fungus non fuisses, vt illi auscultandum putares. sic enim addit ille: τοῦτο δὲ τῶν ἐξάρχων προνόμιον σήμερον οὐκ ἐνεργεῖ. κἂν γὰρ λέγωνται ἔξαρχοί τινες τῶν μητροπολιτῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐν ταῖς διοικήσεσιν ὄντας ἑτέρους μητροπολίτας, οὐκ ἔχουσιν ὅλως ὑποκειμένους αὐτοῖς. ἔοικεν οὖν ἑτέρους τινὰς εἶναι κατὰ τοὺς τότε καιρούς, ἐξάρχους τῶν διοικήσεων, ἢ τούτους μὴ εἶναι, ἀπρακτῆσαι δὲ τὰ ὑπὸ τῶν κανόνων δοθέντα τούτοις προνόμια. eadem habet Matthæus Blastares in suo canonum syntagmate. ita enim scribit ad hunc canonem: διοίκησις δὲ λέγεται ἡ

ἐπαρχίας πολλὰς περιέχουσα. τὸ δὲ τῶν ἐξάρχων προνόμιον, τὸ νῦν ἔχον οὐκ ἐνεργεῖ. εἰ γὰρ καὶ λέγονταί τινες τῶν μητροπολιτῶν ἔξαρχοι, ἀλλὰ τοὺς ἐν ταῖς διοικήσεσιν ἑτέρους μητροπολίτας οὐκ ἔχουσιν ὅλως ὑποκειμένους αὐτοῖς. Censet Balsamo, vt vides, aut alios olim fuisse diœceseon exarchos ab iis qui sua ætate exarchi inter metropolitanos dicebantur, quique aliud non erant, quam metropolitæ; aut eosdem quidem esse, sed iura illa ac priuilegia, quibus a Synodo Chalcedonensi sibi concessis olim fruebantur, suo tempore exoleuisse, nec amplius in vsu fuisse. Sed ille ostendere debuit, aut tu nunc debes, quoniam eum sequeris, nec ille id amplius potest, vel non eosdem, qui olim, tunc fuisse diœceseon exarchos metropolitas, vel non eadem quæ olim iura, tunc habuisse. vtrumuis probandum susceperis, oneri mihi crede non sufficies, & deficies citius, quam vel alterutrum efficias. certissimum quippe est, non alios fuisse metropolitas qui exarchi diœceseon dicerentur temporibus Concilij Chalcedonensis, quam qui Balsamonis, nec aliud ius aut priuilegium eorum fuisse ætate Balsamonis, & eo tempore quo Synodus Chalcedonensis congregata est. ne frustra tendere cõtra pergas, facile hoc tibi ostendam, si modo alios oculos quam tuos adiicere, & aliam mentem aduertere voles: nam & illos cæcos & hanc non sanam habes. sed quod non videbis, aut videre nolles, alij perspicient. Scribit Balsamo, metropolitas illos qui sua ætate exarchi diœceseon dicebantur, non alios metropolitas, in eadem

diœceſi conſtitutos, ſibi ſubiectos habuiſſe, nec quicquam iuris in eos conceſſum illis fuiſſe. κἂν γὰρ, inquit, λέγωνται ἔξαρχοί τινες τῶν μητροπολιτῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐν ταῖς διοικήσεσιν ὄντας μητροπολίτας οὐκ ἔχουσιν ὅλως ὑποκειμένους αὐτοῖς. Balſamonis porro temporibus præcipui inter illos metropolitanos, qui & diœceſeon exarchi ſunt dicti, fuere, metropolitanus Epheſi qui exarchus Aſianæ diœceſeos vocabatur; metropolitanus Cæſareæ Cappadociæ, qui exarchus Ponticæ diœceſis audiebat; & metropolitanus Heracleæ, qui Thracicæ diœceſis exarchus dicebatur. Ceterum hi tres metropolitani licet diœceſibus præeſſent, atque inde diœceſeon exarchi dicerentur, non tamen alios eiuſdem diœceſis cui præerant metropolitanos, ſub ſe poſitos, aut eorum ordinationes in ſua poteſtate habuere, ſed ſuos illi tantum ſuffraganeos epiſcopos ordinabant; ipſi vero, vt & reliqui omnes metropolitani per vniuerſam diœceſim conſtituti, a patriarcha, cui ſubiacebant, ordinabantur. nullum igitur ius aliud maius illi exarchi diœceſeon Balſamonis æuo habuere, quam metropolitanum: nihil iuris aut poteſtatis in metropolitanos illis datum fuit, quippe qui nullos ſibi ſubiectos haberent metropolitanos, nec aliorum omnino quam ſuorum epiſcoporum ordinationes facere ſolerẽt. Nihil plus eos iuris aut priuilegij habuiſſe Chalcedonenſis Synodi tẽpore, quis melior aut magis idoneus citari darique teſtis poteſt, quam Synodus ipſa Chalcedonenſis? ſic igitur illa canone vigeſimo octauo de ordinatio-

nibus metropolitarum, Ponticæ, Aſianæ, & Thraciæ diœceſeos ſanxit: καὶ ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς, καὶ τῆς Ἀσιανῆς, καὶ τῆς Θρακικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ὑπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. ſatis conſtat ex hoc canone iam inde a temporibus Concilij Chalcedonenſis ordinationes metropolitanorum omnium per Ponticam, Aſianam, & Thracicam diœceſim ad ſedem Conſtantinopolitanæ regiæ vrbis pertinuiſſe, nullumque in ſuptaſcriptis diœceſibus metropolitam extitiſſe, cuius ordinatio ad alium metropolitam aut exarchum ſpectauerit, quam ad Conſtantinopolitanum patriarcham. ſic exarchi illi Ponticæ, & Aſianæ & Thracicæ diœceſeon quo ex tempore Conſtantinopolitanæ ſubiecti ſunt, nullos ſub ſe habuere metropolitas, nullas metropolitarum ordinationes, ſed æquo iure cenſebantur cum reliquis metropolitanis eius diœceſeos cui præerant, & cuius exarchi dicebantur. Nam & ipſi a patriarcha Conſtantinopolitano ordinabantur, ſicut & ceteri, nec aliud ius, aliudve nomen habebant, quam quod metropolitis competit, in ſuas ſibi ſubiectas prouincias. quod enim exarchi diœceſeon dicerentur, hoc ex antiquo nomen retinuere, non quod totam regerent diœceſin, aut totius diœceſis cuius exarchi vocabantur, metropolitas ſub ſe haberent, ſed quod inter metropolitas vniuerſæ diœceſis principem locum obtinerent, & primi præcipuique pri-

mates essent & exarchi. Ceterum vnusquisque eorum, vnam tantum ac singularem in tota diœcesi prouinciam iure metropolitano administrabat. ceteri ceteras in eadem diœcesi prouincias metropolitæ, suam quisque pari iure curabat. Exempli gratia; Cesareæ Cappadociæ episcopus, qui Ponticæ diœcesis exarchus audiebat, solam Cappadociam primam cuius metropolis erat Cæsarea, iure metropolitæ regebat; reliquæ totius diœcesis Ponticæ prouinciæ sub aliis erant metropolitis, vt paulo post dicemus. idem de Asianæ diœceseos exarcho, idem de Thracicæ. Ante Synodum Chalcedonensem & priusquam patriarchæ Constantinopolitano subiicerentur, an aliquid plus iuris ac potestatis habuerint exarchi illi, in suas singuli diœceses, quærendum. nec sane plus videntur habuisse. id ex verbis canonis secundi Concilij Constantinopolitani constare potest. ita enim habent: τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας, ἀλλὰ κατὰ τοὺς κανόνας τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν, τοὺς δὲ τῆς ἀνατολῆς ἐπισκόπους, τὴν ἀνατολὴν μόνην διοικεῖν, φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κατὰ Νικαίαν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ. καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως ἐπισκόπους τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνον οἰκονομεῖν, καὶ τοὺς τῆς Ποντικῆς, τὰ τῆς Ποντικῆς μόνα, καὶ τοὺς τῆς Θρακικῆς, τὰ τῆς Θρακικῆς μόνον οἰκονομεῖν. in hoc canone videre est, non vni exarcho tribui regimen & administrationem totius Asianæ diœcesis, aut Thracicæ, aut Ponticæ, sed pluribus. non enim dicit,

dicit, τὸν τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως ἐπίσκοπον aut ἔξαρχον, τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνον οἰκονομεῖν, sed τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως ἐπισκόπους. plures igitur episcopi Asianam diœcesin pari iure & æqua potestate administrabant, nec penes vnum exarchum totius diœcesis regendæ summa fuit. ita & de Thracica & Pontica: quibus singulis gubernãdis diœcesibus non vnum sed plures episcopos & exarchos assignat. Ægyptiacæ vero diœcesi vnum præesse facit, episcopum Alexandrinum: ἀλλὰ κατὰ τοὺς κανόνας τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν. vnicum Alexandriæ episcopum Ægypto, hoc est Ægyptiacæ diœcesi administrandæ præficit. ita solus ille vere fuit Ægyptiacæ diœcesis exarchus. in Orientali autem diœcesi moderanda plures quidem etiam memorat episcopos quibus Orientis sollicitudinem & administrationem committit, sed nihilominus τὰ πρεσβεῖα seruanda præcipit Antiocheno episcopo iuxta canones Nicenos. intelligit sextum canonem Nicenæ Synodi de quo tam multa supra. τὰ πρεσβεῖα autem illa quæ a Synodo Nicena Antiocheno episcopo attributa sunt, & a Constantinopolitana prima confirmata, eo spectabant, vt licet iam tum plures Orienti regendo præessent metropolitæ, nullus tamen in tota Orientali diœcesi ordinaretur episcopus absque consensu & auctoritate Antiochenæ Ecclesiæ antistitis: qua in re plane æquiparatus est Alexandrino episcopo qui totius Ægyptiacæ diœcesis metropolita censebatur. igitur secundum Niceni

S f

Concilij ſtatuta vt Alexandrinus epiſcopus per Ægypti, ſic Antiochenus per Orientis diœceſim, cum omnes ſibi ſubditos habuit metropolitanos, tum omnium epiſcoporum ordinationes aut ipſe fecit, aut faciendas permiſit, haud aliter ratas futuras, aut rite factas. An hæc eadem πρεσβεῖα habuerint exarchi diœceſeon Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, in ſuas ſinguli diœceſes, quæ Antiochenus epiſcopus in ſuam hoc eſt Orientis diœceſim habuit, cuius & exarchus dictus eſt, quæri deberet, ſi res in dubium vocari poſſet. Nam certum eſt, id eos non habuiſſe, quod nulla concilia eis attribuiſſe certum eſt. Secundus canon ſupradictæ Synodi C P. ſancit vt Orientis epiſcopi, τὴν Orientis διοίκησιν ſolam adminiſtrent, ſeruatis tamen priuilegiis Antiochiæ epiſcopo. eodem canone ſancitum eſt, vt & Aſianæ diœceſis epiſcopi, Aſianam diœceſim regant, Ponticæ item Ponticam, & Thracicæ per Thracicam diœceſim res Eccleſiaſticas procurent. nulla mentio τῶν πρεσβείων huic vel illi attributorum: nulla prærogatiua cuiquam ex illis tribuitur: omnes proinde æquales, omnes αὐτοκέφαλοι. recte itaque Balſamo ad illum canonem obſeruat: σημείωσαι οὖν, inquit, ἀπὸ τοῦ παρόντος κανόνος, ὅτι τὸ παλαιὸν πάντες οἱ τῶν ἐπαρχιῶν μητροπολῖται αὐτοκέφαλοι ἦσαν, καὶ ὑπὸ τῶν οἰκείων συνόδων ἐχειροτονοῦντο. μετετυπώθη δὲ τὰ περὶ τούτου ὑπὸ τοῦ εἰκοστοῦ ὀγδόου κανόνος τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου διορισαμένης τοὺς μητροπολίτας τῆς Ποντικῆς καὶ Ἀσιανῆς καὶ Θρακικῆς διοικήσεως ὑπὸ τοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως χειροτονεῖσθαι, καὶ

ὑποχείαν αὐτοῦ. ſic metropolitani Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ diœceſeos αὐτοκέφαλοι omnes erant, nec alter alteri ſubiacebat, priuſquam ſubiicerentur patriarchæ Conſtantinopolitano. Poſtquam huic ſedi ſubiecti ſunt, quod Concilio Chalcedonenſi factum eſt, omnes etiam tum æquales fuere, omnes ex æquo eidem patriarchæ ſubiacuere. Falluntur ergo qui putant exarchi diœceſeos Aſianæ, item Ponticæ Thracicæque ea olim iura fuiſſe, vt omnes metropolitanos in ea diœceſi cuius exarchus dicebatur conſtitutos ordinaret, eoſque ſibi ſubditos haberet. ſiquidem conſtat omnes quotquot fuere in Aſiana vel Pontica vel Thracica diœceſi metropolitæ, paria iura hoc eſt metropolitana habuiſſe in ſuis epiſcopis ordinandis, paremque poteſtatem, nec ab aliis ipſos ordinari ſolitos fuiſſe, quam a comprouincialibus epiſcopis. Socrates lib. v. hiſt. Eccleſ. cap. VIII. ſupraſcriptum ſecundum canonem Concilij Conſtantinopolitani ex temporum illorum Hiſtoria explicans, Ponticæ diœceſis patriarchiam tribus metropolitanis adminiſtrandam contigiſſe ſcribit, Helladio qui poſt Baſilium Cæſareæ Cappadociæ fuit epiſcopus, Gregorio Baſilij fratri Nyſſæ epiſcopo, & Otreio Melitenæ. Otreius vocatur in leg. III. Cod. Theod. *de fide Catholica*. Epiſtola quædam Baſilij ſcripta eſt Οτρεΐῳ τῆς Μελιτηνῆς. Οτρήϊος apud Socratem eſt. in veteri Codice Τρωΐλος perperam. Cæſarea Cappadocia primæ Cappadociæ metropolis fuit. Nyſſe ſecundæ Cappadociæ: Melitene vero Armeniæ. Ponticæ diœceſeos hæ tres

fuere prouinciæ. cum vndecim fuiſſe conſtet, cur trium illarum tantum epiſcopos nominauit quos Ponticam diœceſim in commune regendam ſortitos eſſe dicit? an quod illæ tres duntaxat tunc fuerint in vniuerſa Pontica diœceſi metropoles, totidemque metropolitani, ſub quibus tota diœceſis fuit? Hoc fortaſſean aliquis putare poſſit, ſed ego non putem. Nam perſuaſum habeo, & certum eſt, totidem in Pontica diœceſi fuiſſe metropoles quot prouincias. ſed celeberrimi nominis erant illi tres quos nominauit, Helladius, Gregorius Baſilij frater, & Otreius. ideo eorum tantum nominatim mentionem fecit. ſic in Aſianæ diœceſeos adminiſtratione, Amphilochij tantum meminit, & Optimi. τὴν Ἀσιανὴν δὲ λαγχάνουσιν Ἀμφιλόχιος Ἰκονίου καὶ Ὄπτιμος ὁ Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας. Iconium metropolis erat Lycaoniæ; Antiochia Piſidiæ. cur Epheſum præteriit Aſianæ prouinciæ metropolim? cur epiſcopum Epheſinum totius Aſianæ diœceſeos exarchum prætermiſit? ex vndecim Aſianæ diœceſeos prouinciis, Aſia prima fuit. inde Aſiæ metropolitanus, totius diœceſeos exarchus audiebat. aut igitur aliorum Aſianæ diœceſeos epiſcoporum nomina neſciuit, aut duo tantum nominatiſſimos nominatim poſuit. idem in Thracica diœceſi regenda vnicum tantum commemorauit Nectarium Conſtantinopolis epiſcopum: ἐκληρώθη Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν καὶ τὴν Θρᾴκην. per τὴν μεγαλόπολιν intelligit Conſtantinopolim: per τὴν Θρᾴκην totam Thracicam diœceſim, quam Nectario Conſtanti-

nopolitano episcopo soli administrandam assignauit. at id manifesto pugnat cum canone illo secundo Concilij CP. qui Thracicæ diœceseos οἰκονομίαν non vni episcopo, sed pluribus tribuit. sic enim disertim habet: καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς ἐπισκόπους τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνον οἰκονομεῖν, καὶ τοὺς τῆς Ποντικῆς τὰ τῆς Ποντικῆς μόνα, καὶ τοὺς τῆς Θρᾳκικῆς, τὰ τῆς Θρᾳκικῆς μόνον οἰκονομεῖν. vt plures episcopi metropolitani Asianam & Ponticam diœcesim administrarunt, sic plures etiam non vnum duntaxat, Thracicam rexisse ex verbis illis canonis oportet. præterea non Constantinopolitanus episcopus, sed Heracleensis totius erat Thracicæ diœceseos exarchus. cum reliquis ille Thraciarum metropolitanis Thracicam diœcesim curabat. nondum tres illæ diœceses Pontica, Asiana & Thracica sedi Constantinopolitanæ subiacebant, nec earum diœceseon exarchi metropolitanique suprascriptæ sedis antistiti parebant. Concilio Chalcedonensi hoc demum statutum est, vt omnes prædictarum diœceseon metropolitani patriarchæ Constantinopolitano subiicerentur, ordinationemque ab eo acciperent. Ante id temporis αὐτοκέφαλοι fuere illarum diœceseon metropolitæ, vt manifeste obseruare est ex canone secundo Synodi CP. & recte idem obseruat ex eodem canone Balsamo. Constantinopolitana sane prima Synodus vt πρεσβεῖα τῆς τιμῆς haberet Constantinopolitanus episcopus post Romanum episcopum censuit, sed nihil de metropolitis eidem subiiciendis, aut ab eo ordi-

nandis ſanxit. immo contrarium, vt diximus, ex canone eius ſecundo plane ſtatui poteſt. Sciendum tamen eſt epiſcopos Conſtantinopolitanos, poſt eam honoris prærogatiuam ſibi a ſecunda Synodo attributam, ſtatim vſurpare cœpiſſe metropolitanorum ordinationes, per Thracicam, Ponticam & Aſianam diœceſes, & illa πρεσβεῖα ita interpretatos eſſe, vt per ea datum etiam ſibi hoc ius metropolitarum ordinandorum aſſererent. quod primo per vſurpationem ſumptum, poſtea conſuetudine inualeſcente corroboratum, Concilio demum Chalcedonenſi confirmatum ac ſtabilitum eſt. Longe igitur ante Concilium Chalcedonenſe id ſibi iuris adrogauerunt Conſtantinopolitanæ ſedis epiſcopi, & quaſi ſibi a prima Conſtantinopolitana Synodo adiudicatum, per Chalcedonenſem confirmari curauerunt. Geſta eiuſdem Concilij hoc manifeſto teſtantur, actione XVI. Nam cum in Concilio ea res ageretur, & ſuper ea re conditus etiam eſſet canon, vt epiſcopus Conſtantinopolitanus metropolitas Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceſeos ordinaret, & omnes illum canonem ſubſignaſſent prædictarum diœceſeon metropolitæ, intercederent autem Romanæ ſedis legati, atque inuitos eos ac per vim coactos ſubſcripſiſſe dicerent, in medium venire iuſſi, & interrogati metropolitæ responderunt, libenter ac ſponte ſua non ſolum ſubſcripſiſſe, ſed etiam ex conſuetudine, quæ iam obtinuerat, & ex ſacrorum canonum ſanctionibus hæc iura deberi Conſtantinopolitanæ ſedi, vt nimirum ordinatio-

nem ab ipſa omnes acciperent. inter alios epiſcopus Amaſeæ, quæ metropolis erat Helleſponti prouinciæ in Aſiana diœceſi, dixit, πρὸ ἐμοῦ τρεῖς ἐπίσκοποι ἐχειροτονήθησαν ὑπὸ τοῦ θρόνου τούτου, καὶ εὑρὼν τὴν ἀκολουθίαν, ἠκολούθησα. καὶ νῦν ἑκουσίως ἐποίησα βουλόμενος εἶναι ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦτον. Petrus epiſcopus Gangrenſis Pamphyliæ metropolitanus ex eadem Aſiana diœceſi idem reſpondit: πρὸ ἐμοῦ τρεῖς ἐχειροτονήθησαν ὑπὸ τοῦ τῆς βασιλευούσης πόλεως· κἀγὼ μετ' αὐτοὺς ὁμοίως. καὶ διὰ τοῦτο συνεθέμην ὡς συνήθειαν ἔχων. Longo igitur iam tempore ante Concilium Chalcedonenſem hæc inualuerat conſuetudo vt metropolitæ ſupraſcriptarum diœceſeon ordinarentur a Conſtantinopolitanæ regiæ vrbis epiſcopo. Hoc etiam ex canonibus non ex ſola conſuetudine illi deberi quidam reſpondere. Chalcedonenſis enim epiſcopus interrogatus, an per vim & coactus ſubſcripſiſſet, dixit: ἐπιστάμενος ὡς καὶ ἐκ τῶν κανόνων καὶ ἐκ τῆς προλαβούσης συνηθείας ἔχει τὰ δίκαια ταῦτα ὁ Κωνσταντινουπόλεως θρόνος, ἑκὼν ὑπέγραψα. Canones non alios poteſt intelligere quam Concilij CP. primi. ſed nihil illi de ordinationibus metropolitarum Conſtantinopolitanæ ſedi adtribuendis ſanxerunt, ſed de πρεσβείοις τῆς τιμῆς tantum, vt ſcilicet ſecunda ſedes poſt Romanam numeraretur, & ceteris omnibus præferretur. Verum τὰ πρεσβεῖα illa ita acceperunt vt etiam neceſſario ea ſequi deberet metropolitarum ordinatio. ſic cum eodem Concilio CP. canone ſecundo decretum eſt, vt Antiocheno epiſcopo τὰ πρεσβεῖα

ſeruarentur, de ordinationibus epiſcoporum, vt ſine eius conſenſu in tota diœceſi nullæ fierent, intellectum eſt. ſed in Antiocheno epiſcopo τὰ πρεσβεῖα ſimpliciter dixit: at de Conſtantinopolitano τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς. metropolitæ qui πρεσβεῖα τῆς τιμῆς habebant, honoratij tantum erant metropolitæ, nec epiſcoporum ordinationes ad eos ſpectabant, ſed ad veros metropolitas qui τὰ πρεσβεῖα ſimpliciter habebant, hoc eſt iura metropolitana. multum igitur erat inter τὰ πρεσβεῖα, & τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς. Duæ fuere in Bithynia metropoles, Nicomedia & Nicæa. Nicææ metropolitanus τὰ πρεσβεῖα τιμῆς tantum habuit quibus ceteris prouinciæ epiſcopis præferebatur. προετίματο τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας τῇ τιμῇ μόνῃ. Nicomedienſis vero antiquus Bithyniæ metropolita τὰ πρεσβεῖα ſimpliciter, hoc eſt priuilegia & iura metropolitana; τὸ κῦρος μητροπολίτου, quo totius epiſcopos prouinciæ ordinabat. Græci τὰ δίκαια τοῦ μητροπολίτου vocant, τὸ κῦρος, τὸ ἀξίωμα· τὰ πριβιλήγια in reſcripto Valentiniani ad Nicomedienſes: εἰ καὶ τὰ πριβιλήγια τῆς πόλεως τῆς ὑμετέρας πάλαι ὑπάρξαντα ἀρχαῖα συνήθεια φυλαχθήσεται. οὔτε γὰρ εἰ προσθήκη τῆς τιμῆς τῶν Νικαέων πόλεως τὸ δίκαιον τὸ ὑμέτερον δύναται βλάψαι, ὁπότε ἐπαύξεται τὸ ἀξίωμα τῆς Νικομηδείων, εἴπερ ἐκείνη εἰ ἐν δευτέρῳ τόπῳ οὖσα, μητροπόλεως ὀνόματι καλεῖται. Ideo quotieſcunque alicui epiſcopo hæc πρεσβεῖα τῆς τιμῆς darentur vel a concilio vel ab imperatore, ſemper hac conditione dabantur, vt τὸ ἀξίωμα ſeruaretur vero & antiquo metropolitæ, καὶ τὸ δίκαιον

quod

quod ipſi competebat circa epiſcoporum prouinciæ ordinationes. ſub his conditionibus honorem hunc detulit Æliæ epiſcopo Nicena Synodus can. VII. ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος. Igitur cum Conſtantinopolitana prima Synodus Conſtantinopolitanum epiſcopum τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς habere poſt Romanum cenſuit, honoris tantum prærogatiuam, καὶ τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς eidem decreuiſſe cenſendum eſt, non etiam τὰ πρεσβεῖα ſimpliciter, & illa iura, quæ in conſecrandis metropolitis aut ordinandis epiſcopis poſita ſunt. ipſe tamen regiæ vrbis auctoritate ſubnixus, δυνάμει τῆς βασιλευούσης πόλεως πεποιθώς, ſtatim ab illo Conſtantinopolitano Concilio ordinationes omnium metropolitarum per Aſianam, Ponticam & Thracicam diœceſim conſtitutorum vſurpare cœpit: nec aliter Græci acceperunt quam ex eo concilio datum quoque hoc illi ius fuiſſe cum illis πρεσβείοις τῆς τιμῆς. Hoc etiam ſequutus eſt Socrates in explicatione ſecundi canonis C P. & patriarcharum per Orientem dinumeratione. Nam primo loco memorauit Conſtantinopolitanum epiſcopum, cui & Thracicam diœceſim aſſignauit: καὶ κληροῦται, inquit, Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν καὶ τὴν Θρᾴκην. Thracica diœceſis ſex prouincias habuit, quarum prima fuit Europa. qui primæ prouinciæ metropolitanus erat, is totius diœceſeos exarchus dicebatur. in Europa prouincia ſita erat Conſtantino-

polis, ſita erat & Heraclea. cum Conſtantinopolis Byzantium adhuc eſſet & diceretur, Heraclea metropolis Europæ fuit, & Byzantium ipſam ſuffraganeam habuit. Heracleæ epiſcopus, vt primæ in diœceſi prouinciæ metropolitanus, totius quoque diœceſeos exarchus dictus eſt. ſed poſtquam Byzantina ciuitas, Conſtantinopolis & noua Roma facta eſt, & imperij ſedes, verſæ vices fuere, nec id ſolum eſſe cœpit, quod erat Heraclea, hoc eſt Europæ prouinciæ metropolis, totiuſque adeo diœceſeos Thracicæ, ſed omnibus etiam per Orientem ſedibus prælata eſt, & ſecundum poſt Romam locum obtinere iuſſa. Heracleæ tamen epiſcopus dignitatem ſuam nomine tenus retinuit, vt exarchus Thracicæ diœceſeos diceretur. quia igitur in Europa ſita Conſtantinopolis erat Thraciarum prima prouincia, totas Thracias quaſi propriam diœceſim Conſtantinopolitano patriarchæ aſſignauit Socrates. ſubiungit deinde protinus Ponticam & Aſianam diœceſes, quaſi iam tunc ſubiectæ illi ſedi fuerint, quaſique tres illæ diœceſes Concilij Conſtantinopolitani tempore patriarchatum conſtituerint epiſcopi Conſtantinopolitani. poſt illas diœceſes Ægyptiacam epiſcopi Alexandrini diœceſim poſuit, ſecundo nimirum loco poſt Conſtantinopolitanam, deinde & Orientalem tertio, quæ ſub patriarcha Antiocheno fuit. Quod niſi iam tum tres ſupraſcriptas diœceſes Ponticam, Aſianam & Thracicam epiſcopo Conſtantinopolis ſubditas fuiſſe intellexiſ-

ſet, numquam eas Ægyptiacæ, & Orientali præpoſuiſſet. ſed eas tanquam Conſtantinopolitani patriarchatus partes & appendices primo loco poſuit, quia Conſtantinopolitanus patriarcha iam tum duobus illis patriarchis Alexandrino & Antiocheno præferebatur, ex eiuſdem Concilij CP. canone tertio. Ceterum longe alius ordo habetur in illo ſecundo canone, Synodi CP. quem interpretatus eſt. Nam primo loco memoratur Alexandrinus epiſcopus: ſecundo Antiochenus, aliique Oriētalis diœceſis epiſcopi: tertio epiſcopi Aſianæ: quarto Pōticæ; quinto Thraciçę diœceſeos epiſcopi recēſentur. Hæc omnia in ſecundo canone. tertius vero eiuſdem Synodi canon, vt primatum honoris habeat vrbis Conſtantinopolitanæ epiſcopus poſt Romanæ vrbis epiſcopum ſancit. nihil igitur in illo concilio conſtitutum eſt de ordinationibus metropolitarum, vt ad Conſtantinopolitanam ſedem pertinerent, ſed in eo quo prius erant ordine ac loco, & penes quos erant, relictæ ſunt: ſola honoris prærogatiua data eſt nouæ Romæ præſuli.

Nunc videndum eſt, exarchi illi diœceſeon Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ, antequam ſedi Conſtantinopolitanæ ſubderentur, quæ priuilegia habuerint, quam poteſtatem in ſua quiſque diœceſi, quam prærogatiuam iure ſibi conceſſam vſurpauerint, & quare hoc nomen exarchorum diœceſeos meruerint. diximus iam ſupra meros eos fuiſſe metropolitas ſuarũ prouinciarum, nec quidquam amplius. nihil iuris in ceteros diœceſeos metropo-

litas habuisse, nihil iurisdictionis in tota diœcesi extra prouinciam suam sibi vindicasse. nam nec alios episcopos ordinasse quam suæ prouinciæ, suosque suffraganeos, nec metropolitarum ordinationibus se immiscuisse; nihil denique pro iure metropolitico egisse in tota diœcesi, præterquã in prouincia, cuius erant reuera metropolitæ, & quam iure metropolitæ administrabant. omnes qui sub illis erant, & intra eorum diœcesim constituti metropolitæ, episcopos sibi subiectos sine exarchi diœceseos consensu ordinare solebant, vt ipsi a comprouincialibus episcopis ordinari. quod igitur illorum exarchorum πρεσβεῖον fuit in diœcesi, aut cur exarchi diœceseon sunt appellati? πρεσβεῖα τῆς τιμῆς tantum habuere, & prærogatiuam honoris, vt primi scilicet præcipuique essent totius diœceseos metropolitæ; ceterosque omnes dignitate anteirent. idque honoris & prærogatiuæ per totam diœcesim non aliunde consequuti sunt, quam quod primarias totius diœceseos prouincias regerent. ex dignitate ciuitatum prouinciarumque dignitatis & honoris incrementum earum præsulibus accessisse plus satis notum est. Hinc igitur qui primam aliquam totius diœcesis prouinciam regebat, is vt plurimum ceteris omnibus diœceseos metropolitis honore ac dignitate antistabat, ac vniuersæ diœceseos primas censebatur & exarchus. Asiana diœcesis vndecim prouincias complectebatur. harum prima erat Asia ipsa. Asiæ prouinciæ metropolis Ephesus. Ephesi metropolita quia pri-

mam totius Asianæ diœceſeos prouinciam gubernabat, totius Asianæ diœceſeos exarchus audiebat. ita enim ſubſcribere ſolebat: ὁ δεῖνα ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως καὶ ἔξαρχος τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως. Asianæ prouinciæ reuera fuit metropolita, Asianæ vero diœceſeos patriarcha. Asianæ porro prouincia, ἡ Ἀσιανῶν ἐπαρχία dicitur in ſubſcriptionibus epiſcoporum VI. Synodi C P. Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Περγαμηνῶν πόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα. Πατρίκιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μαγνήτων περὶ Μαίανδρον πόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα. Ἀντώνιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ὑπαιπηνῶν πόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας. Ponticæ diœceſeos vndecim prouinciæ fuere. Harum omnium prima fuit prouincia, Cappadocia prima. Hinc Cæſareæ epiſcopus, quæ caput erat primæ Cappadociæ, totius diœceſeos Ponticæ exarchus dicebatur, atque ita ſubſcribebat: ὁ δεῖνα ἐπίσκοπος τῶν Καισαρέων τῆς πρώτης τῶν Καππαδοκῶν ἐπαρχίας, καὶ ἔξαρχος τῆς Ποντικῆς διοικήσεως. Thracica poſtremo diœceſis ſex prouincias habuit, quarum prima fuit Europa. ita enim recenſentur in Notitia vtriuſque imperij: *Europa, Thracia, Hæmimontus, Rhodope, Mæſia ſecunda, Scythia.* Apud Conſtantinum Porphyrogennetam libro de Thematibus imperij Orientalis, ex Hierocle Grammatico qui Συνέκδημον ſcripſit, quinque tantum referuntur, & hoc ordine enumerantur, ἐπαρχία Εὐρώπης, ἐπαρχία Ροδόπης, ἐπαρχία Αἱμιμόντου, ἐπαρχία Θρᾴκης, ἐπαρχία Μυσίας. ἐπαρχίαν Σκυθίας omiſit. ſub finem capitis addit Conſtan-

tinus: ἕως ὧδε τὸ τῆς Θρᾴκης θέμα κατὰ τὸν Ἱεροκλέους Συνέκδημον. τὸ τῆς Θρᾴκης θέμα, vel τὸ Θρᾳκῷον θέμα vocat Thracicam diœcesim. caput autem illud de Thracici thematis prouinciis a Constantino Porphyrogenneta ex Hieroclis Synecdemo relatum, valde hodie perturbatum est & corruptum, & ab interpretibus male acceptum. quod heic obiter occasione data emendabimus. scribendum igitur in titulo, ἐπαρχίαι Θρᾴκης. Deinde caput ipsum ita incipere debet: Ἐπαρχία Εὐρώπης, ὑπὸ Κονσουλάρειον τουτέστι βουλευτήν, πόλεις ιδ'. atque ita verti debet: *Prouincia Europe sub Consulari, id est senatore, vrbes habet quattuordecim.* Prouincia illa Thraciæ quæ Europa dicta est, regebatur a consulari. Consularem autem ideo senatorem reddit Hierocles aut Constantinus ipse, quia consulares illi qui prouincias consulares rexere sub mediis imperatoribus, non consulares dicebantur, quod consulatum gessissent, sed quod consulari potestate prouinciam administrarent. senatores igitur erant tantum qui plerumque post administratas iure consulari prouincias, quum consulares prouinciarum bis terve, aut pluries etiam fuissent, consules demum fiebant. Horum consularium qui prouinciarum rectores essent, & nunquam consules fuissent, & ante Constantinum & post Constantinum frequentissima extat, apud auctores, & in antiquis monumentis mentio. at præsides, οἱ ἡγεμόνες, ex equitibus vt plurimum sumebantur. fieri tamen potest, vt Constantinus Κονσουλάρειον acceperit pro consiliario, & sic

βυλδυτίω verterit. ſcimus quam multa peccent talia Græci homines infimæ præſertim ætatis in rebus Romanis, quæ paulo vetuſtioris erant ſæculi. Sequitur apud Hieroclem ſeu Conſtantinum: ἐπαρχία Ροδόπης ὑπὸ τὸν αὐτὸν πόλεις ζ΄. inepte vertunt: *Præfectura Rhodopes ſub eadem vrbes ſeptem.* ſcribendum: ὑπὸ τὸν αὐτὸν, ſcilicet κονσουλάριον. *prouincia Rhodopes item ſub conſulari, in ea vrbes ſeptem.* prouincia tamen Rhodopes non ſub conſulari fuit, ſed ſub præſide. putarim itaque librarij vitio omiſſam eſſe prouinciam Σκυθίας. præcedebat igitur illa, quæ regebatur a præſide. ſequebatur, ἡ Ροδόπης ἐπαρχία ὑπὸ τὸν αὐτὸν, ſub eodem ſcilicet præſide. hoc indubitatum eſt. ſequitur ibidem: ἐπαρχία Κμιμόντου ὑφ᾽ ἡγεμόνα πόλεις ἕξ. male reddiderunt: *præfectura Mimanti, ſub duce ſex vrbes.* ſcribe & recte: ἐπαρχία Αἱμιμόντου, ὑφ᾽ ἡγεμόνα, πόλεις ἕξ. *prouincia Æmimontus ſub præſide, vrbes habet ſex.* & paulo poſt: ἐπαρχία Θρᾴκης ὑπὸ κονσουλάριον, πόλεις ε΄. *prouincia Thracia, ſub conſulari, in ea vrbes quinque.* & ſtatim: ἐπαρχία Μυσίας ὑφ᾽ ἡγεμόνα, πόλεις ιδ΄. *prouincia Mœſiæ, ſub præſide, vrbes in ea* XIV. ſex in totum Thracicæ diœceſeos prouinciæ fuere, quarum duæ regebantur a conſularibus, Europa & Thracia; reliquæ quattuor a præſidibus. Et hæc obiter. Ex illis igitur ſex Thraciarum prouinciis quæ Thracicam diœceſim conſtituebant, prima fuit, Europa prouincia, Europæ vero prima ciuitas Heraclea. Atque inde metropolitanus Heracleæ, totius diœceſeos exarchus dicebatur, quia primariæ per diœceſim pro-

uinciæ fuit metropolita. in eadem Europa sita etiam fuit Byzantium quæ postea Constantinopolis: Rufus Festus in Breuiario: *ita ditioni Reip. sex Thraciarum prouinciæ sunt acquisitæ, Thracia, Æmimontus, Mœsia inferior, Scythia, Rhodope, Europa, in qua nunc secundæ arces Romani orbis sunt constitutæ.* quum adhuc Byzantium tantum esset, vt supra diximus, Heracleæ suberat, quæ caput erat vt primæ prouinciæ, sic totius etiam diœcesis. Postquam ex Byzantio Constantinopolis facta, & imperij sedes, in locum Heracleæ successit, & non solum Europæ prouinciæ diœceseosque Thracicæ metropolis constituta est, sed etiam omnibus per Orientem metropolibus prælata. Hinc Socrates li. v. hist. Eccles. cap. VIII. Thracicam diœcesim, specialem facit exarchiam archiepiscopi Constantinopolitani: καὶ κληροῦται, inquit, Νεκτάριος τὴν μεγαλόπολιν καὶ τὴν Θρᾴκην. *& sortitur Nectarius Constantinopolim & Thracicam diœcesim.* ex eo tempore Heracleensis episcopus qui exarchum Thracicæ diœceseos subscribere se consueuerat, metropolitam Europeanæ prouinciæ se tantum subscribere cœpit, cum reliqui tamen duo exarchi Asianæ & Ponticæ diœceseos, licet eidem sedi subiecti, pristinum titulum in subscriptionibus retinerent. id apparet ex subscriptionibus sextæ Synodi, vbi tres illi exarchi diœceseon ita subsignarunt. Φιλαλήθης ἐπίσκοπος τῶν Καισαρέων τῆς πρώτης τῶν Καππαδοκῶν ἐπαρχίας, καὶ ἔξαρχος τῆς Ποντικῆς διοικήσεως. *Philalethes episcopus Cæsariensium metropolis, primæ Cappadociæ prouinciæ,*

uinciæ, & exarchus Ponticæ diœceſeos. Θεόδωρος ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως καὶ ἔξαρχος τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως. *Theodorus epiſcopus Epheſiorum metropolis & exarchus Aſianæ diœceſeos.* Σισίννιος ἐπίσκοπος τῆς Ἡρακλεωτῶν μητροπόλεως τῆς Εὐρωπειανῶν ἐπαρχίας. *Siſinnius epiſcopus Heracleotarum metropolis, prouinciæ Europeanorum.* Ἡ Εὐρωπειανῶν ἐπαρχία eſt Europa prouincia in qua ſitæ, cum Heraclea, tum etiam Conſtantinopolis. Perſuaſum tamen habuerim & ferme pro certo, Heracleotam epiſcopū ſemper illum titulū vſurpaſſe exarchi Thracicæ diœceſeos, ſicut & illi duo ſuperiores Aſianæ & Ponticæ. Nam & poſtremis Græciæ imperatorum temporibus hunc eumdem titulum vſurpauit, vt conſtat ex Codino, aliiſque recentioribus epiſcoporum Græciæ Notitiis. ſic enim ille ibi proſcribitur: ὁ Ἡρακλείας, πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος πάσης Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας. πάσης Θρᾴκης nomine ſine dubio intelligitur πᾶν τὸ Θρᾳκῷον θέμα, hoc eſt Thracica diœceſis. ſic ibidem Epheſinus epiſcopus totius Aſiæ exarchus indigetatur, hoc eſt Aſianæ diœceſis. ὁ Ἐφέσου ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας. quidquid horum fuerit, quod alibi pluribus ſuo loco expendemus, ſatis puto conſtare, Cæſarienſem, Epheſinum & Heracleenſem, tres illos epiſcopos, & antequam ſubderentur ſedi Conſtantinopolitanæ, & poſtquam eidem ſubiecti ſunt, nomine tantum ac titulo exarchos diœceſeon fuiſſe, reuera autem ſuarum duntaxat prouinciarum metropolitas. nihil enim iuris, nihil omnino iuriſdictionis in ceteros diœceſeos me-

tropolitanos habuere, ſed ſolam honoris prælationem & prærogatiuam, ex eo quod primas præcipuaſque in ſuis ſinguli diœceſibus prouincias regerent. hinc ipſi primarij præcipuique totius diœceſeos metropolitæ & ceteris omnibus antelati, atque adeo totius etiam diœceſeos exarchi propterea dicti. Ceterum metropolitæ illi quibus in tota diœceſi quantum ad honorem, antiſtabant, autocephali omnes fuere, & proprios epiſcopos ſuo iure ordinabant, & a Synodo prouinciæ ſuæ ordinabantur ipſi. Hoc idem porro & in aliis per Occidentem quoque diœceſibus vſitatum ſeruatumque licet obſeruare, vt ex primarum prouinciarum dignitate, dignitas etiam acceſſerit earumdem præſulibus, vt qui ſcilicet primæ cuilibet in vnaquaque diœceſi prouinciæ præeſſet, toti etiam diœceſi velut præeſſe cenſeretur, ac totius quoque diœceſis primus epiſcopus vel primas diceretur. Africana in Occidente diœceſis fuit, ſexque prouincias habuit: Africam ipſam, Byzacenam, Numidiam, Tripolitanam, Mauritaniam Sitifenſem, Mauritaniam Cæſarienſem. Harum prouinciarum primam fuiſſe Africam non dubium eſt. Africæ prouinciæ metropolis erat Carthago. Hinc epiſcopus Carthaginenſis totius Africanæ diœceſeos primus & maximus fuit metropolitanus. Hic ſi in Oriente fuiſſet, ſine dubio dictus eſſet ἔξαρχος τῆς Ἀφρικῆς διοικήσεως, *Africanæ diœceſeos exarchus*. Ceterum nec ipſi quicquam iuris aut poteſtatis datum fuit in alios prouinciarum Africæ metropolita-

nos: nec alio quam honoris titulo ſubiectos eos ſibi habuit. nam neque illos ordinabat, ſed a comprouincialibus epiſcopis ordinabantur. ſuos ipſi epiſcopos ſine conſenſu Carthaginenſis epiſcopi ordinabant. pleno itaque ac ſummo iure metropolitano fruebantur in ſuis ſinguli prouinciis. ſumma iudiciorum Eccleſiaſticorum totius prouinciæ penes eos erat. Nam in cauſis epiſcoporum vel clericorum, ad eos prouocabatur, aut ad concilium vniuerſale. Codex canonum Eccleſ. Afric. can. XXVIII. *Vt preſbyteri, diaconi vel ceteri inferiores clerici in cauſis quas habuerint, ſi de iudiciis epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini epiſcopi eos cum conſenſu ſui epiſcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis epiſcopi: quod ſi & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent ad tranſmarina iudicia, ſed ad primates ſuarum prouinciarum, aut ad vniuerſale concilium.* a primatibus igitur prouinciarum Africanæ diœceſeos non dabatur prouocatio ad archiepiſcopum Carthaginenſem tanquam ad patriarcham, licet primus eſſet primas totius Africæ, & proinde exarchus Africanæ diœceſeos. canon XXV. eiuſdem Codicis de iudiciis epiſcoporum, & clericorum cauſis: *quod ſi & ab eis epiſcopis prouocandum putauerint, non prouocent niſi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarum ſuarum.* primates autem & ipſi dicebantur, omnium Africæ prouinciarum metropolitani haud ſecus ac Carthaginenſis. αὐτοκέφαλοι igitur illi omnes primates erant. Nam & ſine interrogatione alterius primatis poterant ordinari, nec minus &

ipſi epiſcopos ſuæ prouinciæ inconſulto alio primate poterant ordinare. Hincmarus de eiuſmodi primatibus, cap. XVII. *ſed & quidam archiepiſcopi vel metropolitani primates prouinciarum multotiens in ſacris canonibus inueniuntur, illi videlicet qui in loco defunctorum archiepiſcoporum vel metropolitanorum ab epiſcopis vniuſcuiuſque prouinciæ ſine interrogatione alterius primatis præualent ordinari, & ex antiquæ conſuetudinis lege, a ſede Apoſtolica pallij ſolent genio inſigniri, & in loco decedentium epiſcoporum ſine conſultu vel licentia primatis alterius in ſua prouincia quique poſſunt epiſcopos ordinare.* Tales fuiſſe primates Africanos notat idem paulo poſt: *de quibus primatibus & Africæ prouinciæ concilia dicunt: quiſquis, inquiens, epiſcoporum accuſator, ad primatem prouinciæ ipſius cauſam deferat accuſator. & item: qui prouocandum putauerint, ad primates ſuarum prouinciarum, ſicut & de epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt, prouocent.* αὐτοκέφαλοι igitur omnes fuere prouinciarum Africanæ diœceſeos primates, ſola honoris prærogatiua ſeruata Carthaginenſi primati, vt primus ſcilicet inter illos primates eſſet, aut ſi vis etiam, primas primatum totius diœceſis, & vniuerſæ Africæ patriarcha. præter illud πρεσβεῖον τῆς τιμῆς, hoc etiam priuilegium habuit archiepiſcopus Carthaginenſis, vt per vniuerſam diœceſim Africanam dare & ordinare poſſet quos vellet & vnde vellet petentibus epiſcopos. qua in re, qui paria τὰ πρεσβεῖα epiſcopi Carthaginéſis & Alexandrini fuiſſe putát, viri eruditiſſimi, valde profecto falluntur. omnes Africanarum prouinciarum primates, in ſuis ſin-

guli prouinciis episcopos sibi subiectos ordinabant inconsulto episcopo Carthaginensi, ipsique ordinabantur a comprouincialibus episcopis absque præcepto & auctoritate eiusdem episcopi Carthaginensis. in tota vero Ægyptiaca diœcesi, nullus metropolita consecrari, nullus ordinari poterat episcopus sine consultu consensuque patriarchæ Alexãdrini. Hoc tamen saltem priuilegium, & hæc licentia episcopo Carthaginensi concessa erat, vt quoscunque vellet, & quacunque in prouincia positos clericos, sine permissu primatis prouinciæ, petentibus episcopos dare posset, & consecrare. multum inter se ista differunt, episcopos aliquos per diœcesim petentibus dare posse, & nullum non episcopum in tota diœcesi auctoritate singulari ordinare. Hoc habuit episcopus Alexandrinus in Ægyptiaca diœcesi; illud episcopus Carthaginensis in Africana. Ex primæ igitur in diœcesi prouinciæ, quam regebat prærogatiua, ante omnes totius diœcesis metropolitas, longe maxima auctoritas ac dignitas fuit metropolitæ Carthaginensis, sic tamen, vt iura aliorum metropolitarum non attentaret, nec quicquam iurisdictionis in eos sibi vindicaret aut vsurparet. Honoris tantum hæc πρεσβεῖα fuere. Nam τὰ δίκαια metropolitæ, in sua duntaxat prouincia hoc est in Africana proconsulari, cuius caput erat Carthago, habuit Carthaginensis episcopus. Hæc olim. postea longe maiora per Iustinianum accepit, vt infra dicam.

Italia quoque omnis cum Sicilia, Sardinia &

Corsica, diœcesis fuit vna trium, quæ sub dispositione præfecti prætorio Italiæ diœceses erant. Hæc diœcesis ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς a pluribus metropolitanis administrabatur, omnibus pari iure parique potestate præditis, præsertim quantum ad episcoporum ordinationes attinet. siquidem singuli immediate suppositos sibi suos episcopos ordinabant, non requisito alterius primatis consensu. Hos inter Italiæ primates siue metropolitanos primus ac dignitate præcipuus fuit vrbis Romæ episcopus, qui prouinciæ Romanæ iure primatis siue metropolitani præsidebat, cuius prouinciæ episcopos immediate sibi subiectos, nulli alij primati subiacentes ipse consecrabat. & hæc est prouincia Romana quam vocat vetus Niceni sexti canonis Vaticanus interpres, quamque suburbicariis locis determinat, & quam Ruffinus suburbicariis ecclesiis circumscribit. Ea est denique quam Arabicæ versionis eiusdem canonis auctor in locis & ciuitatibus circa vrbem Romam positis constituit. hæc, inquam, fuit metropolitana episcopi Romani prouincia, cuius metropolis vrbs Roma, quam *Romensem metropolim* vocat Notitia vetus, & in Etruria siue Tuscia collocat. Nam vrbs Roma in Tuscia prouincia. Ceterum si iure ac more vulgari omnium episcoporum vteretur episcopus Romanus, nec extra communia censendus esset, haud dubium est, quin ad exemplum ceterorum metropolitarum qui primas sedes ac primarias prouincias in vnaquaque diœcesi tenebant, futurus

fuerit Italiæ diœcesis primas vel exarchus vel patriarcha. hæc enim tria idem penitus sonant. & sane ita etiam dictus fuisset. Nam quod Ephesus & Asiæ prouincia, in Asiana diœcesi, quod Heraclea in Pontica, quod Carthago & Africa proconsularis in diœcesi Africana, hoc Roma & prouincia Romana in Italia. Tertullianus de præscript. *age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitentur, sonantes vocem & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum: si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ, habes Romanam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est statuta.* Romana porro illa Ecclesia nec iure nec nomine vltra prouinciam Romanam sese porrigebat, quod ad simplicium episcoporum ordinationes attinet. Nam quamuis esset primus Italiæ metropolitanus, iure tamen suo ceteri Italiæ metropolitani vtebantur in consecrandis prouinciarum suarum episcopis, inconsulto Romano pontifice. Par igitur potestas & ἐξουσία fuit omnium Italiæ metropolitanorum sub episcopo Romano; atque Africanorum sub Carthaginensi; Asianorum sub Ephesino; Ponticorum sub Cæsariensi; & Thracicorum sub Heracleota. siquidem omnes suprascripti metropolitæ αὐτεξούσιοι fuere, & αὐτεξουσίως suos quisque episcopos semper ordinauere. primatum honoris ha-

buere tantum præsules illi, qui patriarcharum aut exarchorum diœceseos nomine toti diœcesi præerant, quia primis earum scilicet diœceseon prouinciis præsidebant. sic primus Italiæ metropolitanus, episcopus vrbis Romæ fuit, & per hoc primas etiam siue patriarcha totius Italicæ diœceseos. Diœcesis enim erat vna, Italia, non duæ, vt imperitissime magister noster & censor censet, qui Italiam in duas diœceses diuidit, quarum vna prouincias omnes suburbicarias complecteretur, altera Italiam speciali & angusta significatione sumptam. Italiam totam vna cum Sicilia, Sardinia & Corsica, diœcesim vnam fuisse ex tribus, quæ præfecto prætorio Italiæ parebant, iam in superioribus diximus. in Italiæ diœcesi principem locum obtinebat inter metropolitanos qui plures erant, episcopus Romanus, prouinciæ Romanæ metropolitanus, ac proinde dici potuit Italiæ totius exarchus siue patriarcha, atque ita etiam dictus esset, si ad communem aliorum exarchorum siue patriarcharum modulum ac mensuram exigi deberet aut posset. At Roma non metropolis tantum Italiæ fuit, sed totius orbis: prouincia Romana non Italicarum modo prouinciarum & Italicæ diœceseos, sed omnium omnino prouinciarum prima: Ecclesia porro Romana non Italicarum duntaxat, sed vniuersarum per orbem Ecclesiarum caput fuit. vnde episcopus quoque vrbis Romæ, Ecclesiæ Romanæ sacerdos, prouinciæque Romanæ metropolita, non primus tantum Italiæ diœcesis metropolitanus,

politanus,

politanus, ſed omnium Eccleſiæ vniuerſæ epiſcoporum, metropolitarum, primatum primas ac princeps dici haberique debet. Præterea inter Italiæ diœceſeos prouincias, quæ ſeptemdecim erant, prouincia Romana nuſquam numeratur. non poteſt igitur inter eas prouincias primum habere locum, quæ nullum habet. Quare poſt epiſcopum vrbis Romæ, Romanæque primatem prouinciæ, nec Italiæ ſolum primum metropolitam, ſed orbis vniuerſi, qui primus in Italia metropolitanus fuit, eum quoque Italiæ diœceſeos primatem ſiue patriarcham, quod idem eſt, fuiſſe pro certo habendum. non alius autem primus extitit quam qui primam in diœceſi prouinciam rexit. in vulgaribus Notitiis prouinciarum Italiæ primo ſemper loco Campania numeratur. Ceterum Campania non totius Italicæ diœceſeos, ſed earum tantum prouinciarum quę ſub diſpoſitione vicarij vrbis erant, prima fuit. Eapropter quum ex diſpoſitione vicariorum recenſentur Italiæ prouinciæ, quia primo loco ſemper memoratur vrbis vicarius, & inter eas quas regebat prouincias prima erat Campania, quæ a conſulari regebatur, ideo Campaniam Notitiæ fere omnes vulgatæ primam ſcribunt. Sed quum Italiæ diœceſis ſimpliciter in prouincias diuiditur, & per conſulares rectoreſque ſuos deſcribitur, primum vbique locum obtinet, & in ordine ſemper prima ponitur Venetiarum cum Hiſtria prouincia, quam conſularis regebat, qui inter Italiæ conſulares primus ac princeps recenſetur in vtriuſque

Xx

imperij Notitia. Hinc Venetiæ & Hiſtriæ metropolitanus, patriarcha dicebatur, quia primam totius Italicæ diœceſeos prouinciam curabat. quod pluribus ſequenti capite confirmabimus.

Perpetuum vero hoc fuit in omnibus diœceſibus, vt primæ cuiuſque in qualibet diœceſi primas, hoc eſt metropolitanus, primatum quoque totius obtineret diœceſis. ſic ex quinque Lugdunenſibus prouinciis, qui primæ Lugdunenſis erat metropolita, ſecundum hanc regulam ſolus totius diœceſeos exarchus fuit, totique diœceſi præfuit, & primas ſolus appellatus eſt, quum reliquarum Lugdunenſium prouinciarum præſules, metropolitani tantum dicerentur. atque ita de ceteris per Gallias diœceſeon exarchis ſiue primatibus, qui & patriarchæ paſſim ab auctoribus appellati leguntur. reuera enim patriarchæ fuere, hoc eſt exarchi diœceſeon. nam ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, & πατριάρχης τῆς διοικήσεως apud Græcos idem. Ex primatu itaque prouinciarum, primatus etiam ſequebatur diœceſeon, quarum illæ primæ prouinciæ fuere. Hinc veteres Notitiæ prouinciarum quæ in Bibliothecis reperiuntur, diligenter ac ſedulo primarum in vnaquaque diœceſi prouinciarum nomina adnotata præferunt, hoc modo.

In Gallia prouinciæ XVII. *prima Lugdunenſis.*
In Italia XVII. *prima Campania.*
In Africa VI. *prima Carthago.*
In Hiſpania VII. *prima Tarracona.*
In Illyrico XVIIII. *prima Dalmatica.*

In Thracia VI. *prima ipsa Thracia.*
In Asia XII. *prima ipsa Asia.*
In Oriente X. *prima Syria Ciliciæ.*
In Ponto VIII. *prima Pontus Polemoniacus.*
In Ægypto VI. *prima ipsa Ægyptus.*
In Britannia V. *prima Britannia.*

Tot numero fuere in vtroque imperio diœceses, vndecim nimirum, quarum sex habuit Occidentis imperium, quinque Orientis. quod verum quidem est si totum Illyricum XVIII. prouincias complexum pro vna diœcesi computes. sed in Orientale & Occidentale diuidebatur. Orientale porro in duas diœceses, Macedoniam & Daciam. Macedoniæ diœceseos prima prouincia fuit Macedonia ipsa, & prouinciæ Macedoniæ metropolis Thessalonice. hinc Thessalonicensis archiepiscopus totius Illyrici Orientalis exarchus, nec Macedoniæ tantum, sed etiam Daciæ olim. sub Iustiniano Dacia suum patriarcham & exarchum habuit, Iustinianæ primę archiepiscopum. Thessalonicensis autem, vt & alij diœceseon in Oriente exarchi, Constantinopolitano patriarchæ tandem subiectus est, & in ordinem metropolitarum redactus. Hic vicarius olim fuit summi Pontificis per Illyricum Orientale. in cuius vicariatum successit Iustinianæ primæ archiepiscopus sub Iustiniano. quem vide Nouella CXXIII. Πολυςαύριον autem gestabat Thessalonicēsis, quod erat insigne patriarcharum, vt & reliqui diœceseon exarchi. & more patriarcharum scribebat, *ἡ μετριότης ἡμῶν*, cum reliqui

metropolitæ ſcriberent, etiam Epheſinus & Cæſarienſis atque Heraclienſis, ἡ ταπεινότης ἡμῶν. Formularium vetus: μητροπολίτην δῆλον οὐκ οἶδα μὲν γράφοντα, ὃ μετριότης ἡμῶν, εἰ μὴ μόνον τὸν Θεσσαλονίκης ἐν τοῖς ὑπ' αὐτόν. ἐγένετο δὲ καὶ τοῦτο νεωστὶ ἐν ταῖς ἡμέραις βασιλέως Καντακουζηνοῦ, ὅτε καὶ οἱ πρῶτοι τῶν Θεσσαλονικέων ἐκκλησιαστικῶν ἔθεντο τοὺς σταυροὺς ἐν τοῖς σχεδίοις αὐτῶν. ſed de his alibi. Aliæ porro aliis temporibus primatum in ſingulis diœceſibus obtinuere prouinciæ. de quo nos quoque alias plura. Supra memorata Notitia Thraciam primam facit ex Thraciarum prouinciis. Rufus quoque Feſtus in Breuiario Thraciam prouinciam Thracicæ diœceſeos primam conſtituit. in vtriuſque vero imperij Notitia, prima ponitur Europa. Hierocles quoque apud Conſtantinum de Thematibus primam recenſet Europam inter Thracicæ diœceſeos prouincias. primam eam fuiſſe Thraciarum non aliud maius indicium eſt, quam quod Heracleæ epiſcopus, & Europæ metropolitanus, vniuerſæ Thracicæ diœceſeos exarchus dictus eſt. Hoc eodem argumento probatur non Pontum Polemoniacum, vt veteres Notitiæ præferunt, ſed primam Cappadociam, totius Ponticæ diœceſis habitam eſſe primam prouinciam. Nam Cæſareæ Cappadociæ antiſtes, toti diœceſi Ponticæ præſidebat, & exarchus vniuerſæ illius diœceſis dicebatur. Inter Italiæ XVII. prouincias Notitia illa Campaniam primam facit. nos rationem ſupra reddidimus. Nam dubium non eſt quin Venetia cum Hiſtria fuerit prima Italiæ pro-

uincia. Hinc huius prouinciæ metropolitanus patriarcha olim dictus est. In reliquis omnia fere conueniunt, quod ad primas singularum diœceseon prouincias attinet. in singulis porro prouinciis, quæ primæ vrbes fuerunt, eæ quoque primos habuerunt episcopos, qui & metropolitani & primates dicebantur totius prouinciæ. Eadem Notitia singularum prouinciarum primas quasque ciuitates etiam notatas exhibuit, sed in plerisque eas pro primis posuit, quæ primæ non fuerunt, aut primæ esse desierunt. in Asiana prouincia Ilium primam numerat; secundam, Ephesum. Ephesum Asiæ prouinciæ primam fuisse ciuitatem, vt Asiam diœceseos Asianæ primam prouinciam, notum lippis & tonsoribus. Inde Ephesi metropolita, Asianæ quoque diœceseos exarchus & patriarcha. Verum hæc latius & accuratius exequemur in nostro de sacris & ciuilibus prouinciis commentario.

Primatum autem illorum, siue exarchorum diœceseon, & patriarcharum, qui primæ cuiusque in diœcesi prouinciæ præsules erant, & propterea toti quoque diœcesi præerant, auctoritas præcipue ac dignatio spectabatur, in conuocandis atque indicendis totius diœceseos Synodis, quibus & præsidebant. Huiusce generis concilia generalia dicebantur & plenaria, atque etiam vniuersalia, ex vniuersa nempe diœcesi congregata, & sub vno primate diœcesis siue patriarcha celebrari solita. Talia olim celebrata sunt Africana concilia sub

Carthaginensi primate: Antiochena sub exarcho dioeceseos Oriētalis, hoc est patriarcha Antiochiæ: Gallicana ex dioecesi Galliarum sub Lugdunensis patriarcha: Romana sub Romano ex tota Italia, quale illud fuit, quod sub Agathone celebratum est, ex omnibus Italiæ prouinciis. & sic de ceteris. de his Conciliis auctor incertus & ineditus, qui de subcælesti hierarchia scripsit, ita loquitur lib. II. cap. x. *generalia concilia sunt, quæ sub vno primate celebrantur, vt Lugdunense, Lateranense, quæ sub vno patriarcha celebrata fuerunt. vniuersalia vero proprie designantur, quæ communia sub patriarchis omnibus fiunt, vt Nicenum, Chalcedonense, Constantinopolitanum, & similia.* idem auctor paulo post: *generalia conuocantur & instituuntur a primate quolibet, metropolitanorum tamen consilio, vt habetur in Carthaginensi Concilio capitulo* XVIII. *vniuersalia autem concordia primatum omnium aduocantur, temporali etiam principe annuente.* vniuersalia vocat τὰ οἰκουμενικά, quæ ab generalibus distinguit, cum tamen & ipsa etiam vniuersalia dicta fuerint, ex vniuersa dioecesi nempe conuocata. idem lib. IV. cap. XVII. dicit sex esse regularum Ecclesiasticarum species: primam quæ omnibus est communis, Euangeliorum & sanctæ scripturæ, quoniam obligat Christianos & infideles: secundam Catholicam & vniuersalem, quattuor sanctarum vel octo Synodorum: tertiam generalem, canonum scilicet primatum vel patriarcharum: quartam prouincialem, quæ est canonum metropolitanorum: quintam episcopalem, id est specia-

lem, ſcilicet Synodi diœceſanorum: ſextam ſingularem, ſcilicet regularem, quæ eſt religioſorum. eas autem ſic explicat: *tertia regula ſiue canon eſt generalis, primatum videlicet conſtitutiones vel patriarcharum, ſicut Latinorum, Græcorum, Indorum, Gallicorum, Anglicorum & ſimilium, & talis debet eſſe ſemel in anno, ſed aliæ inferiores pluries. Generalis autem vel primatialis dicitur quia ſolum conſtringit homines regionis illius, qui in illam ab initio conſenſerunt. quarta prouincialis, id eſt metropolitanorum & comprouincialium epiſcoporum, prouinciales tantum adſtringit. quinta epiſcopalis, ſpecialis ſcilicet præſulum & diœceſaneorum ſuorum, quæ ciues & diœceſaneos tantum complectitur.*

Sciendum porro eſt, quum tot exarchi id eſt primates diœceſeon, ſiue patriarchæ fuerint, quot diœceſes, non eadem tamen omnibus iura ac priuilegia vel prærogatiuas fuiſſe, ſed aliis alias maiores minoreſve, nec parem omnes auctoritatem ac poteſtatem in ſuis diœceſibus habuiſſe. fuere qui præter honoris prærogatiuam, & titulum patriarchæ vel exarchi diœceſis, nihil admodum iuris aut poteſtatis haberent in ea diœceſi cuius exarchi dicebantur. excepta enim prouincia metropolitana, cuius ſollicitudinem gerebant, & quæ totius erat diœceſeos prima, nihil in ceteris prouinciis diœceſeos curabant, nec vllum imperium vel iuriſdictionem in ceteros metropolitanos exercebant. pari poteſtate ſuas ſinguli adminiſtrabant prouincias. honore præcellebat ille tantum, qui primam regebat, & exarchus ſiue primas vel patriarcha

etiam diœceſeos audiebat. tales erant exarchi Ponticæ, Aſianæ, & Thracicæ diœceſeos. Fuere quibus præter hunc honoris primatum, aliquid amplius datum fuit, vt archiepiſcopus Carthaginenſis, totius Africanæ diœceſeos exarchus, cui poteſtas conceſſa erat, vnde vellet, & quos vellet in tota Africana diœceſi ad deſiderium petentium epiſcopos creandi conſecrandique. in Hiſpaniarum diœceſi hoc idem iuris tributum eſt Toletano patriarchæ. poterat enim in quibuſlibet prouinciis, epiſcopos quos vellet ordinare. & hæc illi licentia Concilio Toletano XII. conceſſa legitur. ſed nec ille nec archiepiſcopus Carthaginenſis ſubiectæ ſibi diœceſeos metropolitanos vnquam ordinauit, nec epiſcoporum qui ſub metropolitanis erant ordinationes vſurpauit. omnes enim Africanæ diœceſeos metropolitæ, qui ſuarum ſinguli prouinciarum primates erant, quantum ad epiſcoporum ordinationes attinet, plenam αὐθεντίαν habebant, & pleno iure metropolitico fruebantur, & ipſi a ſuis comprouincialibus conſecrabantur. Patriarchæ vero fuere quidam, qui ſolos metropolitanos diœceſeon ſibi ſubiacentium ordinarent, ſimplicium autem epiſcoporum ordinationibus minime ſeſe immiſcerent, pleno iure ſeruato metropolitis ſub quibus erant; circa eorum ordinationes. tali genere ac iure vſus eſt patriarcha Conſtantinopolitanus in tribus diœceſibus ſibi ſubditis, Aſiana, Pontica & Thracica: Nam vt ſoli earum diœceſeon metropolitani ab eo ordinarentur,

canone

canone XXVIII. Synodi Chalcedonensis sancitum est. quod etiam eiusdem Concilij gesta testantur act. XVI. his verbis: χρῆναι δὲ τὸν ὁσιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης τῶν αὐτῶν πρεσβείων τῆς τιμῆς ἀπολαύειν, καὶ αὐτὸν ἐξ αὐθεντίας ἐξουσίαν ἔχειν τοῦ χειροτονεῖν τοὺς μητροπολίτας, ἔν τε τῇ Ἀσιανῇ καὶ Ποντικῇ καὶ Θρᾳκικῇ ταῖς διοικήσεσιν. Suprascriptarum porro diœceseon metropolitæ, ciuitatum sibi subiectarum episcopos proprio iure & auctoritate ordinabant, inconsulto patriarcha Constantinopolitano. eadem acta ibidem: τοὺς μὲν τοι κατὰ πόλιν ὁσιωτάτους ἐπισκόπους χειροτονεῖσθαι παρὰ πάντων ἢ τῶν πλειόνων τῆς ἐπαρχίας εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων, τὸ κῦρος ἔχοντος τοῦ μητροπολίτου κατὰ τὸν κείμενον πατέρων κανόνα, καὶ μηδὲν ἐπικοινωνοῦντος ταῖς ἐκείνων χειροτονίαις τοῦ ὁσιωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως. Nullus ad hoc exemplum in Occidente toto fuit patriarcha, qui per diœcesim scilicet sibi subiectam metropolitas singulari auctoritate ordinandi potestatem habuerit. ne episcopus quidem Romanus in Italia id iuris olim habuit, cuius exarchus specialis dici viderique poterat. antiquo enim ac peruulgato primitiuæ Ecclesiæ more, metropolitani omnes a comprouincialibus episcopis ordinabantur, sine cuiusquam primatis vel patriarchæ permissu. Postea vero, vt mores & ritus & omnia subinde mutantur, hoc iuris non solum in Italia, nec in Occidente, sed etiam in Oriente & per totum orbem sibi vindicauit episcopus orbis Romæ, vt metropolitanos ipse & patriarchas consecraret,

vel pallij miſſione confirmaret. ſi quando igitur Italiæ metropolitanos conſecrauit epiſcopus vrbis Romæ, vel conſecrandis aſſenſum præbuit, non tanquam ſpecialis Italiæ primas aut patriarcha id fecit, nemo enim primas aut patriarcha in Occidente hoc habuit, ſed tanquam vniuerſalis Eccleſiæ epiſcopus, & patriarcharum patriarcha: quo nomine non ſolos vniuerſæ Eccleſiæ metropolitanos, ſed etiam primates diœceſeon, patriarchaſque ipſos per pallij miſſionem conſecrabat & confirmabat. Sed vt ad rem redeamus, longe maiorem quam ſupradicti omnes patriarchæ, longe ampliorem ac pleniorem ἐξουσίαν καὶ αὐθεντίαν in ſua vterque diœceſi, quaſi antiquo more ſibi vſitatam ac debitam vſurparunt, Alexandrinus & Antiochenus antiſtites. Nec enim metropolitarum tantum, ſed omnium omnino epiſcoporum ex omnibus prouinciis ſibi ſubiectis ordinationes in ſua poteſtate habuerunt, adeo vt nemo poſſet metropolitanus epiſcopum vllum per illas diœceſes ordinare, ſine conſenſu & auctoritate Alexandrini vel Antiocheni epiſcopi. parem igitur & eandem plane poteſtatem habuit in vniuerſa Ægyptiaca diœceſi patriarcha Alexandrinus, & in Orientali Antiochenus, quam Romanus in metropolitana ſua prouincia, quamque ceteri omnes metropolitani in illis prouinciis quos metropolitico iure regebant. quamobrem Nicenus ſextus ille canon, qui metropolitanis omnibus Eccleſiis iura ſua ac priuilegia ſeruari debere ſanxit, Alexandrinum epiſcopum,

Ægypti, Libyæ & Pentapoleos, hoc eſt vniuerſæ Ægyptiacæ diœceſeos metropolitam vel ab antiquo ſic fuiſſe agnoſcit, vt epiſcopus vrbis Romæ prouinciæ Romanæ fuit metropolitanus, ac ceteri omnes vrbium metropoleon epiſcopi, ſuarum ſinguli fuere prouinciarum metropolitani. Nam quoad epiſcoporum ordinationes, in quibus præcipue iura metropolitanorum conſiſtunt, ius idem antiquo more habuit epiſcopus Alexandrinus per totam diœceſim ſibi ſubiectam, quod quilibet metropolitanus in ſua prouincia. Hoc etiam aliquando conceſſum fuiſſe legimus patriarchæ Conſtantinopolitano, in perſona Attici, vt niſi ex eius ſententia & auctoritate nemo ordinaretur epiſcopus. ſed quum ſucceſſor Attici Siſinnius hoc idem vſurpare vellet in ordinatione epiſcopi Cyziceni, dictum illi eſt, priuilegium illud perſonæ datum fuiſſe non ſedi. Socrates hiſt. Eccleſ. lib. VII. cap. XXVIII. καὶ τοῦτο ἐποίησαν, ἀμελήσαντες τοῦ νόμου τοῦ κελεύοντος, παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, χειροτονίαν ἐπισκόπου μὴ γίνεσθαι. ἠμελήσαν δὲ τοῦ νόμου τούτου, ὡς Ἀττικῷ μόνῳ εἰς πρόσωπον παρασχεθέντος.

Ex patriarchis igitur ſiue diœceſeon primatibus, alij ſolum honoris primatum, &titulum patriarchę in diœceſi habuere, vt Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ diœceſeon primates aliique omnes in Occidente primates, quicunque patriarchæ aut appellati ſunt, aut fuere reuera. nam ἔξαρχος διοικήσεως, & πατριάρχης διοικήσεως idem eſt. & hoc ſenſu patriarcha quoque &primas idem. Aliis præter honoris prærogatiuam

primati diœceseos iure debitam, metropolitanorum etiam χειροτονία attributa est, vt patriarchæ Constantinopolitano. alij non solum metropolitarum, sed etiam episcoporum simplicium per vniuersas sibi subiectas prouincias ordinationem singulari sibi iure & auctoritate defenderunt, vt Alexandrinus & Antiochenus patriarchæ. Ante hos omnes vero patriarchas, & super omnes episcopus Romanus, summusque idem Pontifex, vt totius Ecclesiæ caput, & patriarcharum coryphæus, pro illa plenissima & amplissima potestate, quam in Ecclesia Dei habere se intendit, non solum metropolitanorum omnium qui sibi ipsi caput sunt, quos Græci αὐτοκεφάλους vocant, sed etiam primatum patriarcharumque ordinariam ac legitimam consecrationem, summamque Ecclesiæ vniuersalis administrationem sibi vindicauit. Ceterum hic idem ille summus Ecclesiæ rector & Petri successor, prouinciæ Romanæ metropolitanus erat, & extra illam prouinciam quos immediate ordinaret, episcopos nullos habebat. qua de re dicendum erit capite huiusce dissertationis quinto & vltimo.

Ex metropolitanis porro, hoc est prouinciarum primatibus, alij fuere qui nullius patriarchæ præmisso vel requisito consensu, cum ipsi ordinabantur a comprouincialibus episcopis, tum episcopos subiectarum sibi ac suffraganearum ciuitatum ordinabant. Hoc iure olim ac more vsi, Italiæ, Africæ, Galliarum, Hispaniarum, & totius Occidentis metropolitani, & magna ex parte Orientis,

qui quantum ad hoc αὐτοκέφαλοι omnes erant, licet aliis primatibus ſubeſſent, quibus id honoris & prærogatiuæ conceſſum fuit, propter prouinciæ primariæ cui præſidebant dignitatem, vt totius diœceſis primates dicerentur. Alij vero epiſcoporum quidem ſibi ſubditorum liberam nec ab vllius patriarchæ auctoritate dependentem ordinationem habuere, ſed ipſi a patriarcha qui toti diœceſi præerat, ordinabantur, & ſic pæne ad plenum illi patriarchæ ſubiacebant, a quo τὴν χειροτονίαν accipiebant. tales erant ſub patriarcha Conſtantinopolitano Aſianæ diœceſeos, Ponticæ & Thracicæ metropolitani omnes, cum exarchis tribus illarum diœceſeon, poſtquam ſupraſcriptæ Regiæ vrbis ſedi ſubiecti ſunt. Alij porro metropolitani, penitus & ad plenum patriarchæ illius cui ſubiacebant, iugum & imperium ſubiere. nam nec ipſi ordinari, nec ſuorum epiſcoporum ordinationem facere, ſine conſenſu & conſcientia patriarchæ diœceſeos poterant, nec quicquam omnino gerere, aut adminiſtrare in propria prouincia, ſine eius auctoritate. Ex hoc genere fuere omnes Ægyptiacæ diœceſeos & Orientalis metropolitæ, ſub patriarchis Alexandrino & Antiocheno. Præcipue vero hoc ἴδιον καὶ ἐξαίρετον patriarcha Alexandrinus habuit, vt nihil rerum geri in tota Ægypti diœceſi potuerit, nullus epiſcopus creari conſtituique ipſo inconſulto: vt conſtat ex Niceno ſexto canone, & Chalcedonenſi trigeſimo, atque eiuſdem Concilij geſtis, actione IV.

Hæc de variis patriarcharum metropolitarumque priuilegiis ac iuribus, ideo fusius differenda duximus, vt sciri posset, quòd πρεσβεῖον in suis quisque diœcesibus olim habuerint exarchi Asianæ, Ponticæ, & Thracicæ diœceseon. Nam & ipsi patriarchæ dicebantur, & πατριαρχίαις hoc est diœcesibus præerant. Constat autem ex iis quæ superius nec alios metropolitanos per diœcesin vt ordinarent moris habuisse, nec quidquam iuris illis in eos competisse, sed solo honoris primatu, dignitatisque prærogatiua ceteros in diœcesi antecessisse metropolitas, ob eam quam superius exposuimus rationem. sic patriarchæ nomine pæne tantum tenus erant, qui nullos metropolitanos ordinarent, nihilque iuris aut iurisdictionis in eos haberent, idque priusquam sedi Constantinopolitanæ subderentur. postquam ei subiecti sunt, etiam si quid antea iuris aut prærogatiuæ habuissent, id omne perdidissent, vbi ceteris scilicet metropolitis exæquari cœpti sunt, & in ordine metropolitarum repositi ab illa sede cum reliquis ordinandi. atqui certum est, Chalcedonensis Concilij tempore, & longo ante illud tempus tempore, suprascriptos exarchos, patriarchæ Constantinopolitano subiectos fuisse, & ab eodem ordinari solitos, cum reliquis omnibus metropolitanis, Asianæ & Ponticæ & Thracicæ diœceseon. quod præter illa quæ superius ad hoc confirmandum adduximus, manifeste ac liquido comprobatur epistola Synodi Chalcedonensis ad Leonem Papam scripta. scri-

bunt in ea patres Chalcedone congregati, cum iampridem moris haberet patriarcha Conſtantinopolitanus, metropolitas Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceſis conſecrare, ius hoc illi confirmandum cenſuiſſe, non tam vt aliquod dignitatis incrementum ſedi eius conferrent, quam vt ſeditiones ac diſſenſiones populi & cleri vitarentur, quæ vulgo oriri ſolebant, ſedibus vacantibus ſupraſcriptorum metropolitarum, & præcipue Epheſini. verba Epiſtolæ hæc ſunt: τὸ γὰρ ἐκ πολλοῦ κρατῆσαν ἔθος, ὅπερ ἔσχεν ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία εἰς τὸ χειροτονεῖν μητροπολίτας τῶν διοικήσεων τῆς τε Ἀσιανῆς, καὶ Ποντικῆς καὶ Θρακικῆς, καὶ νῦν κατὰ συνοδικὴν ἐκυρώσαμεν ψῆφον, οὐ τοσοῦτον τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεώς τι προσνέμοντες, ὅσον ταῖς μητροπόλεσι τὴν εὐταξίαν πρυτανεύοντες, διὰ τὸ πολλοὺς πολλάκις, τελευτώντων τῶν ἐπισκόπων ἀνακύπτειν θορύβους, ἀνηγεμονεύτων ὄντων τῶν ἐν αὐταῖς κληρικῶν τε καὶ λαϊκῶν, καὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν τάξιν συγχεόντων. ὅπερ οὐδὲ τὴν ὑμετέραν ἔλαθεν ἁγιότητα, μάλιστα τῶν Ἐφεσίων εἵνεκεν, πλεονάκις ὑμῶν διενοχληθέντων. videnda etiam ſunt acta eiuſdem Synodi actione XI. in cauſa Baſſiani & Stephani, qui ἐπισκοπὴν Epheſi inuaſerant. Nam quum de alio epiſcopo in eorum locum ſubrogando & ordinando ageretur, & quæſtionis eſſet vbinam & a quo ordinari deberet, Aſianæ prouinciæ epiſcopi in vrbe Epheſina ordinandum eſſe, a comprouincialibus nimirum epiſcopis contendebant. Hunc morem a ſancto Timotheo per ſeptem & viginti epiſcopos deductum obtinuiſſe, vt epiſcopus Epheſi in prouincia conſecraretur ab epi-

ſcopis Aſiæ prouinciæ cuius erat metropolis Epheſus. Conſtantinopolitanæ vero Eccleſiæ clerus intendebat contra, & in vrbe Conſtantinopolitana, & a Conſtantinopolitano patriarcha conſecrandum eſſe metropoliten Epheſinum: hoc de more ac de iure ſedis illius eſſe. ſic Baſilium conſecratum iam fuiſſe. Iohannem Conſtantinopolis Regiæ vrbis patriarcham iam antea per Aſianam diœceſim quindecim epiſcopos depoſuiſſe. cum autem variis acclamationibus hinc inde certaretur, clerici Conſtantinopolitani clamarunt: τὰ τῶν πατέρων τῶν ρν' κρατείτω. τὰ προνόμια Κωνσταντινουπόλεως μὴ ἀπόληται. ἡ χειροτονία κατὰ τὸ ἔθος ἀπὸ τοῦ ὧδε ἀρχιεπισκόπου γίνηται. vt hinc liqueat verum eſſe quod ſupra notabamus, Conſtantinopolitanos patriarchas ius illud metropolitas conſecrandi per Aſianam, Ponticam & Thracicam diœceſim ex Concilio CP. primo ſibi adrogauiſſe, & hanc licentiam ab illo tempore vſurpauiſſe, quæ a Concilio demum Chalcedonenſi ad plenum confirmata eſt. quapropter tempore iam Synodi Chalcedonenſis, vt certiſſimum eſt, & epiſcopum Epheſinum exarchum Aſianæ diœceſeos; & Cæſarienſem qui Ponticæ; & Heracleotam, qui Thracicæ diœceſeos exarchus dicebatur, cum ceteris illarum diœceſeon metropolitis patriarcha Conſtantinopolitanus ordinabat. quod ſi igitur tres ſupra dicti exarchi nullam iam tum iuriſdictionem habuere, nullam in alios metropolitas poteſtatem, quis de illis exarchis interpretari poterit nonum canonem Chalcedonenſem,

ſem, qui epiſcopum vel clericum cum metropolitano proprio litigantes, exarchum diœceſeos adire debere conſtituit? Hoc certe nemo poſſit, niſi ſi communi ſenſu plane careat, aut ſenſu, qualem Sirmondus habet, abundet. Sed Balſamo ita interpretatus eſt? quid ſi Balſamo nugatus eſt? quaſi parum eſſet nugator vnus, ſolum eſſe noluiſti. Atqui conſideraſſe te oportuit, quod idem addit Balſamo: προνόμιον illud exarchorum, hoc eſt metropolitarum qui diœceſeon erant primates, ſua ætate, nec vim nec vſum vllum habuiſſe. nam etſi exarchi diœceſeon metropolitæ tum quidam dicerentur, nihil tamen illius iuris aut iuriſdictionis in alios metropolitas datum fuiſſe. oportere igitur aut illos alios eſſe exarchos quam de quibus agit canon Chalcedonenſis, aut eoſdem quidem, ſed non eadem, quæ olim priuilegia habere. Iam ex te libet quærere, ὦ καλὲ διδάσκαλε, an putes Balſamonem verba canonis Chalcedonenſis de illis exarchis hoc eſt diœceſeon metropolitis interpretaturum eſſe, ſi ſciuiſſet Chalcedonenſis Concilij tempore non maiorem eos quam ſua ætate poteſtatem habuiſſe aut prærogatiuam? nunquam ſane feciſſet, nec tam ſtipes fuiſſet. nunc quum tam multis oſtenderim nihilo plus iuris illos habuiſſe, nec olim priuſquam ſubiecti eſſent Conſtantinopolitanæ ſedi, nec poſtquam eidem ſubiecti ſunt, nullaque maiore prærogatiua ſubnixos fuiſſe tempore Synodi Chalcedonenſis, quam Balſamonis ætate: quid inde ſequitur, niſi properos ac nugaces

interpretes esse, qui de illo exarchorum genere putauerint accipiendos canones nonum ac decimum septimum Concilij Chalcedonensis?

Nunc quærendum est, quum sic apertis ac disertis verbis suprascripti duo canones metropolitam ab exarcho diœceseos distinguant, quid tamen Græcos mouerit, vt per exarchum diœceseos, aut prouinciæ metropolitam, vt Zonaras; aut metropolitam diœceseos vt Balsamo, intelligendum putarent. Pro certo habuerim, eos ad vocem tantum exarchi respexisse, quomodo illo tempore accipiebatur, & sub patriarchatu quidem Constantinopolitano. Sciendum est igitur tres veluti classes atque ordines metropolitanorum sub patriarcha Constantinopoleos fuisse. vnum eorum genus fuit, qui metropolitæ simpliciter dicerentur. hi nec vllis episcopis præerant, nec vllam prouinciam sub se habebant: honorarij tantum erant metropolitæ, & solo nomine metropolitarum decorabantur, & ὑπέρτιμοι duntaxat inscribebantur, non etiam exarchi, quia nullam ἐξαρχίαν haberent, hoc est nullam prouinciam, cuius exarchi dici possent. In secundo ordine fuere metropolitæ omnes veri legitimique & communes, qui singulas scilicet prouincias regebant, & earum quibus præerant prouinciarum exarchi vt erant reuera, sic etiam dicebantur. hi sunt qui ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι nuncupabantur. Tertia porro classis, quæ prima & honoratissima, generis huiusce metropolitarum fuit, qui non singulis tantum prouinciis, sed integris diœ-

cesibus, honore saltem ac nomine tenus præsidebant. atque isti ὑπέρτιμοι ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχοι inscribi solebant, quasi dicas, metropolitæ metropolitarum, & exarchi dioeceseon. Ex hoc genere atque ordine tres tantum metropolitani fuere sub patriarcha Constantinopolitano; Cæsariensis nempe metropolita, qui Ponticæ dioeceseos, Ephesinus qui Asianæ, Heracleota qui Thracicæ vocabantur exarchi. inter metropolitas igitur sedi Constantinopolitanæ subiectos, alij ὑπέρτιμοι tantum erant, alij ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν; alij vero ὑπέρτιμοι τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχοι τῶν διοικήσεων. alij metropolitæ tantum & honoratissimi: alij honoratissimi & primates prouinciarum: alij honoratissimorum honoratissimi, & primates dioeceseon. qui metropolitæ tantum dicebantur & ὑπέρτιμοι, ideo ἔξαρχοι dici non poterant, quia nec episcopos nec prouinciam sub se habebant, cuius ἔξαρχοι viderentur. vt re ergo carebant, sic & nomine. Græculi vero interpretes cum in illo nono Chalcedonẽsi canone eam metropolitani & exarchi dioeceseos, & patriarchæ Constantinopolitani mentionem fieri viderent, persuaserunt sibi, de solo patriarchatu Constantinopolitano, ac de clericis & episcopis metropolitisque solis sub illa sede constitutis conditum eum fuisse. hinc illi ἔξαρχον διοικήσεως in eo canone, de metropolitis prouinciarum aut dioeceseon exarchis, qui sedi Constantinopolitanæ parebant, accepere. μητροπολίτην vero de illo genere metropolitarum, qui nec exarchi prouinciarum erant nec dioe-

ceſeon, ſed metropolitæ tantum dicebantur, & a metropolitis qui exarchi fuere diſtinguebantur. Ad eum igitur modum putauerunt iudicia debuiſſe exerceri in foro Eccleſiaſtico ſub patriarcha Conſtantinopolitano, & hos gradus iuriſdictionis eſſe, vt epiſcopus vel clericus cum illo metropolita contendens qui exarchus non eſſet, iudicem haberet metropolitam illum qui exarchus erat vel prouinciæ vel diœceſeos, aut certe patriarcham Conſtantinopolitanæ ſedis. atque ita ſpecialiter de ſolis clericis & epiſcopis C P. ſedis, non vniuerſaliter de omnibus conſtitutum illud factum eſſe a patribus Synodi Chalcedonenſis interpretati ſunt. ſi enim ἐξάρχους διοικήσεων in illo canone de illis exarchis accipimus, quos intellexit Balſamo, & de quibus intelligendum cenſet cenſor, tum ſpecialem omnino canonem illum, non generalem fuiſſe dicamus neceſſe eſt, ac de ſolis patriarchatus C P. clericis tantummodo conceptum, non in vniuerſum de omnibus enuntiatum. certum quippe eſt, huiuſcemodi exarchos ſiue metropolitas diœceſeon, quales in illius canonis interpretatione vult intelligi cum Balſamone hic magiſter noſter, nuſquam alibi in toto Oriente extitiſſe quam ſub patriarcha Conſtantinopolitano. nullus ſiquidem in Oriente patriarcha, nec in Occidente quidem ſubiectos ſibi diœceſeon exarchos habuit, præter Conſtantinopolitanum. atque ille tres habuit ſub ſe duntaxat tales, exarchum nempe Aſianæ diœceſis, exarchum Ponticæ, & exarchum Thracicæ. At iſti plano ſunt

exarchi, de quibus canonem supraſcriptum exponunt Sirmondus & Balſamo. Specialis igitur ac ἰδικὸς ille canon, & ſpecialiter enunciatus, & propter ſolos clericos & epiſcopos & metropolitanos Conſtantinopolitanæ ſedi ſubditos factus, non generalis nec vniuerſalis, vt decuit & oportuit in concilio œcumenico, quale fuit Chalcedonenſe. omnino igitur ſecundum illam expoſitionem, ſpecialiter & ἰδικῶς conceptus & conſtitutus accipi deberet ille canon. alias quam abſurdum eſſet, dicere, vel etiam cogitare, decretum fuiſſe a Synodo vt cuiuſcunque per Orientem diœceſeos epiſcopi vel metropolitani, & ſub quocunque patriarcha conſtituti, inter ſe litigantes iudicem ac diſceptatorem acciperent vnum ex illis exarchis, qui patriarchæ Conſtantinopolitano parent, aut certe patriarcham ipſum Conſtantinopolitanum? aut abſurditas incurrenda eſt, aut ille canon ſpecialiter exponendus eſt. atqui non poteſt ita etiam exponi niſi abſurdiſſime. nec enim de clericis & epiſcopis aut metropolitanis ſub patriarcha Conſtantinopolitano magis, quam de aliis quibuſlibet, & quocunque ſub patriarcha poſitis hoc conſtitutum feciſſe Synodi Chalcedonenſis patres certiſſima res eſt. de omnium quippe clericorum & epiſcoporum iudiciis in vniuerſum hoc ita ſanxere. nec aliam veteres quam vniuerſalem & vniuerſaliter conceptam huius canonis ſententiam fuiſſe interpretati ſunt. Iuſtinianus Nou. cxxiii. Gregorius Magnus epiſt. lvi. lib. xi. ſic enim ex illo canone iudicia

Ecclesiastica celebrari oportere, & hunc ordinem habere constituerunt, vt ab episcopo ad metropolitam prouinciæ, a metropolitano ad exarchum diœcesis, quem illi patriarcham diœcesis vocant, dirimendæ ac terminandæ clericorum causæ dirigerentur. verba Iustiniani ex supradicta Nouella hæc sunt: *Εἰ δὲ κατὰ μητροπολίτου τοιαύτη προσέλευσις γένηται, εἴτε παρὰ ἐπισκόπου, εἴτε παρὰ κληρικοῦ ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσώπου, ὁ τῆς διοικήσεως ἐκείνης μακαριώτατος πατριάρχης κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ πρᾶγμα κρινέτω.* vbi *πατριάρχην διοικήσεως* vocat imperator, qui *ἔξαρχος διοικήσεως* in canonibus dicitur. patriarcham diœcesis appellat similiter Gregorius epistola suprascripta: *Et si quis iudicatis contradixerit, ad beatissimum archiepiscopum & patriarcham diœceseos illius referatur causa, & ille secundum canones & leges huic præbeat finem.* sic *primas diœceseos*, quod alia vetus habet versio, & *patriarcha diœceseos*, & *exarchus diœceseos* omnino idem sunt. quod autem in canonibus Synodi Chalcedonensis additum legitur, *ἢ παρὰ τῷ τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω*, hoc iam diximus vt in fauorem ac prærogatiuam patriarchæ Constantinopolitani adiectum, & contra ius commune & regulam positum, ideo nec obseruatum ab Ecclesia fuisse, & a Iustiniano propterea omissum.

Exarchus igitur diœceseos in illis canonibus non est metropolita diœceseos, quales fuere numero tres sub episcopo Constantinopolitano, sed patriarcha diœceseos, qui metropolitanos sibi suppositos haberet plures, & iurisdictionem in eos exer-

cere iure poſſet. quod ius nunquam habuere tres illi exarchi ſiue metropolitæ diœceſeon, qui ſedi Conſtantinopolitanæ ſubiacebant. nihil enim iuriſdictionis datum illis vnquam fuit in ceteros metropolitas, nec aliud ipſi fuere quam metropolitæ, nec aliter appellati ſunt, poſtquam Conſtantinopolitanæ ſedis archiepiſcopum, tanquam ſuum patriarcham, καὶ πατέρα ἐξαίρετον agnoſcere cœperunt. Ex eo tempore τάξιν & nomen μητροπολιτῶν habuere tantum, retento tamen titulo exarchorum diœceſeos, licet reuera, exarchi prouinciarum ſinguli ſuarum dumtaxat eſſent. Canon igitur nonus Synodi Chalcedonenſis ſub nomine μητροπολίτου non ſolum metropolitas comprehendit, qui exarchi tantum erant prouinciarum, ſed & hos etiam qui exarchi diœceſeon dicebantur. Canon etiam vigeſimus octauus eiuſdem Synodi non aliter eos appellat quam μητροπολίτας, dum ſtatuit, τοὺς τῆς Ποντικῆς καὶ τῆς Ἀσιανῆς καὶ τῆς Θρακικῆς διοικήσεως μητροπολίτας ab archiepiſcopo Conſtantinopolitano χειροτονεῖσθαι. Per μητροπολίτας enim Aſianæ, Ponticæ, Thraciæque diœceſeos, tam exarchos intelligit, quam ceteros qui exarchi non dicebantur. omnes quippe ordinabat ex æquo Conſtantinopolitanus patriarcha. in veteribus Notitiis epiſcopatuum qui ſedi Conſtantinopolitanæ ſuberant, hanc tantum prærogatiuam habent illi tres exarchi, quod primo loco recenſentur, ſed inter metropolitas, ſed ſub nomine metropolitarum. Codinus: αἱ ὑποκείμεναι μητροπόλεις τῷ πατριαρχικῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως,

ὁ Καισαρείας, ὁ Ἐφέσου, ὁ Νικομηδείας. idem: περὶ τῆς τάξεως τῶν θρόνων τῶν μητροπολιτῶν. ὁ Καισαρείας, ὁ Ἐφέσου, ὁ Ἡρακλείας, ὁ Ἀγκύρας, ὁ Κυζίκου, &c. Leonis Philosophi diſpoſitio de ordine metropolitarum & archiepiſcoporum patriarchæ Conſtantinopolitano ſubiacentium: τάξις προκαθεδρίας τῶν ὑπὸ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως τελούντων μητροπολιτῶν, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοὺς ἐπισκόπων. τῷ Καισαρείας, Καππαδοκίας. τῷ Ἐφέσου, Ἀσίας. τῷ Ἡρακλείας, Θράκης καὶ Μακεδονίας. τῷ Σαρδέων, Λυδίας. ſic Cæſarienſis metropolitanus, vt ex hac Leonis διατυπώσει apparet, tametſi exarchus Ponticæ diœceſeos dictus fuerit, non aliam tamen habebat prouinciam, quam iure metropolitani regeret, aut cuius epiſcopos ordinaret, quam Cappadociam primam. ita nec Epheſi metropolitanus, qui exarchus dicebatur Aſianæ diœceſeos, alij cuiquam prouinciæ re ipſa præſidebat, quam Aſiæ, quæ vna erat ex duodecim Aſianæ diœceſeos prouinciis. idem eſt de Heracleæ metropolitano, qui & ipſe Thracicæ diœceſeos audiebat, nam toti diœceſi non præerat, ſed vnam tantum in Thracica diœceſi prouinciam adminiſtrabat, cuius & erat metropolita. Nec ſane quantum ad iſtos exarchos attinet, aliter hæc ſe res habuit, aut alia de his forma vel diſpoſitio fuit Concilij tempore Chalcedonenſis, ac Philoſophi Leonis imperatoris ætate. quapropter canones ſupraſcriptæ Synodi qui metropolitam ab exarcho diœceſeos diſtinguunt, & exarchum diœceſeos metropolitanis iudicem dari decernunt, de aliis omnino diœceſeon exarchis

chis intelligendi ſunt quam de iſtis qui patriarchæ Conſtantinopolitano tunc ſuberant, qui metropolitæ tantum erant, ſic dicebantur, & nihil iuriſdictionis habebant in metropolitas. quinimmo & metropolitas eos eadem Synodus vocauit, & metropolitarum nomine comprehendit, nec ab eo tempore vſque ad infima imperij tempora aliud habuere nomen. Conſtitutio Iſaaci Angeli ſub finem ita eos appellat: *οἱ μέν τοι παρευστάσοντες μητροπολῖται, ἤγουν οὗτοι, ὁ Καισαρείας, ὁ Ἐφέσου, ὁ Κυζίκου, ὁ Σίδης, ὁ Ἀμασείας, ὁ Νεοκαισαρείας, ὁ Καρίας.* Heic vides & metropolitas nominari, & cum aliis metropolitis recenſeri. nec alij vt diximus cenſebantur, nec aliter recenſebantur etiam Synodi Chalcedonenſis ætate. alius igitur ab iſtis exarchis cenſendus exarchus ille diœceſeos, de quo Synodus loquitur, ac plane diuerſus a metropolita, & plus quam metropolita, vt pote qui de metropolitanorum cauſis cognoſceret, quum iſti exarchi de quibus intelligit curuus noſter rector, metropolitæ tantummodo fuerint, nec aliud ius, aut nomen aliud quam metropolitarum habuerint. Sed omiſſis Græculorum ineptiis interpretum, & ineptiſſimis eorum qui Græculos ſequuntur interpretationibus, breuiſſima vna via eſt, & rectiſſima vna ratio, qua ſcire poſſimus quis appelletur *ἔξαρχος διοικήσεως* in ſupraſcriptis duobus Concilij Chalcedonenſis canonibus IX. & XVII. Hoc vt ſciamus, tenere nos primum conuenit numerum omnium quæ per Orientem fuere diœceſeon. ſic nullus erit nobis ignotus diœceſeos exar-

chus. nam quot fuere diœceses, totidem diœceseon exarchos fuisse nullum dubium est. vbi omnes porro nouerimus, tum ex omnibus facile fuerit eligere de quibus Synodus intellexit. quinque omnino in Orientis imperio fuisse diœceses, Asianam, Ponticam, Thracicam, Orientem & Ægyptum nec ipse ἀντιθομάστιξ diffitetur: totidem igitur etiam fuere diœceseon exarchi. quare quum Synodus ἔξαρχον διοικήσεως nominauit, non alium potuit intelligere quam vnum aliquem ex illis quinque exarchis. nulli enim præter hos per Orientem exarchi diœceseon. Generaliter ille porro sancit ac statuit, vt in causis episcoporum & metropolitanorum inter se disceptantium, adeatur exarchus diœceseos, aut certe patriarcha Constantinopolitanus, vt negotia eorum iudicio suo dirimat ac terminet. quoniam vero vniuersales, non τοπικοὶ illi sunt canones, & de omnibus in vniuersum episcopis & metropolitis, quacumque in diœcesi positis, omnino constituti, de omnibus similiter exarchis, cuiuscunque tandem diœceseos exarchi fuerint, intelligendi sunt. nec enim pro solis sub patriarchatu Constantinopolitano consistentibus episcopis aut metropolitanis aut exarchis decretum illud factum est. Sed & quemadmodum per illos canones clericus cum episcopo proprio, vel alio quolibet controuersiam habens, adire Synodum prouinciæ iubetur, & apud eius audientiam causam suam disceptare: sic episcopus vel clericus si cum metropolitano suo causam habeant, ad exarchum diœce-

ſeos referre debent.ad exarchum ſcilicet diœceſeos illius, in qua & epiſcopus & metropolitanus, qui litigant, poſiti ſunt: ad exarchum inquam illum cui tam epiſcopus qui agit, quam metropolitanus aduerſus quem agitur, ſubiecti ſunt. Huiuſmodi igitur exarchus debet eſſe, qui metropolitanos iudicare poſſit, quique metropolitanos habeat ſibi ſubiectos. Nec alius enim diœceſeos exarchus, iudex eſſe queat metropolitarum qui in eadem diœceſi ſunt, quam qui eos ſub ſe habet, qui eorum ordinandorum ius habet, qui iuriſdictionem denique in eos habet. Ex omnibus porro diœceſeō exarchis, quos quinque fuiſſe diximus, duobus ſolis hoc ius fuit, hæc poteſtas, vt metropolitanos totius diœceſis ſubditos ſibi haberent, ac proinde ius in eos dicere, ac de eorum cauſis cognoſcere poſſent. Ergo de duobus illis ſolis verba canonis & accipi debent & poſſunt, quæ ſanciunt exarchum diœceſeos iudicem dari clericis vel epiſcopis cum metropolitano ſuo agentibus. quare ex illis quinque diœceſeon exarchis, qui per Orientem fuere, tres metropolitæ tantum erant, cum ceteris metropolitis patriarchæ Conſtantinopolitano ſubiecti erant, nullos ipſi metropolitanos ſibi ſubiectos habebant, nullam in metropolitanos iuriſdictionem exercere poterant; itaque de illis exarchis canones Chalcedonenſes interpretari nullomodo poſſumus. Tres autem iſti exarchi fuere, Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceſeon, quæ tres diœceſes vnicam diœceſim patriarchalem archiepiſcopi Conſtantinopolitani conſti-

tuebant, tresque earum exarchi vna cum ceteris metropolitis, eumdem archiepiscopum, tanquam proprium exarchum, & patriarcham agnoscebant. quoniam vero de tribus istis exarchis Synodum exponere non possumus, superest vt de reliquis duobus exponamus. Hi sunt Ægyptiacæ diœceseos exarchus, & Orientalis. Patriarchæ isti duo fuere, cum tres illi superius nominati metropolitæ tantummodo fuerint Synodi Chalcedonensis tempore. Patriarcha igitur Alexandrinus, exarchus Ægyptiacæ diœceseos erat, & sicut erat, ita dicebatur. Antiochenus etiam patriarcha diœceseos Orientalis exarchus fuit, ac dictus est. sic appellatur in actis Concilij Antiocheni, quæ habentur inter acta Concilij Chalcedonensis act. XIV. πάλιν ὑπό τε τοῦ ἐξάρχου τῆς ἀνατολικῆς κληθεὶς καὶ τῆς ἀθροισθείσης ἁγίας συνόδου. in eodem Concilio Chalced. act. x. Ibas Edessenus episcopus Antiochenum patriarcham ἔξαρχον suum vocat. Εἰ δὲ ἐκδέξεσθαι αὐτὸν, ὅτε ἡ ἀνατολικὴ σύνοδος ὡς αἱρετικὸν ἀναθεματίσειν, ἐξηκολούθησα τῷ ἐξάρχῳ μου. & paulo post: ὁ θεοσεβέστατος Ἴβας εἶπεν. Εἶπον ὅτι εἰ μὴ αὐτὸς ἑαυτὸν ἠρμήνευσε καὶ ἐδέξατο αὐτὸν ἡ ἀνατολικὴ σύνοδος, κἀγὼ μετὰ τοῦ ἐξάρχου μου καὶ τῆς ἀνατολικῆς συνόδου ἀπηρνούμην αὐτόν. Igitur cum Ægyptus & Oriens diœceses æque fuerint, ac Pontus & Asia, Thraciæque, nec minus exarchi diœceseon appellati sint, Alexandrinus & Antiochenus patriarchæ, quam exarchi illi Asianæ, Ponticæ, Thracicæque diœceseos, cur in canonibus Chalcedonensibus vocem illam ἔξαρχον διοικήσεως non æque saltem ac-

cipiendam censuisti de patriarchis Alexandrino atque Antiocheno, quam de tribus aliis Asianæ, Ponticæ, Thracicæq. diœceseon exarchis? an magis isti diœceseon exarchi fuere quam illi? an minus proprie dictas illi diœceses rexere, quam isti? quod si ἐξάρχους διοικήσεων in illis canonibus accipimus, de solis tribus Asiano, Pontico, & Thracico exarchis, tum necessario sequetur, canones illos specialiter accipiendos esse de solis metropolitarum & exarchorum iudiciis sub patriarchatu Constantinopolitano solitos exerceri. Nam tres illi exarchi patriarchæ CP. suberant: tres illæ diœceses, diœcesim eius patriarchalem constituebant. sed quemadmodum Synodus ipsa, sicut iam supra diximus, vniuersalis fuit non τοπική, sic omnes eius canones vniuersales esse oportuit; ac de vniuersis tam metropolitanis, quam exarchis diœceseon, vt concipi debuerunt, ita etiam accipi debent. Rursum vero si de vniuersis, qui tum exarchi diœceseon dicebantur, Synodum interpretabimur, necesse erit, vt omnium qui tunc fuere diœceseon exarchi, parem fuisse potestatem, atque eandem in metropolitanos iurisdictionem censeamus. atqui constat ex quinque numero qui erant in Oriente, diœceseon exarchis, alios plenissimam habuisse potestatem, alios nullam: alios veros fuisse patriarchas, alios meros tantum metropolitas: alios denique patriarchæ subiectos fuisse, & nullos habuisse metropolitas sibi subiectos, alios e contra nulli suppositos fuisse patriarchæ, & omnes per diœcesim, sub se

positos habuisse metropolitas. At enimuero Synodus de illis omnino diœceseon exarchis explicari debet, qui iurisdictionem in metropolitanos haberent. de solis igitur duobus exarchis Ægyptiacæ & Orientalis diœceseos, qui & patriarchæ erant & metropolitas sub sua potestate habebant, exponenda est. Nam tribus illis reliquis, qui diœceseon exarchi dicebantur, Asianæ nempe & Ponticæ, Thracicæque diœceseos, præter nomen exarchi, nihil iuris in ceteros metropolitas competit: quinimmo eodem iure cum ceteris censebantur, & vna cum aliis earum diœceseon metropolitis, patriarchæ Constantinopolitano parebant, & ab eodem ordinabantur. Recte igitur illi Græci interpretes qui ἐξάρχους διοικήσεων, τοὺς πατριάρχας exposuerunt. nam ἔξαρχος διοικήσεως, & πατριάρχης διοικήσεως, & πατὴρ etiam διοικήσεως idem est. Latine primatem diœceseos licet dicere, atque ita etiam dixere. Inter diœceseon igitur exarchos, alij erant patriarchæ, alij metropolitæ tantum. Patriarchæ fuere, Ægyptiacæ, & Orientalis diœceseos exarchi: metropolitæ, Asianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceseos exarchi, quibus præter exarchi diœceseos nomen, re prorsus & munere vacuum, nihil in tota diœcesi iuris fuit, præter quam in sua prouincia quam reliquorum metropolitarum more iureque administrabant. hinc metropolitæ & ipsi dicebantur, & inter metropolitas sedi Constantinopolitanæ subiectos numerabantur, vt constat ex illis Notitiis quas supra retulimus. Hoc etiam confirmat Elenchus

metropolitanarum ſedium Conſtantinopolitano patriarchæ ſubiacentium, quem ex veteri libro ſumptum Nicephori Hiſtoriæ ſubiunxit Patauius tuus. ita enim habet: αἱ ὑπὸ τὴν Κωνσταντινούπολιν μητροπόλεις, ἡ Καισάρεια, ἡ Ἔφεσος, ἡ Ἡράκλεια, ἡ Νικομήδεια, ἡ Ἄγκυρα. & quæ ſequuntur. Inter metropolitas igitur, & metropolitæ ipſi fuere, poſtquam Conſtantinopolitano patriarchæ ſubiecti ſunt. nam antea patriarchæ etiam ipſi dicebantur, & αὐτοκέφαλοι erant, & ſuæ quiſque diœceſis primi primates. vbi alteri patriarchæ fuere ſubditi, hoc vno excepto quod priſtinum retinuere nomen, & ornamenta etiam patriarchalia, πολυσταύρια enim geſtabant, qui habitus eſt patriarcharum, cetera ſimplices metropolitæ facti ſunt. ſic ex metropolitis qui patriarchæ CP. parebant, alij ἔξαρχοι διοικήσεων dicebantur, licet reuera ſuarum tantum ac ſingularum eſſent prouinciarum ἔξαρχοι: alij ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν, qui hoc erant, quod omnes ſunt metropolitæ, prouinciarum nempe, quibus præſunt, primates & rectores. ἔξαρχος enim ἐπαρχίας quilibet metropolitanus appellabatur, qui modo alicui prouinciæ præeſſet. ſiquidem honorarij quidam, & præcipue in Oriente, fuere metropolitæ, qui nullas ſub ſe habebant prouincias, nullos epiſcopos. hi nec ἔξαρχοι dicebantur, vt ſuperius docuimus, nec enim ἐπαρχίας hoc eſt prouincias, quas regerent habebant, & metropolitano prouinciæ ſuberant, ſed honore ſolo metropolitico gaudebant.

Hæc cum ita ſint, de nomine tamen exarchi ſic

ſcribis: *poſtremis imperij Conſtantinopolitani ſæculis, exarchi vacuum nomen, tanquam codicillos ſine re multis metropolitanis honoris cauſa communicatum eſſe, qui diœceſes reuera vel nullas, vel integras non habebant, vt Ancyrano, vt Cyziceno, vt Nicomedienſi, vt Niceno, vt aliis permultis.* Nihil non horum tuum eſt. nullum heic verbum eſt de meo. tu vero certiore nota notum facere non poteras quam ineptus & abſurdus & imperitus ſis. plane apparet aut aliud agentem, hæc te ſcripſiſſe, aut cum hoc maxime ageres, dormitaſſe, aut certe vigilantem neſciſſe prorſus quid ageres, nec cogitaſſe quid ſcriberes. Horum aliquid verum eſſe, vel etiam omnia, tam ex his quæ dixiſti, quam ex his quæ dicam, palam fiet. dicis igitur, exarchi vacuum nomen ſine re tanquam honorarios & inanes codicillos, datum fuiſſe quibuſdam metropolitanis qui diœceſes vel non integras vel nullas haberent. ergo tuo ſenſu tuaque ſententia, plenum exarchi nomen, & cum re ipſa iunctum ſolis illis metropolitanis conueniebat, ac competebat, qui ſolidas & integras diœceſes regebant. Hi ſoli tuo iudicio exarchi reuera ſicut erant, ita & poterant appellari. Hi ſoli, inquam, non fuerunt exarchi ſine re. cuius ergo rei dicemus eos exarchos fuiſſe? nempe diœceſeon. bene eſt. iam tenemus veros iſtos ac legitimos diœceſeon exarchos, quibus ſolis exarchi nomen cum re impoſitum eſt. nunc ad illos tranſeamus metropolitanos quos nomen exarchi vacuum ſine re dicis habuiſſe. quinam illi fuere? Ancyranum nominaſti, Cyzicenum, Nicome-

comedienſem, Nicenum, alioſque permultos. Hi exarchi etiam dicebantur, ſed ſine re. quid ita Sirmonde? *quia diœceſes vel nullas vel integras non habebant.* an nulla alia res erat, cuius exarchi fuerint? cuius exarchi dici potuerint? an diœceſis ſola res eſt, quæ poſſit exarchum facere? qui caſtellorum, qui vrbium, qui regionum, qui prouinciarum, qui etiam officiorum exarchi dicebantur ſiue primates, an ideo exarchi non erant, aut exarchi erant ſine re, quia diœceſes non habebant, quarum exarchi dicerentur? Ergo qui prouinciæ exarchus erit, ſine re vacuum nomen exarchi poſſidebit? Hæc mira profecto philoſophia eſt. ſed Sirmondi eſt, ideo non mira. tales ille ſolet dare, ridendas potius quam mirandas. Et ſane quis riſu temperare poſſit, quis ſibi imperare ne rideat, qui hæc legerit? cedo mihi ſis, quotquot olim fuere agelaſti, faxo ſibi malas ridendo diſſuant, vbi hæc audiuerint. Solum qui diœceſi præeſt metropolitanum, exarchum reuera eſſe quia diœceſi præeſt: qui vero metropolitani iure prouinciam vnicam regit, ſine re exarchum eſſe ac titulum tantum inanem retinere, quia prouinciam vnam regat, non diœceſim vnicam. Hoc tuum inſcitū ſcitum eſt, o magiſter omniſcie: nunc meum quod ſit, ſi ſcire vis accipe. Alia certe res eſt prouincia quam diœceſis. etiam res minor eſt, ſed non minus res eſt. ideo qui prouinciam regit, non minus cum re prouinciæ illius exarchus eſt, quam diœceſis exarchus, qui diœceſim regit. Profecto qui prouinciæ exarchus eſt, non eſt ſine re exarchus, ſed

prouinciæ exarchus. sic qui vici alicuius, qui pagi, qui vrbis vnicæ ἐξαρχῇ, is non minus exarchus eius vrbis, pagi, vici, castelli dici queat, quam si prouinciam integram, vel integram diœcesim, exarchi potestate regeret. cuiuscunque rei dicatur exarchus vel primas, sine re non potest esse, nec quisquam potest exarchus intelligi, quin statim etiam res aliqua intelligatur, officium puta aliquod, aliqua ciuitas, aliqua regio, cœtus aliquis, vel aliqua societas, prouincia denique vel diœcesis aliqua, cuius exarchus esse possit. Hoc verbum ex illis est quæ πρός τι referuntur. quomodo enim aliquis vel exarchus esse vel dici poterit, cui nulla res suberit, cuius exarchus sit? quomodo primas nisi aliquid sit, *nisi* aliqui sint, cuius vel quorum primas esse queat? ideo nunquam hoc vocabulum exarchi sine adiuncto positum reperitur: nunquam cuiquam sine re attributum, tanquam titulum inanem, vel honorarios codicillos imaginariæ dignitatis, vt ipse cantherino ritu somnians imaginatus es. Metropolitanus aliquis exarchus dictus est? aut diœceseos fuit exarchus aut prouinciæ. Nec qui prouinciæ exarchus fuit, minus cum re fuit, quam qui diœceseos. Immo etiam multo magis si de metropolitis diœceseon exarchis accipiamus, quales erant tres illi sub patriarcha Constantinopolitano. Nam metropolitæ qui prouinciis præerant, reuera earum exarchi erant, easque pleno iure ac potestate regebant. Metropolitæ vero illi, diœceseon exarchi, qui alteri patriarchæ vt maiori exarcho suberant, vt Asianæ,

Ponticæ, Thracicæque diœceſeon exarchi, qui ſub Conſtantinopolitano fuere, diœceſes eas non regebant quarum exarchi dicebantur, ſed tanquam primi totius diœceſeos metropolitani, hunc titulum honoris gratia duntaxat vſurparunt, & hoc nomen re vacuum prorſus ex antiquo retinuerunt, quum ſinguli ſuarum tantum prouinciarum eſſent metropolitæ, ad aliorum metropolitarum morem & exemplum. Hinc potes agnoſcere, vera fore quæ de exarchis ſcripſiſti, ſi verſa fiant. Nam quos veros fuiſſe reris exarchos, tres illos nempe, trium ſuprâſcriptarum diœceſeon primos metropolitas, eos dum exarchi diœceſeon appellati ſunt, ſpeciem tantum & appellationem ſine re habuiſſe, reuera autem ſingularũ duntaxat ac ſuarum prouinciarũ metropolitas vel exarchos fuiſſe, certũ eſt. quos vero inane nomen exarchi & re vacuum habuiſſe affirmas, eos optimo cum iure, vere ſolideque exarchos fuiſſe, earum ſcilicet quibus præſidebant prouinciarum. Patriarchæ autem qualis Alexandrinus & Antiochenus qui ſolidas & integras diœceſes pleno iure ac poteſtate regebant, qui metropolitanos totius, cui præerant, diœceſis ſibi ſubiectos habebant, hi vere diœceſeon exarchi dicebantur, non verius tamen nec meliori iure quam prouinciarum exarchi, qui prouincias adminiſtrabant, & totius prouinciæ cui præerant epiſcopos ſub ſe habebant, quales erant omnes metropolitæ prouinciarum rectores. hinc metropolitam Græci paſſim ἔξαρχον ἐπαρχίας vocant, vt patriarcham ἔξαρχον διοικήσεως, &

πατριαρχῶν διοικήσεως. Euagrius hist. Eccleſ. lib. IV. cap. XI. ὑποτίθησι τοὺς ἑκάστης διοικήσεως πατριάρχας ἀλλήλοις συμβαίνειν, τοὺς τε τῶν πόλεων ἐπισκόπους τοῖς ἰδίοις ἐξάρχοις ἕπεσθαι. Exarchus epiſcoporum in aliqua prouincia, etiam totius prouinciæ exarchus eſt. ſic ἔξαρχος ἐπαρχίας pro metropolita in Concilio Sardicenſi can. VI. χρὴ πρότερον ἐκεῖνον τὸν ἀπομείναντα ἐπίσκοπον ὑπομιμνήσκεσθαι διὰ γραμμάτων τοῦ ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας, λέγω δὴ τοῦ ἐπισκόπου τῆς μητροπόλεως. quilibet igitur metropolitanus epiſcopus, etiam prouinciæ exarchus eſt. ἔξαρχος ad verbum eſt *primas*. ſic enim Latini reddiderunt: qui ſcilicet in aliqua re primus eſt, qui ἐξάρχει, qui incipit, qui præit, vel qui præeſt. Vt Græci autem omnes metropolitanos ἐξάρχους ἐπαρχιῶν appellarunt, ita Latini *prouinciarum primates* de metropolitanis dixere. ſic omnes metropolitani vocantur in canonibus Africanis, vt infra dicturi ſumus. non ſola itaque diœceſis eſt, quæ faciat exarchum, ſed ſola diœceſis, facit exarchum diœceſeos. ſic qui prouinciæ præeſt metropolitanus, non ſimpliciter nec abſolute eſt exarchus, ſed prouinciæ eſt exarchus. ſola igitur prouincia facit prouinciæ exarchum. alia res eſt diœceſis, alia res eſt prouincia. ita etiam alius eſt diœceſeos exarchus, alius exarchus prouinciæ. Hic tamen non minus exarchus quam ille, nec minus bono cum iure, nec minori cum veritate. hinc quam falſum ſit oſtenditur quod ſcripſiſti, poſtremis imperij Conſtantinopolitani ſæculis, hoc nomen exarchi ſine re pluribus metropolitanis hono-

ris tantum causa communicatum fuisse. sane & primis & mediis & postremis imperij Romani temporibus, & sub vtroque imperio Orientis & Occidentis, omnes quotquot fuere, quotquot prouinciis præfuere metropolitani, prouinciarum exarchos siue primates fuisse, atque ita dictos esse, nisi quis Sirmondum dicat, nemo alius tam imperitus, tam pingui madens reperiri potest, qui nesciat. Solum hodie te noui, Sirmonde, qui possis dicere, metropolitam illũ, qui prouinciæ præest, qui plenam in ea potestatem habet, qui subiectos sibi episcopos totius prouinciæ ordinat, honorarium tantum prouinciæ exarchum esse, & honoris causa exarchum dici. sic etiam quilibet patriarcha, honoris tantum causa diceretur diœceseos exarchus. nullus etiam metropolita foret, nisi honorarius. quotiescunque igitur metropolitam aliquem ἔξαρχον ἐπαρχίας appellatum legemus, de honorario metropolitano intelligemus, & qui hoc exarchi nomen, tanquam codicillos sine re solius honoris gratia impositum habeat. Hæc tua, Sirmonde, sententia est. at quomodo, quæso te, exarchus sine re dicatur metropolitanus qui prouinciæ dicitur exarchus? non est sine re exarchus qui prouinciam habet, cuius ἐξάρχεται, cuius exarchus est. metropolitani illi omnes quos commemorasti, tanquam sine re nomen habentes exarchorum, prouincias vtique habuere, quarum exarchi erant, quarum exarchi dicti sunt. Ancyranus metropolitanus, quem primo loco posuisti, exarchus fuit totius Galatiæ,

atque ita appellabatur. Nicenus, totius Bithyniæ exarchus: Cyzicenus, totius Hellesponti prouinciæ: Sardianus, Lydiæ. & ita de reliquis, quorum nemo dictus est exarchus, quin prouinciam hoc est ἐξαρχίαν habuerit, cuius exarchus diceretur. Codinus hoc te docebit, si voles discere. sic enim ille de metropolitis, qui ἔξαρχοι καὶ ὑπέρτιμοι dicebantur:

Ο Ἀγκύρας μητροπολίτης, ἔξαρχος πάσης Γαλατίας.
Ο Κυζίκου, ἔξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου.
Ο Σάρδεων, πάσης Λυδίας.
Ο Νικομηδείας, πάσης Βιθυνίας.
Ο Σίδης, πάσης Παμφυλίας.

Ceteros ibi vide quos recenset. Horum, vt iam dixi, nemo exarchus inscribebatur, nisi re vera exarchus esset, & prouinciam hoc est ἐξαρχίαν haberet. multi enim fuere metropolitæ tantum honorarij, sed hi non dicebantur exarchi, sed ὑπέρτιμοι tantum. Veri autem metropolitę, qui prouincias metropolitanas regebant, exarchi vocabantur. nec tamen vnquam exarchi dicti sunt, aut inscripti, quin prouinciæ nomen adderetur, cuius erant exarchi. vt hinc scias exarchi titulum, re vacuum & inane duntaxat nomen non fuisse. Cum metropolitanus, aut alius quilibet episcopus ad metropolitanum scriberet, non simpliciter eum exarchum inscribebat, sed illius aut illius prouinciæ exarchum. Vetus formularium Græcum manuscriptum ex Regia Bibliotheca. ὅπως γράφουσιν οἱ μητροπολῖται τοῖς μητροπολίταις. Πανιερώτατε μητροπολῖτα ὑπέρτιμε καὶ ἔξαρχε πάσης
ἀγιώτατε καὶ θεόπατε δέσποτα, ἀγαπητὲ ἀδελφὲ καὶ

συλλειτουργὲ τῆς ἡμῶν ταπεινότητος. οὕτω καὶ γράφουσι τοῖς ἀρχιεπισκόποις δίχα τοῦ ὑπερτίμου καὶ ἐξάρχου. ſpatia vacua replenda erant nomine vrbis metropoleos & prouinciæ, cuius metropolitanus & exarchus erat ad quem ſcribebatur. ſi Nicenus igitur, exempli gratia, metropolita, ſcripſiſſet ad Ancyranum metropolitanum, ita ſcribendum habuiſſet: Πανιερώτατε μητροπολῖτα Ἀγκύρας, ὑπέρτιμε καὶ ἔξαρχε πάσης Γαλατίας, ἀγαπητὲ ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργέ, &c. nullus itaque metropolitarum exarchi titulo donabatur, quin prouinciam ſubiectam ſibi haberet, & epiſcopos quibus præeſſet, & qui non reuera exarchus eſſet. & ſemper ad exarchi titulum, nomen prouinciæ addebatur, quia nemo erat exarchus ſine prouincia, & ſic nemo ſine re exarchus. Codinus: Σημείωσαι ὅτι πρὸς τὸν Φιλιππουπόλεως, οἱ μὲν τῆς Κωνσταντινουπόλεως νοτάριοι ὑπέρτιμον ἔγραφον καὶ ἔξαρχον πάσης Θρᾴκης μόνον. ὁ δὲ Φιλιππουπόλεως Δαμιανὸς γράψας ἡμῖν ἔγραφεν ἑαυτὸν ὑπέρτιμον καὶ ἔξαρχον πάσης Εὐρώπης καὶ Δραγοβιτίας. Hinc ἐξαρχία Græcis eſt prouincia metropolitana, quam qui habet ſub ſe, cum omnibus prouinciæ epiſcopis, is exarchus dicebatur. Notitia manuſcripta in Regio Codice: ὁ Σάρδεων μητροπολίτης, ἔξαρχος πάσης Λυδίας. αὐτῷ οὐκ ἔνι νῦν ὁ Φιλαδελφείας, ὢν μὲν πρότερον ἐπίσκοπος τοῦ Σάρδεων. γενόμενος δὲ νῦν μητροπολίτης ἔχει καὶ τὸν τόπον καὶ τὴν ἐξαρχίαν ἐκείνου, καὶ τὰς λοιπὰς ἐπισκοπὰς ὑφ' ἑαυτόν. Dicit epiſcopum Philadelphiæ, cum prius metropolitæ Sardiano ſubiectus eſſet, factum eſſe ipſum poſtea metropolitam, & in locum metropolitani Sardium ſucceſſiſſe, &

totius Lydiæ, & omnium qui in illa erant prouincia episcoporum regimen & ἐξαρχίαν accepisse. eidem apud Codinum habentur. idem scribit de Claudiopolis episcopo, totius Honoriadis metropolita & exarcho, cuius in locum postea subrogatus est Pontoheracleæ episcopus. ὁ Κλαυδιουπόλεως, πάσης Ὀνωριάδος. ἀνθ᾽ οὗ ἔνι νῦν ὁ Ποντοηρακλείας, ἐπίσκοπος μὲν ὢν τῆς Κλαυδιουπόλεως πρότερον, γενόμενος δὲ μητροπολίτης ἔχει καὶ τὸν τόπον καὶ τὴν ἐξαρχίαν ἐκείνου. vulgo deest in editis apud Codinum, πάσης Ὀνωριάδος, sed ita restitui debet ex Codice Regio. nam Claudiopolis prouinciæ Honoriadis metropolis erat.

Exarchia igitur est prouincia metropolitana. & ἔξαρχος ἐπαρχίας est qui Latinis dicitur prouinciæ primas, metropolitanus nempe, qui prouinciæ præest. nec alij appellabantur exarchi inter metropolitas, quam qui ἐξαρχίας haberent. Metropolitarum vero illorum qui ἐξαρχίας habebant, & reuera erant exarchi, hoc est veri metropolitani, duo fuerunt ordines & classes sub patriarcha Constantinopolitano. vnus eorum qui ὑπέρτιμοι ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχοι inscribebantur. alter qui ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι tantum. Ceteri qui metropolitarum titulo honorabantur, & sine re nomen habebant, ὑπέρτιμοι, non etiam ἔξαρχοι scribi solebant. Vetus Notitia Regiæ Bibliothecæ, cui per omnia compar & consimilis est ea quæ sub nomine Curopalatæ vulgatur, sub titulo τῶν ἐξαρχιῶν metropolitas omnes comprehendit, qui reuera erant metropolitæ, hoc est qui prouincias sub se habebãt, quos in duas,

vt dixi, classes distinxit, & primam eorum fecit qui ὑπέρτιμοι τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχοι dicebantur: secundam illorum qui ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι. in prima tres solos illos recenset metropolitas qui honoris causa diœceseon exarchi dicebantur, quum reuera aliud nihil essent quam prouinciarum suarum exarchi. in secunda ponit ceteros omnes metropolitas, qui singulis præerant prouinciis. ita igitur habet:

αἱ ἐξαρχίαι τῶν μητροπολιτῶν.

α Ὁ Καισαρείας Καππαδοκίας. ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς.

β ὁ Ἐφέσου. ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας.

γ ὁ Ἡρακλείας. πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος πάσης Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας.

οἱ ἑξῆς πάντες ὑπέρτιμοι.

δ ὁ Ἀγκύρας. ἔξαρχος πάσης Γαλατίας.

ε ὁ Κυζίκου. ἔξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου, ἢ πόντος.

ϛ ὁ Σάρδεων, πάσης Λυδίας.

ζ ὁ Νικομηδείας πάσης Βιθυνίας.

& sic ceteri, vt apud Codinum, quorum vltimus est Hadrionopolis metropolita qui exarchus erat Hæmimonti. ita enim ad eum scribebatur, Πανιερώτατε μητροπολῖτα Ἀδριανουπόλεως, ὑπέρτιμε καὶ ἔξαρχε Αἱμιμόντου: vt notat Codinus. Hic Hæmimonti exarchus in veteri illa ἐκθέσει manuscripta ordine quadragesimus & vltimus est inter metropolitas sedi Constantinopolitanæ subiectos qui ἐξαρχίας habebant, vt primus est Cæsariensis. sic quadraginta in totum metropolitani sub Patriarcha Constantinopolitano tunc temporis fuere, qui ἐξαρχίας haberent, &

veri metropolitæ essent, prouinciisque præessent, & exarchi inde dicerentur. Codinus triginta sex tantum enumerat, sed quattuor omisit qui ex Regio exemplari restituendi sunt hoc modo.

λε ὁ Ναυπάκτου, πάσης Αἰτωλίας.
λϛ ὁ Φιλίππου πόλεως ἐξαρχίαν οὐκ ἔχει.
λζ ὁ Τραιανουπόλεως. πάσης Ροδόπης.
λη ὁ Ρόδου. Κυκλάδων νήσων.
λθ ὁ Φιλίππων. πάσης Μακεδονίας.
μ ὁ Αδριανουπόλεως. Αἱμιμόντου.

Apud Codinum statim post Naupacti metropolitam qui Ætoliæ ἔξαρχος, subiungitur ὁ Αδριανουπόλεως, mediis omissis, præter Philippopoleos episcopum cuius & meminit, notatque Thraciæ exarchum vulgo eum inscribi solitum a Notariis Constantinopolitanis, cum ipse Europæ & Dragobinciæ exarchum se præferret. Vetus Notitia ἐξαρχίαν eum non habuisse scribit. Exceptis illis quadraginta metropolitis, quorum primus erat metropolita Cæsareæ, qui ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς tunc dicebatur, & vltimus Hadrianopolis, qui Hæmimonti exarchus cluebat; ceteri nec exarchias habebant, nec exarchi proscribebantur, nec veri erant metropolitæ, sed honorem tantum ac titulum nomenque metropolitarum gerebant. Notitia vetus & Codinus post mentionem Hadrianopolitani metropolitæ, qui vltimus erat exarchorum, sic statim subiiciunt: μέχρι τούτων οἱ ἔχοντες ἐξαρχίας. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες μητροπολῖται, ὑπέρτιμοι μόνον γράφονται. sic ex octoginta metropolitis qui patriarchæ Constantinopolitano

ſuberant, tot enim enumerat antiqua Leonis Philoſophi διατύπωσις, ſoli quadraginta, dicebantur exarchi: ceteri metropolitæ tantum & ὑπέρτιμοι. aut enim nullos epiſcopos ſubditos habebant, aut in alterius metropolitæ prouincia poſitos, qui vt verus & antiquus metropolita, titulum exarchi prouinciæ ſolus vſurpabat. Exempli gratia, Hieropolitanus metropolita, qui & in illa Leonis διατυπώσει, & in omnibus antiquis Notitiis poſt Adrianopolitanum ponitur, & quadrageſimam primam inter metropolitas ſedem obtinebat, epiſcopos quidem in Phrygia Pacatiana ſibi ſubiectos aliquot habuit, non tamen exarchus Phrygiæ Pacatianæ dictus eſt, ſed Laodicenſis, qui verus erat metropolita & exarchus totius Phrygiæ cognomento Pacatianæ. ita & de Smyrnæo qui aliquot epiſcopis in Aſia prouincia præerat. vera tamen Aſiæ metropolis fuit Epheſus, & ſic Epheſinus epiſcopus, legitimus & antiquus Aſiæ totius exarchus. plures etiam in Phrygia vtraque fuere metropolitæ qui & epiſcopos ſibi ſubiectos habuere, vt Ammorianus, & Cotyacenſis, cum Synnadenſis metropolita Phrygiæ Salutaris, Laodicenſis Pacatianæ veri & antiqui fuerint exarchi, reliqui fere omnes θρόνους ὑποκειμένους non habebant, vt notant veteres Notitiæ. In Bithynia tamen prouincia hoc ſecus: accidit. nam tres habuit metropolitas Nicomedienſem, Nicenum & Chalcedonenſem, qui omnes exarchi Bithyniæ vocati ſunt, ideoq. recenſentur inter eos metropolitas qui ἐξαρχίας habebant. Codinus:

ὁ Νικομηδείας, ἔξαρχος πάσης Βιθυνίας.

ὁ Νικαίας, ὁμοίως.

ὁ Χαλκηδόνος, ὁμοίως.

Vnicus tamen olim legitimuſque fuit Bithyniæ prouinciæ exarchus, Nicomedienſium epiſcopus, quæ metropolis erat totius Bithyniæ. Erecta poſtea Nicea eiuſdem Bithyniæ ciuitate in metropolim ab Impp. Valentiniano & Valente, diu metropolita Nicenus intra ſolum honorem nomenque metropolitæ ſubſtitit, cum ius & poteſtas exarchi penes Nicomedienſem eſſet, qui omnes epiſcopos totius Bithyniæ ſedi ſuæ ſubiectos habebat, eoſque ordinabat, & ipſum etiã Nicenum, cui præter honorem & prærogatiuam metropolitæ, nihil plus iuris erat in tota prouincia, quam ſimplici cuilibet epiſcopo. atque ita iudicatum eſt a patribus Concilij Chalcedonenſis in controuerſia Anaſtaſij Niceæ epiſcopi qui de iure aliquot ciuitatum contendebat aduerſus Eunomium Nicomediæ epiſcopum, & antiquum Bithyniæ metropolitam & exarchum. Nam omnium totius prouinciæ epiſcoporum ordinationes Nicomedienſi adiudicarunt, Nicenumque ſolo honore ac nomine metropolitæ contentum eſſe iuſſerunt. Videnda ſunt acta ſupraſcripti Concilij, actione xiii. Cum enim per canones in vna prouincia duo metropolitas eſſe non liceret, ſi quando aliqua de nouo ciuitas in metropolim erecta eſſet ab imperatore, ciuitatis illius epiſcopus, honorem tantum nomenque metropolitæ habebat: at τὸ δίκαιον, καὶ τὸ κῦρος μητροπολίτου in ordinandis

prouinciæ totius episcopis penes alterum remanebat, qui ex antiquo metropolitanus fuerat. atque hic vere prouinciæ exarchus erat, qui & omnes episcopos sibi subiectos haberet, & ipsum illum, qui de nouo creatus fuerat metropolita. talis fuit sub Nicomediensi metropolitano, Nicenus metropolita Chalcedonensis Concilij tempore, vt ex actis constat eiusdem Synodi act. XIII. his verbis: οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον. τὴν μὲν αὐθεντίαν μητροπολίτου ἐν ταῖς κατὰ Βιθυνίαν ἐκκλησίαις ὁ Νικομηδείας εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος ἕξει, ὁ δὲ Νικαίας τὴν τιμὴν μόνην τοῦ μητροπολίτου ἔχοντος, ὑποκειμένου δὲ κατὰ μίμησιν τῶν ἄλλων ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας, τῷ τῆς Νικομηδείας. Huiuscemodi autem metropolitas honorarios, qui honorem tantum, non etiam iura metropolitana habebant, Græci *secundos metropolitas* vocauere. Hincmarus cap. XVII. *Hos namque, qui huiusmodi priuilegia siue per imperialem pragmaticam formam, siue per pallij ab Apostolica sede largitionem adepti sunt, Græci secundos metropolitanos appellant: de quibus & in gestis Chalcedonensis Concilij & in eiusdem Synodi canonibus, & decretis Innocentij inuenimus: quibus & aliis sacrorum canonum & decretis sedis Romanæ claret sententiis, eosdem metropolitanos primates esse singulos singularum prouinciarum, qui ex antiqua, vt præmisimus, consuetudine, & Apostolica traditione, secundum sacros Nicenos canones, & conuocare Synodos & ordinare episcopos, & ordinari a prouincialibus coepiscopis sine cuiusquam alterius primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas prouincias possunt.* Solus igitur metropolitanus ille, ad quem ex anti-

qua consuetudine, ἐξ ἀρχαίου, episcoporum ordinatio, & totius prouinciæ sollicitudo pertinebat, prouinciæ primas, hoc est ἔξαρχος dici poterat. quisquis autem vel ab imperatore per pragmaticam, vel a summo Pontifice per pallij missionem id honoris & priuilegij consequutus esset, honorarius erat quidem metropolita, sed primas prouinciæ, nec erat nec dicebatur. Nam nec episcopos prouinciæ ordinabat, nec quidquam in prouincia iure metropolitæ gerebat aut administrabat. Hanc eamdem differentiam Græci ponunt inter eos metropolitas qui ὑπέρτιμοι tantum, & eos qui ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι dicebantur. nam ἐξάρχους de veris metropolitis dicebant, qui totius prouinciæ administrationem haberent, episcoporumque ordinationem quos Latini *primates prouinciarum* appellant. siquidem ἔξαρχος ἐπαρχίας Græcis, & *primas prouinciæ* Latinis, plane respondent. ἔξαρχος enim est primas, vel qui primus est in re quacunque. quod autem scribit Hincmarus, huiusmodi metropolitas, qui prouinciarum primates & exarchi in veritate non erant, secundos a Græcis appellari metropolitanos, & huius appellationis haberi mentionem in actis Concilij Chalcedonensis; hoc verum esse constat ex rescripto Valentiniani ad Nicomedienses, quod iisdem actis insertum legitur act. XIII. vbi Nicea in metropolim ab imperatore tum nuper erecta, *secunda metropolis* vocatur, quia Nicomedia prima erat. verba rescripti hæc sunt: οὔτε γὰρ ἡ προσθήκη τῆς τιμῆς τὸ δίκαιον τὸ ὑμέτερον δύναται βλάψαι, ὁπότε ἐπαύξεται τὸ ἀξίωμα τῆς

Νικομηδέων, εἴπερ ἐκείνη ἡ ἐν δευτέρᾳ τόπῳ οὖσα μητροπόλεως ὀνόματι καλεῖται. talis igitur in Græcia Nicenus fuit, secundus post Nicomediensem Bithyniæ metropolitanus, sed sub Nicomediensi. talis in Galliis Arelatensis, sub Viennensi. Huiuscemodi tamen secundarij & honorarij metropolitani plerumque de iure metropolitano ac primatu contenderunt aduersus veros, & antiquos metropolitanos: vt Nicenus aduersus Nicomediensem in Concilio Chalcedonensi, & Arelatensis aduersus Viennensem in Synodo Taurinatensi. sed definitum semper ac decretum est, habere illum debere ὁ κύριος τῆς μητροπόλεως, qui iure ipso prouinciæ primas esset, & ex antiqua consuetudine potestatem haberet episcopos ordinandi. Nicenus autem cum prius nullum haberet episcopum suffraganeum, quinimmo ipse licet iam metropolitæ honore ac dignitate donatus, cum reliquis prouinciæ episcopis subiaceret Nicomediensi metropolitano totius Bithyniæ exarcho siue primati, postea tamen & suffraganeos episcopos habuit, & exarchiam Bythyniæ cum Nicomediensi partiri cœpit, & totius quoque Bithyniæ exarchus non minus quam ille dictus est. Leonis sane Philosophi διατυπώσεις quinque illi suffraganeos adscribit, cum certum sit nullum habuisse, tempore Chalcedonensis Synodi. Chalcedonensis quoque episcopus post Synodum Chalcedonensem metropolita factus est, sed nullos vnquam habuit suffraganeos: nihilominus tamen Bithyniæ exarchus est etiam dictus. Leo

Philosophus: τοῦ Χαλκηδόνος Βιθυνίας, θρόνος ὑποκείμενος οὐκ ἔστιν. & hic ſolus inter exarchos locum habuit, qui exarchus reuera non eſſet, nec vllam exarchiam haberet.

Omnino igitur quot prouinciæ fuere ſub patriarcha Conſtantinopolitano, tot etiam fuere exarchi & exarchiæ, cum tamen longe plures illi ſubeſſent metropoles quam prouinciæ, & metropolitani quam exarchi. ſolis enim, vt iam toties in ſuperioribus dixi, metropolitanis illis, vt exarchorum nomen vſurparent conceſſum erat, quibus res cum nomine aderat, hoc eſt qui ſub ſe prouinciam & epiſcopos quibus præſiderent habebant. Nam vt multi archiepiſcopi dicebantur in patriarchatu Conſtantinopolitano, quibus multi ſuberant epiſcopi, ita multi metropolitani, quibus nec prouinciæ nec epiſcopi. Hoc genus metropolitani ὑπέρτιμοι vocabantur, non etiam ἔξαρχοι. Archiepiſcopi vero illi nec ὑπέρτιμοι nec ἔξαρχοι. Codinus: οἱ δὲ ἀρχιεπίσκοποι οὐ γράφονται ὑπέρτιμοι· ἀδελφοὶ δὲ καὶ συλλειτουργοὶ ὥσπερ οἱ μητροπολῖται. vetus formularium ἀνέκδοτον· οὕτω καὶ τοῖς ἀρχιεπισκόποις γράφουσι δίχα τοῦ ὑπερτίμου καὶ ἐξάρχου. Huiuſmodi archiepiſcopi, qui nullis præerant epiſcopis, in patriarchatu Conſtantinopolitano Leone Philoſopho imperante nouem ac triginta fuere; metropolitani vero octoginta, ex quibus ſoli quadraginta erant exarchi, hoc eſt exarchias habebant: reliqui quadraginta ὑπέρτιμοι tantum titulabantur. Poſt Leonem multi alij metropolitæ variis temporibus creati ſunt ex archiepi-

ſcopis

ſcopis & epiſcopis, honorarij, & huius generis quos ὑπερτίμους tantum dictos fuiſſe diximus. Codinus & vetus Notitia Regia: Εἰσὶ καὶ ἕτεροι μητροπολῖται, ἔξω τῶν ἐν γραφῇ διατυπώσεις ἀρχαία, οἵ τινες ἀπὸ ἀρχιεπισκόπων καὶ ἐπισκόπων ἐτιμήθησαν κατὰ διαφόρους καιρούς. ſic multi archiepiſcopi epiſcopique metropolitarum nomine ac titulo honorari ſolebant, imperatorum beneficio, quibus tamen nulla prouincia attribuebatur, nulli ſuffraganei adſcribebantur epiſcopi. ἀρχαία autem illa διατύπωσις cuius meminit Codinus, eſt illa ipſa Leonis Philoſophi διατύπωσις, quæ in primo tomo iuris Orientalis edita eſt cum hoc titulo: ἡ γεγονυῖα διατύπωσις παρὰ τοῦ βασιλέως Λέοντος τοῦ σοφοῦ ὅπως ἔχουσι τάξεως οἱ θρόνοι τῶν ἐκκλησιῶν τῶν ὑποκειμένων τῷ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως. Hæc Leonis διατύπωσις in ſtatu ſuo permanſit vſque ad Andronicum Palæologum ſeniorem, qui nouam ἔκθεσιν fecit, & τάξιν illam metropoleon quæ ſub Leone obtinuerat, totam immutauit, aliis ſedibus promotis, aliis regradatis. Edita porro eſt hæc ἔκθεσις cum officialibus Palatij apud Curopalatem. Huius ἐκθέσεως meminit & vetus Notitia hoc modo: ἡ Βάρνα λέγουσί τινες ὡς αὐτή ἐστιν ἡ Τιβεριούπολις. διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῇ ἐκθέσει οὐχ εὑρίσκεται κειμένη, οὔτε ἐν ταῖς μητροπόλεσιν, οὔτε ἐν ταῖς ἀρχιεπισκοπαῖς ἢ ἐπισκοπαῖς, ἀλλ' ὁ Βάρνης αὐτὸς ἐστὶν ὁ Τιβεριουπόλεως. Notitia autem vetus quæ Nicephori patriarchæ Hiſtorico breuiario ſubiuncta eſt, metropoles ſedi Conſtantinopolitanæ ſubiectas ſexaginta tantum enumerat, eaſque eodem ordine recenſet, quo Leonis διατύπωσις.

apparet igitur vetustiorem illam esse Notitiam quam Leonis διατύπωσιν. nondum enim ad eum numerum tunc peruenerant metropolitanæ sedes, ad quem postea creuerunt sub Leone Philosopho cuius temporibus octoginta numeratæ sunt. post Leonem vero etiam numerus earum ampliatus est, multis archiepiscopatibus & episcopatibus in metropoles erectis. de quibus vide Codinum. In illa porro Notitia qui eam edidit ac Latine reddidit, vir suo iudicio vndequaque doctissimus, meo vero non indoctus, ex Myris Lyciæ ciuitate, quæ vigesima sedes erat, nobis *Tamyram* fecit, quia in Græco esset, τὰ Μύρα, hoc est *Myra:* vt τὰ Σύνναδα, *Synnada.* cur nobis similiter *Tasynnadam* vrbem non finxit pro *Synnadis?* sed hæc obiter. Ad prouincias vero quod attinet, & veros metropolitas hoc est prouinciarum exarchos qui patriarchæ Constantinopolitano parebant, sciendum est olim non plures quam octo & viginti fuisse, quia non plures prouinciæ hoc est exarchiæ sub illo fuere. totidem namque exarchi prouinciarum erant, quot prouinciæ. Tres diœceses sub se habebat patriarcha Constantinopolitanus, Asianam, Ponticam & Thracicam. in Asiana vndecim erant prouinciæ, in Põtica totidem, in Thracica sex. in totum octo & viginti prouinciæ fuere, ac totidem metropolitani, & exarchi, qui patriarchæ Constantinopolitano subiacebant, quique ab eo ordinabantur. si quis autem episcopus honore ac nomine metropolitæ donatus fuisset beneficio imperatoris, iuxta

ſacros canones ſolo honore contẽtus eſſe, & primati prouinciæ qui antiquitus fuerat, parere cogebatur. ſic vnicus erat prouinciæ exarchus, licet duo eſſent metropolitæ. cum enim veri omnes metropolitæ, hoc eſt prouinciarũ primates & exarchi a patriarcha Conſtantinopolitano deberent ordinari, metropolitæ illi qui per imperatoris pragmaticam hunc honorem conſequuti fuerant, a metropolita prouinciæ, cui prius ſuberant, ordinabantur. Hac conditione olim ac iure metropolitani facti ſunt Nicenus & Chalcedonenſis ſub Nicomedienſi totius Bithyniæ exarcho ſiue primate. Balſamo de his honorariis metropolitis & eorum priuilegiis, ita ſcribit ad can. XII. Concil. Chalced. τὰ μέν τοι ὀφείλοντα εἶναι δίκαια παρὰ τοῦ προέδρου, ἤγουν μητροπολίτου κατὰ τῆς ἐκκλησίας τῆς τιμηθείσης ἀπὸ ἐπισκοπῆς εἰς μητρόπολιν, ἐζητήσαμέν τινες μαθεῖν ποῖα εἰσί. καὶ ἠκούσαμεν ὅτι πλὴν τοῦ καλεῖσθαι τὴν ἐπισκοπὴν μητρόπολιν, κατὰ τὰ ἄλλα πάντα ὑποκεῖσθαι αὐτὴν τῇ παλαιᾷ μητροπόλει ὀφείλει. ὁ γὰρ ταύτης ἐπίσκοπος παρὰ τοῦ παλαιοῦ μητροπολίτου χειροτονηθήσεται καὶ παρ' αὐτοῦ κριθήσεσθαι καὶ ἁπλῶς αὐτῷ ὑποκείσεται. Videndus & canon ipſe qui prohibet duo metropolitas in vna prouincia iura metropolitæ habere, & iubet eam ciuitatem quæ ab imperatore honorata fuerit nomine metropoleos, ſolo honore contentam eſſe, δηλονότι σωζομένων τῇ κατ' ἀλήθειαν μητροπόλει τῶν οἰκείων δικαίων· *ſeruatis priuilegiis ac iuribus illi ciuitati quæ in veritate metropolis erat.* ὁ κατ' ἀλήθειαν igitur μητροπολίτης is erat, qui prouinciæ totius exarchus ſiue primas dicebatur. tales primo ſub patriarcha CP. fuere

viginti & octo. nec enim plures ſub illo erant prouinciæ. Poſtea variis temporibus multæ aliæ illi adiectæ ſubiectæque prouinciæ quas prius non habebat, ex Orientali diœceſi, ex Illyrico, ex Epiris, ex Italia. prætererea multis in locis contra ſacros canones a diuerſis imperatoribus ex vna prouincia duæ ſunt factæ, & duo metropolitæ in vna prouincia inſtituti, qui exarchiam partiebantur, & exarchi ſimiliter prouinciæ dicebantur. de quibus conſulendus Balſamo ad can. XXXVIII. Synodi in Trullo. ſic quadraginta factæ exarchiæ, hoc eſt metropolitarum prouinciæ, ſedi Conſtantinopolitanæ ſubiectæ, reliqui metropolitæ, exceptis illis quadraginta, nec exarchias habebant, nec exarchi dicebantur, ſed ὑπέρτιμοι tantum.

Ex his omnibus liquido cuiuis conſtare debet, certiſſimo falſum eſſe quod ſcripſiſti, Ancyranum, Nicomedienſem, Cyzicenum, & alios huiuſcemodi metropolitas, qui veri prouinciarum erant exarchi, hoc nomen honoris tantum cauſa vſurpaſſe, & tanquam codicillos ſine re vacuum & inane poſſediſſe. quid ita vero Sirmonde? quia nullas diœceſes habebant. ſane. ideoque non dicebantur diœceſeon exarchi, ſed dicebantur prouinciarum, quia prouincias habebant. qui prouinciam regit, numquid eodem modo dici poteſt prouinciæ exarchus, vt exarchus diœceſeos dicitur, qui diœceſim regit? vel tui Ducæi Frontonis fidem heic appello an non ita ſit. vt ille in Græcis longe doctior eſt, & plus habet frontis, quam tu, hoc non negabit: prouin-

ciarum nempe primates episcopos haud minus vere ac proprie ἐξάρχους ἐπαρχιῶν Græce appellari, quam diœceseon rectores, ἐξάρχους διοικήσεων. Nolo virum Græce peritum, nec opus est; cedo sis quemlibet de pueris Collegij tui Claromontani classiarium vel infimum, modo sensu communi non prorsus careat, hoc verum esse videbit, & fatebitur. sed operæ pretium est verba tua in hoc loco non præterire, quæ merentur attendi, ita inepta sunt, ac te digna, hoc est homine ineptissimo dignissima. sic enim ais, *Exarchi nomen honoris gratia multis metropolitanis communicatum esse, qui vel nullas diœceses, vel integras non habebant.* qui sunt illi, rogo te, metropolitani qui nullas diœceses habebant? nimirum qui prouincias tantum habebant. an non ita intellexisti? cur non recta hoc dixisti? cur per circuitum loquutus es? sed quinam illi sunt, ἱκετεύω σε, quos non integras diœceses habuisse dicis? an diuersi ab illis qui nullas? ita videris sentire. Ergo fuere tua sententia metropolitani quidam qui prouincias tantum, alij qui diœceses non integras, alij qui solidas & integras diœceses regerent. & istis quidem qui diœceses solidas rexere solis, exarchi nomen proprie ac iure ipso, vt censes, competebat: illis qui nullas vel non integras, non item. iterum peto vt me doceas, quæ sit non integra diœcesis. nisi quid secus me docueris, partem diœceseos putauerim esse, non integram diœcesim. atqui prouincia pars est diœceseos, interdum dimidia, interdum tertia, aliquando sexta, aliquando etiam duo-

decima, prout plures prouincias, aut pauciores habuerit diœcesis. vel duæ prouinciæ reddere possunt vnam diœcesim integram. multæ fuere solidæque diœceses ex tribus prouinciis quæ tantum constarent, fuere quæ ex duabus. Ergo prouincia quæ pars est diœceseos, est etiam diœcesis non integra: est etiam nulla diœcesis, quia nulla diœcesis est, nisi integra. Nam vt pars non est totum, sed in toto; sic prouincia non est diœcesis, sed in diœcesi. cur igitur eos metropolitanos qui nullas diœceses, hoc est qui prouincias tantum singulares regebant, ab iis distinxisti qui diœceses non integras sub se habebant? an aliquem ex illis quos enumerasti metropolitis potes nominare, qui plusquam prouinciam, aut paulo minus quam diœcesim rexerit? qui prouinciam nimirum cum semisse vel triente prouinciæ sub se habuerit? nullum potes. nullus enim ex omnibus maiorem in diœcesi partem habuit, quam vnam prouinciam, multi etiam minus quam vnam. quatenus plerumque in vna prouincia duo metropolitæ siue exarchi constituti fuere, qui exarchiam partiebantur & episcopos prouinciæ. sic nonnulli prouincias tantum dimidiatas rexere, nemo plures vel plus quam vnam. quorsum igitur spectat, aut quo tendit illa tua circumloquutio, de metropolitanis qui nullas aut non integras diœceses habebant, quos nomen exarchi sine re dicis vsurpasse? De aliis certe intelligere non potuisti quam qui prouincias regebant. cur non simpliciter hoc expressisti? sed video quid sit: maluisti quid illi me-

tropolitani non habuerint, quam quid habuerint enunciare: ne ſi, quos exarchos ſine re fuiſſe contendis, prouincias eos habuiſſe dixiſſes, reſponderi tibi poſſet, ergo prouinciarum quas habebant, exarchos reuera fuiſſe, ergo non re vacuum hoc exarchi nomen illis communicatum eſſe. *nullas,* inquis, *diœceſes rexere, ergo non fuere veri exarchi.* certe non fuere exarchi diœceſeon, ſed fuere prouinciarum. nam prouincias, quas regerent, & quarum exarchi dicerentur, habuere. Ego non ſum vnus de aſtutis, ſed facile vidi quid per illas ambages *nullarum,* & *non integrarum diœceſeon* captares. quod captabas non cepiſti. αὕτη γὰρ ἡ μέθοδος οὐδὲν ἔπρασσεν. tuti interdum magis ſunt, qui non ſunt tam aſtuti. ſane ſi ſimplicius heic te geſſiſſes, minus ineptus fuiſſes. nihil illis tuis αἰνιγμοῖς frigidius, nihil ineptius, nihil futilius. ἕωλα κ᾽ οὐδὲν ὑγιές.

Quod aliqui autem metropolitani, prouinciarum nempe rectores, exarchi ſine re, vt reris, ſunt appellati, nihil hæc officere ſcribis, quominus exarchi olim ij propria notione ſint dicti, qui ſolidas multarum prouinciarum diœceſes regebant. Hæc tua ſunt. Audi nunc mea viciſſim. Ego dico quod olim metropolitani quidam diœceſeon exarchi dicti ſunt: nihil tamen hoc impedire nec obſtare quo minus exarchi prouinciarum propria notione metropolitani illi ſint appellati qui ſolidas multarum ciuitatum prouincias regebant. an quos propria notione diœceſeon exarchos dictos fuiſſe arbitraris, magis proprie ita dicti ſunt, quam prouin-

ciarum exarchi qui reuera tales fuere? immo etiam, si verum quæris, multo minus. Exarchi illi prouinciarum metropolitani, episcopos omnes per eam cui præerant prouinciam constitutos ordinabant, eosque sibi subiectos habebant, & sic reuera totius prouinciæ exarchi erant, propriaque notione sic dicebantur. at illi exarchi diœceseon, quos intelligis, nullos habebant sibi metropolitanos per totam diœcesim subditos, nullos ordinabant, nec vllius in diœcesi prouinciæ sollicitudinem gerebant, excepta propria, cuius proprie, ac vere exarchi erant. honoris igitur tantum gratia quilibet ex illis diœceseos exarchus dicebatur, re autem vera suæ tantum prouinciæ singularis erat exarchus. Exarchi vero diœceseon vocabantur non quod solidas diœceses pleno iure ac potestate regerent, sed quod illarum diœceseon primi metropolitani essent, quod primas sedes primamque prouinciam totius cuiusdam diœceseos tenerent. ἔξαρχον propria notione Græci appellant, qui primus est in aliqua re, vel, quod idem est, primas. hinc ἔξαρχος διοικήσεως dictus est cuiuslibet diœceseos primus metropolitanus, qui primam scilicet sedem vel primam prouinciam totius diœcesis haberet. idem est & πρωτόθρονος. quare ita etiam vocabantur illi exarchi. Cæsareæ episcopus erat ἔξαρχος, id est πρωτόθρονος totius Ponticæ diœceseos, quia Cappadocia prima cuius metropolita fuit, inter illius diœcesis prouincias prima fuit. idem est de Ephesino, idem de Heracliensi, quorum ille Asianæ, hic Thracicæ diœcesis proto-

thronus

thronus & exarchus audiebat. in Nouella Isaaci Angeli tomo primo iuris Orientalis, Cæsareæ metropolita πρωτόθρονος appellatur: ἐπὶ τούτοις πρῶν καὶ ὁ πρωτόθρονος Καισαρείας ἀνέκραξε καὶ αὐτὸς λέγων. & paulo post absolute ac simpliciter πρωτόθρονον vocat: καὶ μάλιστα ὅτι τὸ ἕτερον τῶν ἀδελφῶν ἀποδημοῦσιν ἤγουν ὅ, τε πρωτόθρονος, ὁ Χαλκηδόνος, καὶ ὁ Λαδικάδος. per πρωτόθρονον intelligit Cæsareæ metropolitanum, totius Ponticæ diœceseos exarchum. tres igitur illi exarchi diœceseon, Cæsariensis, Ephesinus, & Heracleota metropolitæ, nihil iuris ac potestatis in illis diœcesibus, quarum exarchi dicebantur, habuere, præter πρωτοθρονίας honorem. fuere vero alij exarchi diœceseon, quibus præter illam πρωτοθρονίαν plena etiam ἐξουσία καὶ αὐθεντία in sua diœcesi esset, adeo vt nihil rerum geri, nullus episcopus aut metropolita creari posset in tota diœcesi sine eorum consultu ac permissu. Talis Alexandrinus Ægyptiacæ diœceseos, & Antiochenus τῆς Ανατολικῆς exarchus, vt iam diximus. atque hi reuera ac propria notione πατριάρχαι καὶ ἔξαρχοι suæ quisque diœceseos fuere. nec tamen illi propria magis aut meliori ratione diœceseon exarchi dicti sunt, quam prouinciarum exarchi, qui prouinciis suis similiter, vt illi diœcesibus, præerant ac præsidebant. igitur de exarchis illis veris diœceseon, ac plena potestate & auctoritate præditis intelligendus Synodi Chalcedonensis canon, qui & metropolitanos sibi subiectos habebant, & metropolitanos sibi subiectos iudicare poterant: non autem

de istis honorariis, & nomine tantum tenus diœceseon exarchis, qui & alteri patriarchæ siue exarcho maiori subiacebant, nullosque ipsi sibi subditos habuere metropolitanos, ideoque iudices metropolitanis dari non potuere. quod enim de huiuscemodi exarchis canonem illum tu cum Balsamone interpretaris, profecto tu quoque cum Balsamone nugaris. quod autem asseris auctorem esse eumdem Balsamonem, extitisse sua etiam ætate veteres illos diœceseon exarchos, sed antiquis priuilegiis caruisse, fides tua more suo etiam heic male ambulat. nec enim affirmanter hoc dicit Balsamo, sed ait aut sua ætate exoleuisse priuilegia quæ antiquitus habuerunt illi exarchi, aut certe de aliis exarchis diœceseon canones illos intelligendos esse. atqui iam satis supra demonstrauimus non alia illorum exarchorum fuisse iura tempore Chalcedonensis Synodi quam Balsamonis ætate. ergo inde sequitur verum esse, quod etiam fatetur Balsamo, de aliis exarchis suprascripti Concilij canônes accipi debere. Et sane de illis accipiendos esse constat quos diximus.

Perseuerarunt, inquis, *ex hoc numero exarchus Ponticæ diœcesis, episcopus Cæsariensis; exarchus Asianæ, Ephesinus; exarchus Thracicæ, Heracleensis: atque hoc inter ascititios exarchos, qui postea id nomen adepti sunt, velut priscæ dignitatis insigne retinuerunt.* quid istud est quod ais ex eo numero exarchorum tres tantum perseuerasse, ac priscæ dignitatis insigne retinuisse? nunquid maior eorum olim fuit numerus? an plu-

res fuere quam tres in Oriente, huius generis ac notæ huius exarchi? qui ſunt igitur illi qui ex eo numero non perſeuerarunt, nec priſtinam ſuam dignitatem conſeruarunt? confiteare nunc ſaltem te neſciſſe quid ſcriberes, & cum ſcribebas non cogitaſſe, ſcribere te quæ neſcires. quinque omnino per Orientem vel tua confeſſione fuere diœceſeon exarchi, quia quinque tantum diœceſes. ex hoc numero duo ſunt, de quibus verba canonis capienda non eſſe cum Balſamone contendis, Ægyptiacæ nimirum diœceſeos exarchus, patriarcha Alexandrinus: & Orientalis diœceſis exarchus, Antiochenus patriarcha. ſic tres numero tantum ſuperſunt, de quibus intelligi poſſit ille canon. Exarchi igitur illi diœceſeon, quos Balſamo intelligit, & quos adhuc ſua ætate ſcribit extitiſſe, tres in totum fuere. Tu vero quaſi Balſamonis ætate plures extiterint huiuſmodi diœceſeon exarchi, ex eo numero exarchorum, quos Balſamo deſignauit, tres perſeueraſſe dicis, atque in priſtina dignitate permanſiſſe. Ergo alij non tam felices fuere, qui dignitatem ſuam non potuerunt conſeruare. ſed qui ſint illi alij, nunc vir eſto Sirmonde, & nobis eos oſtende. Hoc niſi oſtendis, ne te incogitabilem & inſcitum hominem credamus eſſe, fruſtra pertendes.

Tres ſupraſcriptos diœceſeon exarchos nomen iſtud ſuum, & priſtinæ dignitatis veſtigia retinuiſſe ſcribis inter alios plures adſcititios exarchos qui poſtea id nomen adepti ſunt. adſcititij iſti exarchi, quos & ſubdititios vocas, cur adſcititij vel ſubdititij

tibi ſunt? qui aut quando nomen iſtud adepti ſunt? quis eos hoc nomine donauit? quis hoc honore dignatus eſt? cur ſic appellati? diœceſeon exarchi, ita vocabantur quia diœceſes regerent. iſti quid habuerunt, quare ſic appellarentur? cuius rei exarchi fuerunt? appellatos fuiſſe exarchos veriſimile non eſt, niſi certæ rei cuius ἐξάρχειν debuerint. atqui ſuarum ſingulos prouinciarum exarchos extitiſſe plus quam certiſſimum eſt. an hoc poteris negare? an ideo ſubdititios & adſcititios exarchos eos vocas quia prouincias regebant, quia prouinciarum ἐξήρχοντο? qui vero magis ſic ſubdititij, quam exarchi diœceſeon, οἱ τῶν διοικήσεων ἐξαρχεύοντες? Nunc eos inuicem comparemus, & videamus vtri magis ſubdititij, vtri magis ex vero exarchi fuerint. illi tui exarchi diœceſeon, diœceſes illas quarum exarchi dicebantur, non ſibi ſubiectas habuere, nihil in illis potuere, nihil in reliquos metropolitanos iuris datum illis fuit: honoris igitur cauſa tantum quia primi eſſent totius diœceſeos metropolitani, hunc titulum exarchorum diœceſeos ſibi vindicarunt. metropolitani vero noſtri, & ſingularũ prouinciarum exarchi, prouincias illas, quarum exarchi nuncupabantur, ſubditas ſibi habebant, metropolitano iure ad plenum fruebantur, epiſcopos omnes prouinciæ ſibi ſubiectæ ordinabant. Sani iudicij hominibus iam hinc æſtimandum relinquo, vtri magis ſubdititij dicendi ſint, iſtine prouinciarum, an illi diœceſeon exarchi, & vtri magis nomini ſuo tituloque reſponderint. ſed hæc fatua tibi inſedit

opinio, quam ſupra iam ſatis caſtigauimus, hoc exarchi nomen, ſolis diœceſeon exarchis, quaſi proprium ac debitum, ex vero meritoque competere: reliquos omnes quotquot exarchi dicti fuere, titulum hunc inanem ſine re habuiſſe. quod vtrum magis mirer, an rideam neſcio. niſi quia de te iam tale nihil miror, ideo potius libet ridere. ſic ἔξαρχοι τῶν πόλεων, ἔξαρχοι τῶν χωρῶν, ἔξαρχοι τῶν τάξεων, ἔξαρχοι τῶν ὀφφικίων, ἔξαρχοι τῶν συνεδρίων, ἔξαρχοι τῶν συνόδων, ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν, & quicunque alij cuius rei cunque ἔξαρχοι quorum apud Græcos paſſim occurrit mentio, vacantes tantum & ſine re exarchi fuerint oportet, & hoc nomen ſine re habuerint & vſurparint, quia non erant exarchi diœceſeon. iidem Græci monaſteriorum primores vel priores, vt Latine vulgo vocantur, ἐξάρχους appellant. an & illos quia diœceſeon exarchi non fuere, monaſteriorum quibus præerant, non reuera exarchos, ſed honoris tantum cauſa, & cum inani titulo fuiſſe dicendum eſt? nugæ nugaciſſimæ, hoc eſt Sirmondianæ. Germanus patriarcha Conſtantinopolitanus de monaſteriis ad patriarcham pertinentibus: καὶ γὰρ οἱ ἱερώμεθα λαχόντες ἐν τούτοις, πατριαρχικοὶ καὶ ἔσονται καὶ ὀνομασθήσονται, καὶ παρὰ τῶν πατριαρχικῶν δικαίων ἐξάρχων ὑποκείσονται, καὶ τὰ συνήθη κανονικὰ πρὸς αὐτὸν ἀποτίσουσι. & paulo poſt: ἀναμφιλόγως γὰρ ἔσται καὶ αὐτῶν ἔξαρχος ὁ τοιοῦτος. πατριαρχικὸν ἔξαρχον vocat ibi bis terve, τῶν πατριαρχικῶν μονῶν ἡγεμονεύοντα. & πατριαρχικῶν μονῶν ἐξαρχεύοντα, ibidem: καὶ διαβεβαιούμεθα, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, μὴ ἔχειν ἐξουσίαν τοὺς τῶν ἑκασταχοῦ

πατριαρχικῶν μονῶν ἐξαρχεύοντας. idem alio loco: Εἴτε τὸν ἀπὸ τῆς πατριαρχικῆς ἐξουσίας ἀποστελλόμενον ἔξαρχον, ὅτι ταῖς μοναῖς, ἃς ἐπάρχη διέπειν, τυγχάνουσιν ὑποκείμενα. Sciēdum tamen est, non aliū dictum esse exarchum inter monasteriorū præpositos, quam qui pluribus præesset monasteriis. Nam qui vnius tantum monasterij præfectus erat, ἀρχιμανδρίτης vocabatur aut ἡγούμενος, non ἔξαρχος. Omnia Constantinopolitanæ vrbis monasteria vnum exarchum habebant, & singula quæque præterea suum archimandritam siue hegumenum. ille vero exarchus, suæ & ipse μονῆς archimandrita erat, & reliquarum omnium μονῶν ἔξαρχος. Sic etiam plura sub vrbe monasteria ab vno exarcho regebantur, qui omnes archimandritas atque ἡγουμένους sub se habebat. is πατριαρχικὸς ἔξαρχος dicebatur, quem patriarcha præficiebat monasteriis ad se pertinentibus tam in vrbe quam extra vrbem positis. in Concilij CP. gestis sub Mena, actione v. in libello quem imperatori monachi porrexerunt, primo loco exarchi monasteriorum subscriptio legitur in hunc modum: Μαριανὸς ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τοῦ ἐν ἁγίοις Δαλματίου, καὶ ἔξαρχος τῶν ἁγίων μοναστηρίων ταύτης τῆς βασιλίδος πόλεως ὑπέγραψα. reliqui ἀρχιμανδρίτας tantum & ἡγουμένους se subscribunt. sic non alius archimandrita diceba-tur ἔξαρχος quam qui plurium caput erat, & primas archimandritarum. ita certe nec alius metropolitanus exarchi diœceseos sibi nomen adrogabat quam qui primus erat, & omnibus metropolitanis in diœcesi præerat: nec alius denique episcopus in

vnaquaque prouincia ſeſe exarchum prouinciæ inſcribebat, præter primum & in metropoli & prima ſede conſtitutum, qui reliquorum epiſcoporum totius prouinciæ, caput & primas erat. non tamen minus exarchus prouinciæ & epiſcoporum per prouinciam conſtitutorum metropolitanus fuit, quam patriarcha, exarchus diœceſis illius cui præerat, & omnium qui in ea erant metropolitarum & epiſcoporum.

Hos autem exarchos, qui tibi veri legitimique ſunt, ὑπερτίμους τῶν ὑπερτίμων καὶ ἐξάρχους nuncupatos eſſe ſcribis, cum ceteri ſubdititij, ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι tantummodo vocarentur. feſtiuum profecto iſtud, & quantumuis ioculare eſt, ac ridiculum. tam hi quam illi quum dicantur exarchi, tu tamen vis hos ſubdititios eſſe, veros illos, & legitimos exarchos. quamobrem? an quos legitimos facis, ideo tales, quia ὑπέρτιμοι τῶν ὑπερτίμων nuncuparentur: quos vero adſcititios & nothos fuiſſe vis, ſubdititij propterea fuere, quod ὑπέρτιμοι tantummodo dicerentur? bona ſane ratio. ſed ſubdititia non eſt, gemina ac germana tua eſt. meliores enim non habes. certe honoratiores illi ſic fuerint, qui ὑπέρτιμοι τῶν ὑπερτίμων, iſti minus honorati, qui ὑπέρτιμοι tantum: ſed quum & hi pariter & illi ἔξαρχοι ſint appellati, non minus hos quam illos exarchos fuiſſe, nec minus proprie aut vere dictos eſſe conſtare debet. Vnus ex illis, quos veros facis exarchos, ita inſcribebatur, ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας, & ita reliqui duo. vnus autem ex illis,

qui tibi ſunt ſubdititij, inſcribi ſolebat, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Λυδίας, & ſic ceteri omnes ſuarum quiſque prouinciarum nuncupabantur exarchi. quod ad exarchiam attinet, horum & illorum quæ differentia eſt? Diœceſes integras dices illos rexiſſe? ergo diœceſeon exarchi fuere. prouincias iſti tantum regebant? ergo prouinciarum tantum erant exarchi. non minus tamen nec minori cum iure prouinciarum exarchi, quam illi diœceſeon ſuarum, nec minus igitur exarchi. quid nunc habes quod dicas? an non pudet inſcitiæ ſimul & ineptiarum? erubeſceres profecto ſi quid oris haberes aut pudoris, ſi vel quid ſit pudor ſcires.

Toto in hoc opere, ac ventoſa tua Aduentoria, vel nugacem te deprehendi oportet, vel mendacem. aut δι' ὅλου nugaris, aut mentiris: aliud nihil agis. ſcribis hoc loco, ex tribus illis diœceſeon exarchis duo priores ὑπερτίμους τῶν ὑπερτίμων καὶ ἐξάρχους, tertium πρόεδρον τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχον nuncupatos fuiſſe. de duobus prioribus quod dicis ὑπερτίμους τῶν ὑπερτίμων dictos eſſe, hoc falſum eſt. ſiquidem vnus tantum qui & primus, ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος dicebatur; ſecundus enim, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος duntaxat; tertius vero, πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος. Codinum habes auctorem: eumdem quoque habeo. eum igitur audiamus.

α ὁ Καισαρείας Καππαδοκίας, ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς.

β ὁ Ἐφέσου, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας.

γ ὁ Ἡρακλείας, πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος

πάσης

πάσης Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας.

Solus igitur ex his Codini verbis Cæsarienſis epiſcopus ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων dictus eſt, Epheſinus ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος tantum, Heraclienſis autem πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος. Cur ergo ex tribus illis exarchis duo priores ὑπερτίμους τῶν ὑπερτίμων nuncupatos eſſe ſcripſiſti, cum vnus tantum ita fuerit nuncupatus? an ita legi voluiſti apud Codinum, ὁ Ἐφέσου, ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας? an rationem aliquam habuiſti, quæ ſic legendum eſſe tibi ſuadeat? nos aliam habemus quæ diſſuadeat. an ex libris antiquis & manuſcriptis ita corrigendum eſſe vidiſti? ſcripti omnes Codices, plures olim vidi tam in Palatina quam in Regia Bibliotheca, Epheſinum epiſcopum non aliter ſcribunt, quam ὑπέρτιμον καὶ ἔξαρχον πάσης Ἀσίας. & ſane ſciendum eſt illo tempore quo ſcripſit Codinus, aut ſi quis alius eius Notitiæ auctor, quæ in pluribus libris antiquis ſine auctoris nomine reperitur, non aliter appellatum eſſe Epheſinum metropolitam, quam ὑπέρτιμον καὶ ἔξαρχον πάσης Ἀσίας, quum tamen Cæſarienſis ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων, & Heraclienſis πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων vulgo nuncuparentur. rationem ſi placidus admittis edam. Hic titulus ὑπερτίμου metropolitis omnibus dabatur, ſeu reuera metropolitæ eſſent, hoc eſt prouinciarum exarchi & primates, ſiue honorarij tantum, quales fuere multi, qui nullas habebant prouincias. ſed inter veros, & honorarios metropolitas hoc erat diſcrimen, quod illi ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι, quia ἔξαρχοι

reuera eſſent, id eſt prouinciarum primates, iſti ὑπέρτιμοι tantummodo dicerentur. in vnaquaque autem diœceſi qui primam ſedem obtinebat, & primam prouinciam tenebat metropolitanus, quia primus erat primas & ceteros omnes diœceſeos metropolitas honore antecellebat, quaſi vnus ante omnes & ſuper omnes poſitus metropolitanos, & ὑπερτίμους, dicebatur ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων, hoc eſt metropolita metropolitarum, & ἔξαρχος τῆς διοικήσεως. hoc iam ſupra a nobis fuſius explicatum eſt. Hoc fuere olim, & dicti ſunt, tres illi ſupraſcripti metropolitani, Cæſarienſis, Epheſinus, & Heracleenſis, quibus ἐξ ἴσου competebat hic titulus ἐξάρχου τῆς διοικήσεως, καὶ ὑπερτίμου τῶν ὑπερτίμων. nulla inter hos tres exarchos erat differentia. pariter ἔξαρχοι τῶν διοικήσεων dicebantur, pariter ὑπέρτιμοι τῶν ὑπερτίμων erant, quia multis ὑπερτίμοις præerant. ſed hoc tantiſper quamdiu manſerunt diœceſes ac nomina diœceſeon in imperio Orientali. poſtremis vero temporibus mutata adminiſtrationum forma, imperioque non vt antea in diœceſes, ſed in varia themata diuiſo, eadem quoque mutatio in πολιτείαν Eccleſiaſticam inuaſit, vt fere ſemper ciuilem ſequebatur. vnum quodque thema interdum plures, interdum pauciores prouincias comprehendebat; interdum vnica tantum prouincia, & minus etiam quam prouincia hoc nomine veniebat. ſingulis thematibus præerat ſtrategus vnus ſiue comes cum exercitu. hinc *themata* dicta, quaſi poſitiones dixeris aut metationes caſtrorum. poſt hanc diuiſio-

nem thematum in imperio iam multis prouinciis per barbaros multato mutilatoque, Cæsarienſis epiſcopus qui olim ἔξαρχος Ποντικῆς διοικήσεως vocabatur, infimis illis temporibus dictus eſt ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς. ita enim apud Codinum, & in aliis Notitiis manuſcriptis: ὁ Καισαρείας, ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς. nec audiendi ſunt qui corrigunt, πάσης Ποντικῆς. nulla enim tunc erat Ποντικὴ διοίκησις. Hæc autem ἀνατολὴ cuius tum dicebatur ἔξαρχος Cæſarienſis epiſcopus, diuerſa erat ab ea cuius patriarcha vel exarchus item vocabatur archiepiſcopus Antiochenus. ſic enim ad eum ſcribebat patriarcha Conſtantinopolitanus: ἁγιώτατε δέσποτα πατριάρχα Θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας, καὶ πάσης ἀνατολῆς. Hæc ἀνατολὴ ſiue ἀνατολικὴ διοίκησις quæ ſub Antiocheno patriarcha fuit, qualis fuerit, & quas quotve prouincias habuerit, etiam pueri ſciunt. altera illa ἀνατολὴ, cuius exarchus dictus eſt Cæſarienſis epiſcopus, de minore Aſia dicebatur, quam etiam hodieque *Natoliam* vocant. nam reſpectu Europæorum hominum, & qui Byzantium incolunt, ad Orientem ſita eſt, & inde ἀνατολὴ dicta. Vetus inſcriptio quam Conſtantinus lib. 1. de Thematibus poſuit, ex Veſtiario Regio relatam: Ἰορδάνου στρατηλάτου τῆς ἀνατολῆς, καὶ τῶν λοιπῶν ἐθνῶν ἀπὸ τῆς μικρᾶς Ἀσίας. Hunc Iordanem ſub Arcadio floruiſſe idem refert. Hæc ἀνατολὴ cum tunc temporis fere omnes Aſianæ diœceſeos prouincias complecteretur, poſtea in varia themata ſciſſa eſt, quorum præcipuum fuit, ἀνατολικὸν θέμα, vel τὸ θέμα τῆς ἀνατολῆς.

quod ſex prouincias comprehendebat, Phrygiam Salutarem, Phrygiam Pacatianam, Lycaoniam, Pamphyliam, Piſidiam & Lyciam, quæ omnes prouinciæ ſub Aſiana olim diœceſi continebantur. Hoc autem ἀνατολικὸν θέμα vſque ad fines Cappadociæ pertingebat. Conſtantinus: ὅσα μὲν οὖν εἰσὶ μεσόγαια καὶ παρέβικα τοῦ Ταύρου καὶ διήκοντα μέχρι τῶν ὁρίων τῆς Καππαδοκίας, καλεῖται ἀνατολικὸν, μέρη γὰρ εἰσὶ τοῦ ἀνατολικοῦ θέματος. & paulo poſt: πρὸς δὲ πλάτος ἔχει μὲν ἐξ ἀριστερῶν, μέρη τινὰ τοῦ Βουκελλαρίου καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς Καππαδοκίας. Hinc, vt videtur, propter vicinitatem epiſcopus Cæſarienſis & idem Cappadociæ primas, titulum ἐξάρχου τῆς πάσης ἀνατολῆς ſibi vindicauit. nam Cappadocia vicina erat & contigua Anatolico themati. idque poſtquam Pontica diœceſis, cuius olim exarchus vocabatur, in multa minutaque themata conciſa fuit. ex vna ſiquidem Pontica diœceſi, & prouinciis vndecim quæ ſub ea olim continebantur, poſtremis imperij temporibus quinque themata facta ſunt. Thema Armeniacum, thema obſequium vel ὀψίκιον, thema Optimatum, thema Buccellariorum, & thema Paphlagonum. de quibus vide Conſtantinum lib. 1. de Thematibus. cum igitur Cæſarienſis antiſtes primus eſſet omnium metropolitanorum qui patriarchæ Conſtantinopolitano ſuberant, & primatum honoris ſuper omnes obtineret, vbi nulla fuit amplius Pontica diœceſis cuius exarchi titulum vt olim ſumere poſſet, de viciniori & honoratiori themate Anatolico titulũ exarchi vſurpauit, & ἔξαρχος πάσης

ἀνατολῆς dictus est: qui titulus tamen proprie pertinebat ad Ephesinum, qui totius Asiæ metropolitanus, Asianæque diœceseos exarchus, olim dictus fuerat. Nam & Asiana diœcesis tota τῆς ἀνατολῆς nomine nuncupata est, & plerasque eius prouincias τὸ ἀνατολικὸν θέμα sub se comprehendebat. sed siue constitutione alicuius Imperatoris hoc factum sit, siue vsurpatione ipsius Cæsariensis antistitis, certum est ita obtinuisse. igitur Cæsariensis ille primas qui πάσης ἀνατολῆς ἔξαρχος dicebatur, ὑπέρτιμος etiam τῶν ὑπερτίμων dictus est, nam plures ὑπέρτιμοι siue metropolitæ sub eo erant, quia plures prouinciæ fuere in illo Anatolico themate, cuius exarchus audiebat. Ephesino vero episcopo sola Asia prouincia relicta est, cuius exarchus diceretur. Hæc Asia proconsularis fuit, & prima Asianæ diœceseos prouincia, cuius metropolita specialis erat Ephesinus episcopus, & præterea Asianæ totius diœceséos exarchus. sed quum tota illa fere Asiana diœcesis, excepta Asia prouincia, in Anatolici thematis nomen concessisset, cuius exarchus dicebatur Cæsariensis præsul; sola Asia prouincia, & particularis eius exarchia, cum titulo exarchi, penes Ephesinum remansit. Hæc autem Asia etiam in thematis formam transiit, sub nomine Thracensium. Constantinus: Τὸδε νῦν καλούμενον τῶν Θρακησίων θέμα πάλαι μὲν καὶ κατ' ἀρχὰς Ἀσία μικρὰ ὠνομάζετο, καὶ ὁ ταύτης κρατῶν ἀνθύπατος Ἀσιάρχης ἐλέγετο. quare Thracenses vocati sint illi Asiani prouinciales, vide apud eumdem. Hoc itaque Thracensium vnicam tantum prouin-

ciam continebat, Asiam nempe proconsularem, quæ Asianæ olim diœceseos prima fuit, ex vndecim eius prouinciis vna. De hac igitur Asia prouincia siue Thracensium themate, intelligendus est Codinus, vbi apud eum legitur, ὁ Ἐφέσου, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας. nulla enim illo tempore Asia præter illam quam diximus. de Asiana quippe diœcesi nullo modo potest intelligi. ideo igitur ὑπέρτιμος tantum, non ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων dictus est, quia nulli erant in Asiana prouincia ὑπέρτιμοι præter ipsum. quod enim non plurium prouinciarum ἔξαρχος, sed vnius diceretur, ac nullum metropolitam siue ὑπέρτιμον sub se haberet, idcirco non ὑπέρτιμος ὑπερτίμων, sed ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας nuncupatus est; eodem prorsus modo, quo Ancyranus, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Γαλατίας, aut Cyzicenus, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου, sunt appellati, & sic de reliquis qui singulares prouincias regebant metropolitæ. Heracliensis vero antistes πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων etiam vocabatur, quod ἔξαρχος Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας nucuparetur. Duo autem illa erant themata, quorum vtrumque plures prouincias complectebatur, & plures ὑπερτίμους habebat. Hinc πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων dictus præsul Heracliensis, qui duobus illis præerat thematibus, & multis ὑπερτίμοις præsidebat. At Ephesinus licet ὑπέρτιμος tantum diceretur, vt pote qui vnicæ prouinciæ in qua nulli præter ipsum ὑπέρτιμοι, præsideret, nihilominus tamen pristinam suam dignitatem sedisque prærogatiuam retinuit, vt secundus

nimirum eſſet omnium metropolitanorum qui patriarchæ Conſtantinopolitano ſubiecti erant. quos inter metropolitanos decem primi potiores digniores que habebantur. ad eos cum ſcribebat patriarcha, nomen ſuum litteris adſcribere conſueuerat, *patriarcha ille, ad metropolitam illum:* ceteris vero ſcribens ponebat tantum, πατριαρχικὸν εἰς τὸν δεῖνα. πατριαρχικὸν, ſubintellige πιττάκιον. vetus Formularium: ἔνθα τοίνυν οὐχ ὑπογράφει ὁ πατριάρχης, τίθεται ἐν τῇ ἐπιγραφῇ τὸ ὄνομα τοῦ πρὸς ὃν γράφει πρῶτον, εἰς δὲ τὸ ἄλλο μέρος τὸ τοῦ πατριάρχου ἔνθα κεῖται ἡ βοῦλλα. εἰς δὲ τοὺς λοιποὺς ἄρχοντας, τοὺς συγκλητικοὺς τοὺς μὲν εὐγενεστάτους καὶ ὀφφίκια ἔχοντας ἔντιμα καὶ προσγενεῖς βασιλέως, γράφει ὁ πατριάρχης τὸ ἑαυτοῦ ὄνομα πρῶτον, Ματθαῖος ἐλέῳ Θεοῦ, εἰς δὲ τὸ ἄλλο μέρος τὸ ὄνομα τοῦ πρὸς ὃν γράφει. εἰς δὲ τοὺς ἄλλους ἄρχοντας, ὅπου κεῖται ἡ βοῦλλα, γράφουσι πρὸ μὲν τῆς βούλλης, πατριαρχικόν, μετὰ δὲ τὴν βοῦλλαν, εἰς τὸν δεῖνα. οὕτω καὶ εἰς τοὺς μητροπολίτας, μέχρι μὲν τοῦ δεκάτου θρόνου τίθεται τὸ τοῦ πατριάρχου ὄνομα, εἰς δὲ τοὺς ἑξῆς πάντας, πατριαρχικόν. Decem porro primæ illæ ſedes hoc ordine recenſentur tam in omnibus veteribus Notitiis, quam in antiquis Conciliorum ſubſcriptionibus:

α΄ ἡ Καισάρεια.
β΄ ἡ Ἔφεσος.
γ΄ ἡ Ἡράκλεια.
δ΄ ἡ Ἄγκυρα.
ε΄ ἡ Κύζικος.
ϛ΄ αἱ Σάρδεις.
ζ΄ ἡ Νικομήδεια.
η΄ ἡ Νίκαια.

θ ιε Χαλκηδών.
ι ιε Σίδη.

Sic ex quo tempore Constantinopolitanæ sedi subiecti fuere tres illi exarchi, Cæsariensis, Ephesinus, & Heracleensis, hoc prærogatiuæ solum habuere inter reliquos metropolitas, vt primi inter primos sederent ac subscriberent, cetera veri meriqüe metropolitæ forent. Nam & ipsi cum ceteris ordinabantur a patriarcha, suosque, vt ceteri, solos episcopos ordinabant. Olim idem patriarcha solos solebat ordinare metropolitanos qui reuera tales essent, hoc est prouinciarum exarchos. ceteri quibus hoc nomen honoris causa datum fuisset, ab antiquis & veris ordinabantur metropolitanis. postremis vero imperij temporibus omnes qui metropolitarum, aut archiepiscoporum nomine honorati fuerant, licet nullas sub se prouincias aut episcopos haberent, solus idem patriarcha Constantinopolitanus ordinauit. Auctor incertus lib. III. iuris Orientalis, περὶ τῆς κατὰ τὴν καθέδραν τάξεως τῶν μητροπολιτῶν καὶ ἀρχιεπισκόπων, καθὼς ἐν χαρτοφυλακίῳ ἐπαναγράφονται. in ea descriptione octoginta metropoles, & triginta nouem archiepiscopatus recensentur, eodem ordine ac numero quo recensiti leguntur in dispositione Leonis Philosophi. atque illi omnes metropolitani, archiepiscopique a patriarcha solo Constantinopolitano ordinationem accipere consueuerant. idem auctor: ἔδει ταῖς πόλεσιν αἳ τῷ τῆς ἀρχιερωσύνης τετίμηνται ἀξιώματι, καὶ αἷς ἱεροὶ ποιμένες παρὰ τῆς πατριαρχικῆς προχειρίζονται δεξιᾶς, ἐνταυθοῖ διαχαρά-

διαγράφεσθαι, ὥσπερ τινὶ οἰκουμένην βραχείᾳ συνεχομένας, καὶ τῶν βουλομένων ἀπαλαιπώρως προφαινομένας. ſed hæc hactenus.

CAPVT III.

PATRIARCHAS *dictos eſſe plures quam quinque. Primarios & præcipuos quinque tantum fuiſſe patriarchas, ſed non ſolos. Patriarcharum & exarchorum diœceſeon, vt vnum idemque nomen fuit, ſic vnus idemque gradus. Inter primarum quinque ſedium patriarchas, & reliquos eiuſdem nominis, differentiam aliquam honoris & auctoritatis fuiſſe, nullam ordinis. Quinque etiam ſummos illos patriarchas, non parem omnes dignitatem habuiſſe, & tamen eumdem gradum conſtituiſſe. Quum tres olim primæ ſedes fuerint, poſtea quinque factas. Vnde patriarchæ appellati. Ante Iuſtinianum & poſt Iuſtinianum tres tantum gradus numeratos eſſe. Exarchum diœceſeos in Chalcedonenſi canone, patriarcham eſſe cuiuſque diœceſeos. Iuriſdictionem in metropolitanos neminem habere qui non habeat & eorumdem ordinationem. Exarchos Ponticæ, Aſianæ & Thracicæ diœceſeon, nullam tempore Concilij Chalcedonenſis habuiſſe iuriſdictionem, & iam tunc patriarchæ CP. ſubiectos fuiſſe. De Catholicis archiepiſcopis, quod eiuſdem ordinis, & gradus fuerint cum patriarchis.*

DE Græcorum exarchis quinam, & numero quot fuerint, te dixiſſe abunde dicis. ſane fateor. nunquam vidi abundantiores nugas, nec profuſiora mendacia. abunde quidem & fuſe, ſed tam infeliciter hanc rem tractaſti, vt nec ſemel verum dixeris. verum hoc ſolens facis, eo miror minus. Hoc capite de patriarchis eorumque diœceſibus dicturum promittis, vt hinc etiam diſcamus alios tertij, alios

Ggg

quarti ordinis epiſcopos fuiſſe. magnam rem profiteris, haud ſcio an præſtabis. quid præſtare ſcias, quid promittere, nouimus. inter vtrumque, πολὺ τὸ μέσον. ſed euentus hoc docebit. interim bene eſt, quod patriarchis diœceſes nunc tribuis. iam reſipuiſſe te video. ſolas ſedes illis olim dabas, ſolis vero exarchis diœceſes concedebas. Hoc igitur nomine diuerſi non erant ab exarchis diœceſeon patriarchæ, nam ipſi quoque diœceſeon exarchi. ſed hæc infra pluribus. nunc ad interrogata tua reſpondeamus. interrogas me quot legitimos in Eccleſia patriarchas habitos olim eſſe cenſeam. ſi rogaſſes quot præcipuos primarioſque patriarchas quondam in Eccleſia numeratos exiſtimem, quinque omnino fuiſſe tibi reſpondiſſem. ſi qui vero præter illos quinque primos ac præcipuos, patriarchæ dicti ſunt, & reuera fuerunt, an eos non legitimos fuiſſe putes, nunc viciſſim a te peto? Inter metropolitas quod aliqui extitere, qui honore & ordine ceteris antiſtarent, an ideo ceteros nec veros nec legitimos extitiſſe metropolitas putabis? ex octoginta metropolitanis qui patriarchæ CP. parebant, decem primi ceteris honoratiores, & dignitate potiores habebantur, & inter decem illos primos tres priores, qui & diœceſeon dicebantur exarchi. quod illi honoris prærogatiuam haberent, an propterea reliqui veri legitimique metropolitæ non fuere? ſic in orbe Chriſtiano, & vniuerſa Dei Eccleſia primos ac præcipuos quinque numero patriarchas ita olim habitos eſſe certum eſt, vt ſolos

& legitimos non fuisse, satis constet. Nam multi alij præter eos tam in Oriente quam in Occidente hoc nomine donati sunt, qui & patriarchæ reuera fuere, diœceses rexere, multis metropolitanis præfuere, & πατριαρχικὰ δίκαια habuere. de quibus paulo post erit dicendum. illorum quinque patriarcharum, quos solos ac legitimos fuisse vis, sedes primæ ac præcipuæ fuere, atque ita semper a veteribus sunt appellatæ. non igitur solæ patriarchales si præcipuæ; nec si solæ essent, præcipuæ dicerentur. Gregorius lib. VII. indict. II. ep. LIV. ad Secundinum inclusum: *Hinc est enim vt quotiens in quattuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem Synodum cum aliis generalibus custodire fatentur.* Constantinus in Donatione: *Sancimus vt Romana sedes principatum teneat, tam super quattuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Constãtinopolitanam, Hierosolymitanam, quamque super omnes in vniuerso orbe terrarum Dei Ecclesias.* alia plura possem testimonia proferre, nisi hæc sufficere crederem. non soli igitur illi quinque patriarchæ, quia præcipui. nam si soli fuissent, præcipui nunquam, aut primi vel primarum sedium patriarchæ dicti essent. sic summarum curiarum hodie apud nos primi præsides, ideo primi dicuntur, quia collegas habent dignitate pares, ac pariter præsides: hos quia præcedunt, his quia præsunt, inde primi dicti. at si vnus tantum esset, & vnicus in singulis supremis curiis præses, is non primus, sed simpliciter & absolute præses diceretur. quod

illi igitur quinque patriarchæ, præcipui primique sunt appellati, & habiti, an non magnum certumque hoc argumentum est, alios minores fuisse, & minorum gentium patriarchas, inter quos illi excelluerunt, & præcipuum quemdam καὶ ἐξαίρετον honorem habuerunt? vnde enim & quare isti præcipui, καὶ τῶν ἄλλων ἔξοχοι, nisi alios des fuisse, quorum comparatione ita dici queant? sed quod aliqui multi minores patriarchæ, & quinque duntaxat maiores, an ideo minus illi patriarchæ? an ideo pro patriarchis omnino non habendi? Quam ineptum igitur illud est, ac falsum, quod ais, me patriarcharum turbam animo mihi finxisse: me Galliam, Italiam, Africam, Orientem quoque ipsum peragrasse, vt patriarchas quærerem: me vbi nulli erant, nouos & inauditos excitasse, & patriarchas fuisse, qui nunquam fuere, hariolatum esse. Hæc omnia αὐτοσχέδια Sirmondiana sunt, non dicã qualia, satis est dixisse Sirmondiana. Egone alios mihi finxi patriarchas, quam quos fuisse certum est, quam quos ita appellatos esse certissimum est? immo tu potius eos me finxisse tibi fingis; nouos & inauditos creasse, non hariolaris, sed plane aperteque mentiris. quid si tibi, quos non ipse peperi, sed reperi patriarchas, patriarchica omnia iura cum nomine habuisse, inter patriarchas sedisse, cum patriarchis & tanquam patriarchas in conciliis subscripsisse, pro patriarchis habitos & agnitos semper fuisse ostendo, tendesne adhuc vltra pertendesque non fuisse patriarchas? tam tenax fortasse, tamque pertinax non eris.

atqui nisi hoc ostendero, nisi aperto pignore probauero, volo hariolus esse, volo Sirmondus esse.

Ad Iustinianum nunc me vocas, grauissimum certissimumque auctorem, vt ex eo discamus, quot numero fuerint patriarchæ. *Is quinque omnino*, inquis, *patriarchas fuisse docet, tum vbique passim, tum diserte Nouella* CXXIII. verba Nouellæ ista sunt: Κελεύομεν τοὺς μακαριωτάτους ἀρχιεπισκόπους καὶ πατριάρχας, τουτέστι τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ Κωνσταντινουπόλεως καὶ Ἀλεξανδρείας, καὶ Θεουπόλεως, καὶ Ἱεροσολύμων, ἐν τῇ αὐτῶν χειροτονίᾳ, ταῦτα μόνον παρέχειν, ἅπερ ἡ συνήθεια γινώσκει. certe patriarchas quinque tantum heic nominauit Iustinianus, sed quinque omnino fuisse minime dixit. quinimmo vel ideo nominatim eos videtur expressisse, vt de quibus intelligeret, notum esset; de illis nempe quinque primariis ac præcipuis, quos diximus patriarchis. Nam si soli tunc fuissent, patriarcharum nomine noti ac nuncupati quinque, satis habuisset dicere, Κελεύομεν τοὺς μακαριωτάτους ἀρχιεπισκόπους καὶ πατριάρχας, ἐν τῇ αὐτῶν χειροτονίᾳ ταῦτα μόνον παρέχειν ἅπερ ἡ συνήθεια γινώσκει. Nam de aliis patriarchis, quam de his quinque nemo potuisset intelligere, si præter hos non alij cogniti fuissent.

Sed quoniam ad Iustinianum me vocasti, & eius auctoritatem mihi obtendisti, ad eumdem quoque auctorem iubeo te venire, vt inde docearis præter illos quinque supra memoratos primarios patriarchas, in Oriente etiam aliquos fuisse, quibus id nomen cum re ac iure ipso attributum est, vt de illis

nunc nihil dicam qui in Occidente pariter hoc idem nominis habuerunt. nonne ipſe ille Iuſtinianus quo certiorem grauioremque auctorem de numero patriarcharum neminem eſſe poſſe dixiſti, nonne idem ille inquam imperator, Iuſtinianæ primæ patriæ ſuæ archiepiſcopum, æque optimo iure patriarcham inſtituit, ac quiſquam fieri vel eſſe poteſt patriarcha? Nam & plures illi prouincias Eccleſiaſticas ſubiecit: multis metropolitanis præeſſe iuſſit: epiſcopos omnes ſubiectarum prouinciarum, vt ordinaret voluit: vt ipſe a propriæ Synodi epiſcopis ordinaretur conſtituit. quid eſt patriarcham eſſe ſi hoc non eſt? verba Iuſtiniani ex Nouella cxxx. hæc habe. τὸν δὲ κατὰ καιρὸν μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς, τῆς ἡμετέρας πατρίδος ἔχειν ἀεὶ ὑπὸ τὴν οἰκείαν δικαιοδοσίαν τοὺς ἐπισκόπους τῶν ἐπαρχιῶν Δακίας Μεδιτεῤῥανέας καὶ Δακίας Ριπησίας, Τριβαλλείας, Δαρδανίας, καὶ Μυσίας τῆς ἀνωτέρας, καὶ Παννονίας, καὶ παρ' αὐτοῦ τούτους χειροτονεῖσθαι, αὐτὸν δὲ ὑπὸ τῆς οἰκείας συνόδου χειροτονεῖσθαι. *Sancimus etiam beatiſſimum pro tempore primæ Iuſtinianæ, noſtræ patriæ archiepiſcopum, ſemper habere ſub ſua iuriſdictione epiſcopos prouinciarum, Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripenſis, & Triballeæ* (Latini vocant Priuallim) *& Dardaniæ & Myſiæ ſuperioris & Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipſum vero a proprio ordinari concilio.* quoniam autem ſupraſcripto archiepiſcopo Iuſtinianæ vices ſuas iam mandauerat Vigilius Papa, vt mos erat Paparum vicarios tam in Occidente quam in Oriente, metropolitas & patriarchas etiam habere, ſtatuit idem Iuſtinianus,

vt Iustinianæ primæ archiepiscopus perpetuus esset vicarius episcopi vrbis Romæ in omnibus prouinciis quas ei subiecit. καὶ ἐν αὐταῖς ταῖς ὑποκειμέναις αὐτῷ ἐπαρχίαις τὸν τόπον ἐπέχειν αὐτὸν τοῦ Ἀποστολικοῦ Ῥώμης θρόνου κατὰ τὰ ὁρισθέντα ἀπὸ τοῦ ἁγίου Πάπα Βιγιλίου. qui αὐτοκέφαλος est, qui nulli alij patriarchæ vel primati subiectus est, qui diœcesim integram, hoc est multas Ecclesiasticas prouincias sub se habet, qui episcopos sibi subditos sine cuiusquam alterius permissu αὐτεξουσίως ordinat, qui a nullo ipse ordinatur nisi ab episcopis comprouincialibus, an non ille verus ac legitimus est patriarcha? vbi res ac ius adest, quid nomen requiris? vbi cum re quoque nomen adest, quid amplius requiri potest? atqui certum est archiepiscopum illum Iustinianæ primæ, & patriarcham reuera fuisse, & patriarchæ nomen habuisse, & pro patriarcha semper eum Græcos agnouisse. Nam & consecratio eodem more modoque peragi celebrarique solebat, quo & ceterorum summorum patriarcharum. metropolitani omnes & archiepiscopi consecrandi bis consignabantur. primum signaculum vocabant, paruum; secundum, magnum. & hoc erat consecratio. Patriarchæ vero semel tantum τὴν σφραγῖδα accipiebant. nam designatio vel nominatio quæ ab imperatore fiebat, quam Græci προβλησιν vocant, pro minore signaculo valebat. Codinus de ordinatione patriarchæ Constantinopolitani: ὁμοίως καὶ ἀπαράλλακτος γὰρ καὶ ἡ τῶν ἑτέρων πατριαρχῶν προβολησις, τοῦ τε Ἀλεξανδρείας, τοῦ Ἀντιοχείας, καὶ τοῦ Ἱεροσολύμων,

ἀλλὰ δὴ καὶ τοῦ ἀρχιεπισκόπου πρώτης Ἰουστινιανῆς Ἀχρίδος, καὶ πάσης Βουλγαρίας. is igitur & patriarcha sicut erat, ita dicebatur: cum patriarchis subsignabat: ceterorum more patriarcharum consecrabatur. Barlaamus episcopus Hieracensis, quinque patriarchas in Oriente agnoscit, & Bulgariæ patriarcham inter illos computat. Codinus vocat illum ἀρχιεπισκόπου πρώτης Ἰουστινιανῆς Ἀχρίδος. in veteri formulario manuscripto vocatur, ἀρχιεπίσκοπος τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς Ἀχρειδῶν καὶ πάσης Βουλγαρίας, *Archiepiscopus primæ Iustinianæ Achridensium.* hæc prima Iustiniana Achridensium patria fuit Iustiniani, & totius Bulgariæ metropolis, & Bulgarorum regia, vt habetur apud Zonaram in Basilio Porphyrogenneta: hodieque *Ocridam* vocant. Postremis vero temporibus sub Innocentio tertio, archiepiscopus Trinouitanus factus est totius Bulgariæ Valachiæque primas siue patriarcha. Rogatu enim Calojohannis Bulgarorum principis idem Innocentius Trinouitanum archiepiscopum totius Bulgariæ primatem fecit, pallium ei ac mitram & annulum de more misit, & duos metropolitanos Belesbulnensem, & Postolauensem ei tanquam primati subiecit. sed Calojohannes qui primatem & patriarcham idem esse nesciebat, iterum scripsit ad eumdem Innocentium, ac eum rogauit, vt archiepiscopum primæ ciuitatis Bulgariæ, quem iam primatem constituerat, etiam patriarcham creare dignaretur, ac pastoralem virgam ei mitteret. verba eius hæc sunt: *rogo & deprecor magnam sanctitatem tuam, vt compleat desi-*

derium imperij mei, & mittat virgam pastoralem ad congregandas oues, & cetera quæ patriarcha consueuit habere, & faciat præfatum primatem, patriarcham in sancta & magna Ecclesia Trinoui primæ ciuitatis totius Bulgariæ, & habeat præfata Ecclesia, post mortem istius patriarchæ, patriarcham perpetuum ex præcepto sanctitatis tuæ. Innocentius ad has regis Bulgarorum litteras ita respondit: *Venerabili fratri nostro archiepiscopo Trinouitano, in terris quibus imperas vniuersis priuilegium concedimus primatiæ, qui, & ipsius successores, & tuos in posterum successores, simili ab eis iuramento recepto Apostolicæ sedis auctoritate coronet, & in terra tua primatus obtineat dignitatem, eique metropolitæ tam in Bulgariæ, quam in Blanciæ prouinciis constituti subiaceant, & iuxta formam canonicam reuerentiam debitam primati exhibeant & honorem.* Alia vero epistola quam primati Bulgariæ misit, primatem & patriarcham idem esse asserit, & hæc duo vocabula rem vnam & eamdem exprimere, his verbis: *te quoque in regno Bulgarorum & Blancorum primatem statuimus, & Ecclesiæ Trinouitanæ præsenti priuilegio auctoritatem concedimus primatiæ, statuentes vt tu & successores tui, qui tibi in Apostolicæ sedis deuotione successuri sint, ceteros metropolitanos Bulgariæ, & Blanciæ præcellatis ratione primatus, & ipsi tibi, & eis iuxta formam canonicam, reuerentiam primati debitam exhibeant & honorem: fraternitatem tuam scire volentes quod apud nos hæc duo nomina, primas & patriarcha, penitus idem sonant, cum primates & patriarchæ teneant vnam formam, licet eorum nomina sint diuersa.* Hæc ex libro manuscripto qui gesta Innocentij

tertij continet, nondum edito, descripsimus. *Blanciam* vocat Innocentius quam Græci Βλαχίαν. hinc Οὐγγροβλαχία & Μαυροβλαχία apud Codinum. nunc *Walachiam* appellant. at *Trinouum* quæ Bulgarorum tunc erat regia, & totius Bulgariæ prima ciuitas, aliis *Trenouum*, aliis *Trinauum* vel *Trinabum* dicitur: Græci Τόρνοβον dixere. Prouinciale vetus ex Bibliotheca amplissimi Ribierij *Tornouum* vocat, & Tornouiensi primati duo metropolitanos siue archiepiscopos subiicit, Belesbudiensem & Postibulensem. *In Bulgaria archiepiscopus Tornouiensis qui primas: Belesbudiensis archiepiscopus, Postibulensis archiepiscopus: Scopiensis, BuZiensis, Budiensis, Brinciueconensis, Lonasiensis.* Inter hos Bulgariæ episcopos Budiensis vel Budinensis vocatur ἀπὸ τῆς Βυδίνης quæ ciuitas erat Bulgariæ in metropolim postea erecta. Codinus: ὁ Βυδίνης καὶ αὐτὴ ἐπισκοπὴ οὖσα τῆς Βουλγαρίας ἐτιμήθη. hoc est, *episcopus Budynes.* perperam doctus interpres, vertit *Obudines*. idem Codinus alibi: ἐγένετο καὶ ἐφ᾽ ἡμῶν ὁ μητροπολίτης Βυδίνης, καὶ ἕτερος ἐν Μαυροβλαχίᾳ. sed hæc obiter. de aliis alibi viderimus. *Belesbudiensem* metropolitam Bulgariæ vocat illa Notitia, qui in libro de gestis Innocentij *Belesbulnensis* dicitur; & *Postibulensem*, qui ibi *Postolauensis*. *Tornouium* quoque appellat, quod in Epistolis eiusdem Innocentij *Trinouum* appellatur. Græcis, vt iam dixi, Τόρνοβον: apud quos archiepiscopus ille Tornouiensis pro patriarcha etiam agnitus, & in numerum legitimorum patriarcharum relatus. ad eum enim patriarcha Constantinopolitanus, eodem plane exemplo

quo & ceteris patriarchis ſcribere ſolebat. & hæc ſcribendi formula erat, quam ex veteri Formulario Græco Regiæ Bibliothecæ olim deprompſimus: Ἁγιώτατε πατριάρχα Τορνόβου καὶ πάσης Βουλγαρίας, ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ τῆς ἡμῶν μετριότητος καὶ συλλειτουργὲ, εὐχόμεθα τῷ Θεῷ ὑγιαίνειν τὴν ἁγιωσύνην σου καὶ σωματικῶς εἰς σύστασιν καὶ ὠφέλειαν τοῦ ὑπ' αὐτὴν χριστωνύμου πληρώματος. καὶ ἐν τῷ τέλει. ἔρρωσο ἐν κυρίῳ μακαριώτατε δέσποτα. non aliter ſcribebat ad reliquos tres patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum & Hieroſolymitanum, vt ex eodem Formulario videre eſt. ita enim, exempli gratia, Hieroſolymitanum patriarcham in Epiſtolis compellabat. ἁγιώτατε δέσποτα πατριάρχα Ἱεροσολύμων, ἁγίας Σιὼν, Συρίας, Ἀραβίας, πέραν Ἰορδάνου Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ πάσης Παλαιστίνης, ἐν ἁγίῳ πνεύματι ποθεινότατε ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργὲ, &c. ita & ceteros. A Iuſtiniani igitur temporibus, vſque ad infima Orientalis imperij tempora, Dardania ſiue Bulgaria, & priuſquam a barbaris occuparetur, & poſtquam ab iiſdem occupata eſt, ſuum ſemper habuit patriarcham, cui & plures prouinciæ ſubiectæ, & omnia iura ac priuilegia legitimorum patriarcharum ab eodem Iuſtiniano fuere conceſſa & attributa.

Quemadmodum autem idem Iuſtinianus Iuſtinianæ primæ epiſcopum, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Præualitanæ, Mœſiæ ſuperioris, & Pannoniæ patriarcham conſtituit, ita & archiepiſcopum quoque Carthaginenſem totius Africanæ diœceſeos patriarcham eſſe ſtatuit, poſtquam

Africa barbaris erepta, Romano imperio restituta est. ita enim eadem Nouella CXXXI. de Carthaginensi archiepiscopo sanxit, cap. IV. καὶ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης ὅσον περὶ τῷ ἐπισκόπῳ Ἰουστινιανῆς Καρχηδόνος τῆς Ἀφρικῆς διοικήσεως δεδώκαμεν, ἐξ οὗ περ ὁ Θεὸς ταύτην ἡμῖν ἀποκατέστησε, φυλάττεσθαι κελεύομεν. per hæc verba episcopum Carthaginensem totius Africanæ diœceseos ἀρχιερέα hoc est πατριάρχην constituit, cui simile ius tribuit in omnes Africæ prouincias, quod Iustinianæ primæ tribuerat cap. III. eiusdem Nouellæ in omnes prouincias ibi enumeratas. τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης idem est ac τὸ δίκαιον πατριαρχικόν. μητροπολιτικὸν δίκαιον, hoc idem ius vocat ibidem Iustinianus: καὶ αἱ ἄλλαι δὲ πόλεις, καὶ οἱ τούτων ἐπίσκοποι οἷς ἐν διαφόροις τόποις μητροπολιτικὸν δίκαιον παρεσχέθη, τοῦ τοιούτου προνομίου εἰς τὸ διηνεκὲς ἀπολαυέτωσαν. Veri enim patriarchæ hoc μητροπολιτικὸν δίκαιον in vniuersa diœcesi sibi subiecta habuerunt, vt Alexandrinus in Ægyptiaca, Antiochenus in Orientali. metropolitæ siquidem reuera fuerunt suarum singuli diœceseon. Per illam igitur Iustiniani constitutionem haud dubium est idem iuris habuisse Carthaginensem episcopum in omnem Africanam diœcesim, quod Alexandrinus & Antiochenus patriarchæ in suas sibi subiectas diœceses. sic reuera patriarcha fuit Africanæ diœceseos. & si in Græcia fuisset, sine dubio ita appellatus esset. Magna semper episcopi Carthaginensis in Africana diœcesi priuilegia fuere. nam & primus maximusque totius Africæ primas habitus est, & hanc licentiam habe-

bat, vt ad desiderium petentium, ex quacunque vellet Ecclesia, episcopum creare posset: omnium denique Africæ Ecclesiarum sollicitudinem gerebat. non tamen tantam videtur olim potestatem atque auctoritatem habuisse, quantam ei postea concessit Iustinianus imperator Nouella suprascripta. Omnes olim Africanarum prouinciarum primates, quantum ad episcoporum ordinationes attinet, αὐτοκέφαλοι erant, & suos singuli suffraganeos episcopos inconsulto Carthaginensi primate libere ordinabant, ipsique a comprouincialibus episcopis ordinabantur. Ex illa vero Iustiniani Nouella, cuius verba supra recitauimus, omnium omnino totius Africanæ diœceseos episcoporum ordinationem iuri suo vindicare potuit, immo & vindicauerit episcopus Carthaginensis. ius enim illi plenum summumque τῆς ἀρχιερωσύνης, καὶ μητροπολιτικὸν δίκαιον in Africam vniuersam tribuit imperator. ius autem illud μητροπολιτικὸν in ordinandis episcopis totum præcipue versatur. capite porro tertio eiusdem Nouellæ idem Iustinianus hoc idem ius metropoliticum Iustinianæ primæ archiepiscopo concesserat in prouinciis ibidem nominatim recensitis, vt earũ scilicet omnium prouinciarum episcopos ordinaret, & ab iisdem ipse ordinaretur. capite vero sequenti eamdem potestatem καὶ τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης episcopo Carthaginensi per omnem Africanam diœcesim seruari præcipit: καὶ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης, ὅπερ τῷ τῆς Ἰουστινιανῆς Καρχηδόνος τῆς Ἀφρικῆς διοικήσεως δεδώκαμεν, φυλάττεσθαι κελεύομεν.

Ergo & epiſcopo Carthaginenſi epiſcoporum per totam Africam ordinandorum ius ac poteſtatem ſimiliter dedit Iuſtinianus, vt Iuſtinianæ primæ epiſcopo, per prouincias ſibi ſubiectas. Hoc ius ordinationis in Africana vniuerſa diœceſi certum eſt epiſcopum Carthaginenſem ante Iuſtinianum non habuiſſe. nam vt iam diximus, antequam a Barbaris occupata eſſet Africa, ſingularum prouinciarum Africæ primates, qui & metropolitani, ſuorum ſibi ſubiectorum epiſcoporum ſine permiſſu epiſcopi Carthaginenſis ordinandorum liberum ius habebant. Iuſtinianus igitur Africa recepta, & Carthagine de ſuo nomine Iuſtiniana vocata, epiſcopum Iuſtinianæ Carthaginis hoc δίκαιον ἀρχιερωσύνης in omnem Africanam diœceſim habere voluit, quod ante non habuit, vt nemo ſcilicet in tota Africæ diœceſi ſine conſenſu eius epiſcopus creari conſecrarique poſſet. ſic per Iuſtinianum verus ac legitimus totius Africæ patriarcha effectus eſt epiſcopus Carthaginenſis. Hinc Leo nonus Epiſt. III. ad Thomam epiſcopum de priuilegiis Carthaginenſis archiepiſcopi ita ſcribit: *Noueris ergo proculdubio, quia poſt Romanum pontificem primus archiepiſcopus, & totius Africæ metropolitanus eſt Carthaginenſis archiepiſcopus: nec quicunque ſit ille Gummitanus epiſcopus, aliquam licentiam conſecrandi epiſcopos vel deponendi, ſeu prouinciale concilium conuocandi habet ſine conſenſu Carthaginenſis archiepiſcopi, cuiuſlibet dignitatis aut poteſtatis ſit.* & Epiſt. IIII. ad Petrum & Iohannem epiſcopos: *nec quicunque ille ſit Gummitanus epiſcopus,*

aliquam licentiam consecrandi episcopos vel deponendi, seu prouinciale Concilium conuocandi habet sine consensu Carthaginensis archiepiscopi, cuiuslibet dignitatis aut potestatis sit. tantummodo procurabit ille Gummitanus episcopus, quæ ad propriam parochiam pertinent: cetera autem sicut & alij episcopi Africani, consilio Carthaginensis archiepiscopi aget, qui solus in Africa pallium ab Apostolica sede habere solet, vnde & episcopos consecrandi principale & antiquum ius retinet. principale & antiquum ius consecrandi episcopos per vniuersam Africæ diœcesim habuisse Carthaginensem episcopum, post Iustinianum verum est; ante Iustinianum, falsum. ius hoc tamen ex antiquo retinuisse episcopum Carthaginensem probare Leo nititur ex verbis Aurelij in concilio Carthaginensi capitulo XLIX. sic enim ait ibidē: *vnde & episcopos consecrādi principale & antiquum ius retinet, sicut ex verbis Aurelij in Concilio Carthaginensi capitulo* XLIX. *potest intelligi quum dicit: in Ecclesia ad quam dignata est vestra sanctitas conuenire, crebro ac pæne per diem dominicam episcopos ordinandos habemus, & cetera.* Ex his Aurelij verbis antiquitus vniuersorum Africanæ diœceseos episcoporum ordinationes ad Carthaginensem archiepiscopum pertinuisse conatur adstruere Leo. quam recte hinc iam sciri poterit. capitulo illo XLIX. Concilij Carthaginensis tractatur ac decernitur quot episcopi debeant episcopum ordinare. propositum in concilio fuerat ab Honorato & vrbano episcopis, duo Numidiæ episcopos præsumpsisse Pontificem ordinare, iidemque censebant non nisi a duodecim celebrari ordinationes.

tunc Aurelius qui Concilio præſidebat, dixit, formam antiquam ſeruari debere, vt non minus quam tres ſufficiant, qui fuerint deſignati ad epiſcopum ordinandum. in multis Africæ prouinciis hoc non poſſe fieri vt duodecim congregentur epiſcopi ad epiſcopum ordinandum. nam & in Tripoli quinque tantummodo eſſe epiſcopos, & incidere poſſe vt de illo numero duo neceſſitate aliqua occupati ad ordinationem occurrere nequeant. hoc igitur ipſum non debere impedimento eſſe Eccleſiaſticæ vtilitati, & ſic tres tantum epiſcopos ſufficere ad ordinandum epiſcopum. ſubdit deinde hæc verba ad litteram: *Nam & in hac Eccleſia ad quam dignata eſt veſtra ſanctitas conuenire, crebro ac pæne per diem dominicam ordinandos habemus: numquidnam frequenter duodecim potero vel decem vel non multo minus aduocare epiſcopos? ſed facile eſt mihi duos adiungere paruitati meæ vicinos. quapropter cernit mecum charitas veſtra hoc ipſum obſeruari non poſſe*. atque hæc ipſa ſunt Aurelij verba, ex quibus intelligi poſſe aſſerit Leo Carthaginenſem archiepiſcopum ius conſecrãdi epiſcopos habuiſſe per vniuerſam Africanã diœceſim. verum nihil illa minus quam hoc tinnire cuiuis apparet. quinimmo contrarium plane inde licere colligi liquet. Aurelius vt oſtenderet quantum in eo difficultatis eſſet poſitum, vt duodecim vel decem epiſcopi in vnaquaque prouincia conuenirent ad vnum conſecrandum epiſcopum, de ſe ac ſua Eccleſia ipſe affirmat, hoc in prouincia ſibi ſubiecta obſeruari non poſſe. per diem quippe dominicam vt plurimum, ordi-

ordinationes episcoporum peragi solere. quo tempore singuli episcopi in suis parœciis sunt occupati. sic difficile esse tam multos episcopos in vnum conducere ad episcopum ordinandum, sed facile duos sibi vicinos ad eam rem aduocari posse. hinc vel maxime liquet, etiam si alia testimonia non suppeterent, episcopum Carthaginensem, solos episcopos prouinciæ suæ, hoc est Africæ proconsularis, cuius & metropolita specialis fuit, ordinasse: ceteros item Africanæ diœceseos metropolitas siue primates pari more modoque, suffraganeos episcopos ordinandi ius habuisse. At post Iustinianum certum est, ex illa eius Nouella omnium totius Africanæ diœcesis episcoporum ordinationem ad archiepiscopum Carthaginensem spectauisse, ita vt totam per Africam nullum sine eius consensu episcopum ordinari liceret. quod & idem testatur Leo Epistola suprascripta. qui tamen ibidē asserit, hoc priuilegiū episcopum Carthaginensem ab Apostolica sede accepisse. post illam igitur Iustiniani constitutionem qua τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης, καὶ τὸ μητροπολιτικὸν δίκαιον per vniuersam Africæ diœcesim archiepiscopo Carthaginensi attribuit, idem ille iuris habuit, idemque potestatis in illa diœcesi, quod Alexandrinus in Ægyptiaca, quod Antiochenus in Orientali, & quisquis optimo iure patriarcha fuit.

Hos duo patriarchas, Achridenum & Carthaginensem, sub Iustiniano fuisse, præter illos quinque primarios docuimus. nunc & patriarchas vocatos esse, & cum patriarchis ab eodem Iustiniano com-

memoratos ac comprehensos restat vt doceamus: Iustinianus Nouella CXXIII. cap. XXII. iudiciorum Ecclesiasticorum hunc ordinem esse sanxit, vt episcoporum causas inter se contendentium metropolita diiudicaret: a metropolitano, si iudicatis pars vtraque non staret, patriarcham illius diœcesis appellari liceret, & coram eo negotium disceptari. verba hæc sunt: Εἴ τινες δὲ ὁσιώτατοι ἐπίσκοποι τῆς αὐτῆς συνόδου ἀμφισβήτησίν τινα πρὸς ἀλλήλους ἔχοιεν, εἴτε περὶ ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου, εἴτε περὶ ἄλλων τινῶν πραγμάτων, πρότερον ὁ μητροπολίτης αὐτῶν τὸ πρᾶγμα κρινέτω. καὶ εἰ μὴ ἐμμείνῃ ἕκαστος τοῖς κεκριμένοις, τηνικαῦτα ὁ μακαριώτατος πατριάρχης ἐκείνης τῆς διοικήσεως μεταξὺ αὐτῶν ἀκροάσθω, κἀκεῖνα ὁριζέτω ἅτινα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς κανόσι καὶ τοῖς νόμοις συνᾴδει, οὐδενὸς μέρους κατὰ τῆς ψήφου αὐτοῦ ἀντιλέγειν δυναμένου. statuit ibidem si clericus, aut alius quicunque aduersus episcopum agat, metropolitam iudicem esse debere; si vero episcopus cum metropolitano litem habeat, patriarcham illius diœceseos in qua constituti sunt, de eorum controuersia cognoscere. εἰ δὲ καὶ παρὰ κληρικοῦ, ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσώπου προσέλευσις κατὰ ἐπισκόπου γένηται διὰ οἱανδήποτε αἰτίαν, πρῶτον ὁ ὁσιώτατος αὐτοῦ μητροπολίτης κατὰ τοὺς ἁγίους κανόνας καὶ τοὺς ἡμετέρους νόμους τὸ πρᾶγμα διακρινέτω. εἰ δὲ κατὰ μητροπολίτου τοιαύτη προσέλευσις γένηται, εἴτε παρὰ ἐπισκόπου, εἴτε παρὰ κληρικοῦ, ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσώπου, ὁ τῆς διοικήσεως ἐκείνης μακαριώτατος πατριάρχης κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ πρᾶγμα κρινέτω. *Si a clerico aut alio quocunque aditio contra episcopum fiat propter quamlibet causam, apud sanctissimum*

eorum metropolitam ſecundum ſacras regulas & noſtras leges cauſa iudicetur: at ſi quis iudicatis contradixerit, ad beatiſſimum archiepiſcopum & patriarcham diœceſeos illius referatur cauſa, & ille ſecundum canones & leges huic præbeat finem. ſi vero contra metropolitam talis aditio fiat, ab epiſcopo, aut clerico, aut alia quacunque perſona, diœceſeos illius beatiſſimus patriarcha ſimili modo cauſam iudicet. Cum hæc de Eccleſiaſtica iuriſdictione conſtitutio generalis ſit, & omnes omnino epiſcopos, metropolitas & diœceſeon patriarchas comprehendat, qui ſub imperio Romano tunc erant; an tu, Sirmonde, cenſebis eam de ſolis quinque patriarchis, & qui ſub illis erant, metropolitis & epiſcopis debere exponi? ita ſane cenſeas oportet, qui Iuſtiniani æuo, & poſt Iuſtinianum, nuſquam patriarchas niſi hos quinque agnitos reperiri poſſe affirmas. Ergo & illud etiam ſentias neceſſe eſt, vniuerſas orbis Romani diœceſes, ſub illis fuiſſe quinque patriarchis, nullam in toto imperio Romano tunc diœceſim extitiſſe, quæ non vni alicui ex his quinque patriarchis fuerit ſubiecta. Hoc modo & generalis illa fuerit Iuſtiniani ſanctio, & de ſolis tamen illis quinque patriarchis intelligi debeat, quia omnes ſub ſe totius orbis diœceſes ſoli illi quinque patriarchæ habuere. Hoc ſi verum eſt, viciſti Sirmonde, nec vlterius contendimus, ſed victi palmas tendimus. In Africana primum diœceſi an hoc verum ſit, an hoc ſtare poſſit, exploremus. Africanam diœceſim ſub epiſcopo Romano, vt proprio ac ſpeciali patriarcha fuiſſe cenſes. in Africana diœceſi fuere

episcopi, fuere metropolitæ, fuit etiam tempore Iustiniani super omnes metropolitas vnus ἀρχιερεὺς, episcopus nempe Carthaginensis qui toti diœcesi præerat, omnibus metropolitanis præsidebat, omnium episcoporum ordinationes suo iuri vindicabat, iurisdictionem denique in metropolitanos per vniuersam Africæ diœcesim constitutos habebat. Ecclesiasticæ porro iurisdictionis ordinem, qui in Africa tunc, vt in aliis omnibus diœcesibus obtinebat, reuocemus ad formam ac præscriptum quod in illa Iustiniani Nouella præcipitur. Episcopi sub metropolitano suo iudice contendere debebant, metropolitani sub illo qui toti diœcesi præsidebat, in qua constituti erant. Africanæ vero diœcesi quis tunc præerat nisi Carthaginensis episcopus? an non hoc illi datum est Nouella Iustiniani cxxxi. quam supra retulimus? quis igitur præter eum Africanæ diœceseos ἀρχιερεὺς aut πατριάρχης? si Africana vlla fuit diœcesis, quod non negabis, an qui Africanam diœcesim sub se habebat, τῆς ἐκείνης διοικήσεως πατριάρχην fuisse negabis? non potes inficiari plures metropolitanos in Africana diœcesi fuisse: nec potes inficias ire omnium Africæ metropolitanorum archiepiscopum Carthaginensem principem fuisse. Iustinianus in illa de iudiciis Ecclesiasticis Nouella tres tãtum episcoporum gradus ponit, episcopos, metropolitas & patriarchas diœceseon. Iudicia in foro Ecclesiastico ita celebranda esse constituit, vt episcopi iudicem habeant metropolitam suum, metropolitæ patriarcham diœcesis,

πατριάρχην τῆς διοικήσεως ἐκείνης. quo igitur in ordine, quo gradu collocabis ac ſtatues archiepiſcopum Carthaginenſem? an metropolitarum? atqui plus fuit quam metropolita, metropolitanis omnibus, totique adeo diœceſi qui præfuit. an exarchum illum Africanæ diœceſeos ſtatues, Romanum vero pontificem patriarcham? ſic quattuor fuerint gradus, epiſcopi, metropolitæ, exarchus diœceſeos, & patriarcha diœceſeos. Atqui tres tantum numerat Iuſtinianus, epiſcopos, metropolitas, & diœceſeon patriarchas. tres tantum gradus a Iuſtiniano numerari fateris ipſe paulo poſt, vbi dicis exarchos diœceſeon, quorum ordinem tribus illis gradibus quartum inſerebas, exoleuiſſe, dum adſtruitur & amplificatur Conſtantinopolitana ſedis auctoritas. igitur in iudiciis per Africam exercendis & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ordinatione, archiepiſcopum Carthaginenſem, aut illius diœceſis patriarcham fuiſſe fatearis oportet, aut tanquam vnum ex metropolitanis, alteri patriarchæ ſubiectum cenſeas. ſed quis ille patriarcha, cui ſpecialiter & immemediate tota diœceſis Africana ſubdita fuit? tibi Romanus eſt. Ergo prouocatio ad illum fiebat ab omnibus Africæ metropolitanis. Atqui certum eſt omnibus Africanis Conciliis ſemper decretum fuiſſe ne ad tranſmarina iudicia prouocaretur. ſic nunquam pontificem pro ſpeciali ac proprio patriarcha agnouerunt Africani patres. non illi quippe denegaſſent, quod per ſacros canones omnibus patriarchis ſemper datum fuit, vt ſummam iudicio-

rum haberent, & ius appellationum ex vniuerſa diœceſi cui præerant. Præterea quid oppones Iuſtiniano qui Carthaginenſem totius Africanæ diœceſeos ἀρχιερέα conſtituit? qui ἀρχιερεὺς διοικήσεως, an non ille & πατριάρχης & ἔξαρχος διοικήσεως recte ac vere dici poteſt? quare quum plenam iuriſdictionem καὶ δικαιοδοσίαν in vniuerſa Africana diœceſi habuerit archiepiſcopus Carthaginenſis, & hoc iuris eum habuiſſe cenſendum eſt, quod patriarchis ſingularium diœceſeon tribuit ſupradicta Nouella Iuſtinianus: nempe vt metropolitas cum epiſcopis diſceptantes iudicaret, ac de appellationibus a metropolitanorum ſententia emiſſis cognoſceret. Per πατριάρχην igitur διοικήσεως Iuſtinianus quemlibet primatem & antiſtitem intellexit, qui diœceſi præeſt, & multis prouinciis præſidet, metropolitanoſque ſub ſua iuriſdictione plures habet. Hoc nomine itaque τοῦ πατριάρχου τῆς διοικήσεως, quin etiam comprehenderit epiſcopum Carthaginenſem Africanæ diœceſeos primatem, nullo modo poteſt dubitari. ſolus ille poſſit ambigere, qui putet Iuſtinianum de aliis omnibus diœceſibus in illa Nouella loquutum eſſe, ſolam vero Africanam excepiſſe, aut a numero diœceſeon excluſiſſe ſibi perſuadeat. At id nemo queat niſi ſi forte Sirmondus aliquis.

Idem omnino dicendum ſtatuendumque eſt de diœceſi quam regebat Iuſtinianæ primæ epiſcopus, qui & Achridanus patriarcha poſtremis Græciæ temporibus dictus eſt. multis ille prouinciis præfuit, multarum autem prouinciarum complexio-

nem diœcesim esse, si nescirem, ex te poteram discere; hoc enim ipse in Censura scripsisti, & verum est. igitur qui diœcesim regit, qui diœcesi præest, quo alio nomine dicendus est, si patriarcha diœceseos dici non potest? nam quum fatearis ipse, tres tantum tunc fuisse episcoporũ gradus, si metropolitanus non fuit, sed supra metropolitanos positus, fuerit vtique patriarcha: nullus quippe gradus inter patriarchas & metropolitas. non metropolitanum simplicem fuisse, sed multos sub se metropolitanos habuisse primæ Iustinianæ episcopum, cui melius credemus quam ipsi Iustiniano per quem hanc prærogatiuam habere meruit? sic igitur ille Nouella XI. ad Catellianum beatissimum archiepiscopum primæ Iustinianæ data: *Multis & variis modis nostram patriam augere cupientes, in qua primo Deus præstitit nobis, ad hunc mundum quem ipse condidit venire, & circa sacerdotalem censuram eam volumus maximis incrementis ampliare, vt primæ Iustinianæ patriæ nostræ sacrosanctus antistes, non solum metropolitanus, sed etiam archiepiscopus fiat, & ceteræ prouinciæ sub eius sint auctoritate*, &c. Sciendum porro est in Orientis imperio metropolitanos, etsi reuera archiepiscopi fuerint, nunquam tamen archiepiscopos, vt in Occidente appellatos esse. solis patriarchis, & illis antistitibus qui plures metropolitanos sibi subiectos habebant, qui & Catholici dicebantur, hoc nomen apud Græcos donatum est. hinc patriarchis fere semper adiungi solebat nomen archiepiscopi. ita passim leges apud Iustinianum in Nouellis constitutionibus,

τοὺς μακαριωτάτους ἀρχιεπισκόπους καὶ πατριάρχας· τὸν μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως καὶ πατριάρχην. fuere tamen etiam in Græcia archiepiſcopi quidam infra metropolitanos poſiti, qui nullis epiſcopis præerant, & minus erant quam metropolitæ. de quibus & de Catholicis archiepiſcopis qui a patriarchis niſi nomine ſolo non differebant, paulo poſt hoc eodem capite dicã. Archiepiſcopus igitur is erat, idem qui & patriarcha, quique multis præſidebat metropolitanis. Iuſtinianus eadem Nou. *& ideo beatitudo, & omnes præfatæ primæ Iuſtinianæ antiſtites, archiepiſcopi habeant prærogatiuam, & omnem licentiam ſuam auctoritatem eis impertiri, & eos ordinare, & in omnibus ſupraſcriptis prouinciis primam habere dignitatem, ſummum ſacerdotium, ſummum faſtigium, a tua ſede creentur,* &c. ſi ſummum habuit faſtigium, ſummum ſacerdotium, patriarcha vtique fuit. nam ſupremus Eccleſiaſticæ dignitatis gradus, ἡ πατριαρχία. metropolitanos autem eum ſub ſe habuiſſe, vt & multas prouincias, ex eadem Nouella conſtat his verbis: *quando autem tuæ recordationis ſedis gubernatorem ab hac luce decedere contigerit, pro tempore archiepiſcopum eius a venerabili ſuo concilio metropolitanorum ordinari ſancimus, quemadmodum decet archiepiſcopum omnibus honoratum Eccleſiis prouehi, nulla penitus Theſſalonicenſi epiſcopo nec ad hoc communione ſeruanda.* Hac etiam nota vel patriarcham germanum licet agnoſcas quod ſedis gubernator ibi vocatur. hoc enim charactere patriarchas ab exarchis diœceſeon diſtingui tibi placet, quod patriarchæ, rectores

ſedium

ſedium proprie dicerentur. Verum autem ac legitimum hunc fuiſſe patriarcham adeo certum eſt, vt Iuſtinianus eum poſt Romanum & Conſtantinopolitanum patriarchas ceteris omnibus anteferri voluerit, & honore præcellere. Extat hodie in Bibliothecis συναγωγὴ κανόνων auctore Theodorito Cyrreſte epiſcopo, quam in quinquaginta titulos diuiſit. ſingulis eius collectionis titulis τὰ συνᾴδοντα νόμιμα ſubiunxit, legum nempe concinentium collationem ex Iuſtiniani Codice & Nouellis conſtitutionibus, Iohannes patriarcha Conſtantinopolitanus, ὁ ἀπὸ τῶν σχολαστικῶν, qui tempore ipſius Iuſtiniani vixit. is igitur ſub primo titulo, qui eſt de patriarchis, Nouellam cxxxi. ita recitat: καὶ διὰ τοῦτο θεσπίζομεν κατὰ τοὺς αὐτῶν ὅρους τὸν ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπίσκοπον, πρότερον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων. τὸν δὲ μακαριώτατον ἐπίσκοπον Κωνσταντίνου πόλεως νέας Ῥώμης δευτέραν ἔχειν τάξιν μετὰ τὸν ἅγιον ἀποστολικὸν θρόνον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. τῶν δὲ ἄλλων πάντων προτιμᾶσθαι τὸν μακαριώτατον ἐπίσκοπον τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς τῆς ἡμετέρας πατρίδος, καὶ ἔχειν ἀεὶ ὑπὸ τὴν ἰδίαν δικαιοδοσίαν τοὺς ἐπισκόπους τῶν ἐπαρχιῶν. quam vera ſit hæc lectio diſtinctioque præ altera quæ in vulgatis huius Nouellæ editionibus habetur, nunc non diſputo, ſed nec de veritate vulgatæ lectionis dubito. ſaltē illud verum eſt, Iuſtinianæ primæ epiſcopum, a Iuſtiniano patriarcham fuiſſe factum, & quoties apud eumdem Iuſtinianum mentio occurrit πατριαρχῶν τῆς ἑκάστης διοικήσεως, ſub eo nomine inter ceteros patriarchas illum comprehendi. nam & ipſe patriar-

cha diœceſeos fuit, qui multas ſub ſe prouincias habuit, quæ πατριαρχίαν ſiue diœceſim conſtituunt. IuſtinianusNou.vi.cap.iii.ſanxit vt epiſcopi ad regiam vrbem ſiue ad comitatum profecturi ex quacunque prouincia formatas τὰς συστατικὰς acciperent a proprio metropolita, metropolitani vero a diœceſeos patriarcha: εἰ δέ τε μητροπολίτης εἴη ὁ παραγίνεσθαι βουλόμενος γράμματα κομίσαιτο τοῦ τῆς διοικήσεως πατριάρχου τὴν αὐτοῦ παρουσίαν ἀναγκαίαν εἶναι λέγοντα. in diœceſi ſiue prouinciis quas regebat Iuſtinianæ primæ antiſtes, metropolitani ad regiam vrbem ituri a quo συστατικὰς accipiebant? an ab altero quam ab illo? imperitus hoc dixerit. ergo πατριάρχης ille τῆς διοικήσεως. ergo & hoc nomine comprehenſus in illa Nouella intelligi debet. Nam & ſupra ſe nullũ in illa diœceſi antiſtitem agnouit, ſub ſe omnes metropolitanos habuit. tres autem tunc tantum vel tua confeſſione gradus erant, patriarchæ, metropolitani & epiſcopi. ergo: ſcis quid velim poſtea. idem omnino & de Carthaginenſi archiepiſcopo ſtatui debere iam diximus. metropolitanis omnibus Africanæ diœceſeos ex ea Nouella Iuſtiniani τὰς συστατικὰς dare debuit ad comitatum contendentibus. huic Iuſtinianus ἀρχιερατικὸν δίκαιον tribuit. Iohannes archiepiſcopus Conſtantinopolitanus ſub ſecundo titulo τῆς συναγωγῆς Theodoreti: φυλαττέσθω τῷ θρόνῳ Ἀφρικῆς τὸ ἀρχιερατικὸν δίκαιον κατὰ τὸ δοθὲν αὐτῷ προνόμιον. Ex Nou. cxxxi. ἀρχιερατικὸν δίκαιον & πατριαρχικὸν idem eſſe iam ſupra oſtendimus. ſic ἀρχιερατικὸς θρόνος eſt πατριαρχικὸς

leg. XXIX. Cod. de episcop. aud. εἰ μέν τι παρεμπεμφθείσης τῆς ὑποθέσεως παρὰ τοῦ θεοφιλεστάτου πατριάρχου ἢ τινὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν, ἢ ἄλλῳ τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων ἐνεχθείη ψῆφος καὶ μὴ στερχθείη παρὰ θατέρου μέρους, ἔκκλητός τε γένηται τηνικαῦτα ἐπὶ τὸν ἀρχιερατικὸν θρόνον φέρεσθαι τὴν ἔφεσιν, κἀκεῖσε κατὰ τὸ μέχρι νῦν κρατοῦν ἐξετάζεσθαι. θρόνον etiam Ἀφρικῆς vocat ille Iohannes, quod quam vim habeat ipse scire potes, qui θρόνους siue sedes proprie dictas solos patriarchas asseris rexisse. præterea notat Balsamon ad Photij nomocanonem, tit. I. cap. V. τὴν ἐκκλησίαν τῆς Καρχηδόνος habuisse τὰ προνόμια τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου. sane aut patriarcha non fuit episcopus Romanus, aut etiam patriarcha fuit Carthaginensis episcopus. nihil etiam plus habuit patriarcha Constantinopolitanus ipse, quam τὰ προνόμια τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου. Videndus idem Photius tit. VIII. cap. I. & Balsamon ad locum, & can. XXXVI. sextæ Synodi.

Præter hos duo Iustinianæ primæ, & Iustinianæ Carthaginis patriarchas vin & alium adhuc tibi, verum, iustum, legitimum patriarcham, talem habitum, talemque agnitum tradam? accipe adhuc vnum, & vnius adhuc Iustinianæ. In sexta Synodo τῇ ἐν τῷ Τρούλλῳ, Iohannes nouæ Iustinianopolis episcopus sedit inter patriarchas, & cum patriarchis subscripsit. Admonitio eidem Synodo præposita: Τύπος τοῦ ἁγιωτάτου Πάπα Ῥώμης. εἶτα καθεξῆς. τῶν πατριαρχῶν αἱ ὑπογραφαί, Παύλου Κωνσταντινουπόλεως. Πέτρου Ἀλεξανδρείας. Ἀναστασίου Ἱεροσολύμων. Γεωργίου Ἀντιοχείας. Ἰωάννου νέας Ἰουστινιανουπόλεως. μεθ' οὓς ὑπογέγραπται

Κυριακὸς ἐπίσκοπος Καισαρείας τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας, &c. Hunc Iohannem nouæ Iustinianopolis episcopum Cardinalis illustrissimus in postumo scripto, obseruatione prima cap. XXXII. pro Iustinianæ primæ episcopo, qui & patriarcha Bulgariæ dictus est, perperam accepit. Hæc noua Iustinianopolis longe alia fuit ab illa Iustiniana prima, patria Iustiniani imperatoris. Iustiniana prima, vt nemo nescit, vrbs erat Dardaniæ. at noua Iustinianopolis Cyprus appellata est, cuius episcopus semper αὐτοκέφαλος fuit: at Concilio sexto in Trullo, cui & tanquam patriarcha subscripsit & inter patriarchas, priuilegia ac iura sedis Constantinopolitanæ eidem decreta sunt, & subiecta prouincia Hellesponti. Canon XXXIX. eiusdem Synodi: τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ τῆς Κυπρίων νήσου προέδρου, &c. συνορῶμεν ὥστε ἀκαινοτόμητα διαφυλαχθῆναι τὰ παρὰ τῶν ἐν Ἐφέσῳ τὸ πρότερον συνελθόντων θεοφόρων πατέρων, τῷ θρόνῳ τοῦ προγεγραμμένου ἀνδρὸς παρασχεθέντα προνόμια, ὥστε τὴν νέαν Ἰουστινιανούπολιν τὸ δίκαιον ἔχειν τῆς Κωνσταντινουπόλεως. translatus autem tunc fuit cum vniuersa plebe sibi subiecta in Hellesponticam prouinciam, propter incursiones barbarorum, qui Cyprum insulam subinde vastabant. ideo & prouincia Hellesponti illi subdita est, cum eadem prærogatiua αὐτοκεφαλίας, quam ipsi decreuerant olim Ephesini Concilij patres, vt priuilegia scilicet eadem haberet, quæ patriarcha Constantinopolitanus. δίκαια vero illa πατριαρχικὰ fuere. Patriarcha enim erat archiepiscopus Constantinopoleos. hinc tanquam

verus ac legitimus patriarcha cum ceteris patriarchis ſupraſcripto Concilio ſubſcripſit: Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος νέας Ἰουστινιανουπόλεως ὁρίσας ὑπέγραψα. Iuſtinianopolis igitur hæc noua, non erat Iuſtiniana prima, ſed Cypriorum Eccleſia. Balſamo ad illum canonem: ὁ δὲ πρῶτος χρόνων ἐξελθὼν ἀπὸ αἰτήσεως ἑτέρου ἀρχιεπισκόπου Κύπρου Ἰωάννου, ἐπικυροῖ μὲν καὶ τὰ ἐν Ἐφέσῳ πεπραγμένα, ὀνομάζων καὶ τὴν ἐκκλησίαν τῶν Κυπρίων νέαν Ἰουστινιανούπολιν· διορίζεται δὲ ἔχειν αὐτὴν καὶ τὰ δίκαια τῆς Κωνσταντινουπόλεως. Curopalates ſecundam Iuſtinianam Cyprum vocatam eſſe ſcribit, & Carthaginem, tertiam Iuſtinianam: ἀλλὰ δὴ καὶ τοῦ ἀρχιεπισκόπου πρώτης Ἰουστινιανῆς Ἀχρίδος καὶ πάσης Βουλγαρείας. ἐπεὶ δευτέρα Ἰουστινιανὴ ἐστὶν ἡ Κύπρος. καὶ τρίτη ἡ Καρχηδών. perperam vertit interpres, *& tertia Chalcedon*, quaſi legiſſet, Χαλκηδών. quod miror etiam placuiſſe Miræo. ſed fallitur Curopalates de Iuſtiniana ſecunda. nam Cyprus Iuſtiniana ſecunda nunquam dicta eſt, ſed noua Iuſtinianopolis. In Dardania duæ fuere Iuſtinianæ ab eodem Iuſtiniano denominatæ: *Iuſtiniana prima*, quam & ipſe condidit, quæ & eius patria fuit: & *Iuſtiniana ſecunda*, quam inſtaurauit, quæ olim Vlpiana dicebatur. de quibus videndus Procopius lib. IV. de ædificiis Iuſtiniani. At Carthaginem idem, recepta a Vandalis Africa, Iuſtinianam ſimpliciter nominauit ſine adiuncto primæ aut ſecundæ. hinc Ἰουστινιανὴ Καρχηδών vocatur Nouella CXXXI. cap. IV. Cyprus autem, noua Iuſtinianopolis appellata eſt. Fuit etiam Iuſtinianopolis vrbs ſecundæ Cappadociæ.

Hos tibi tres trium Iustinianarum archiepiscopos sub Iustiniano & post Iustinianum & patriarchas fuisse, & patriarchas dictos, & pro patriarchis habitos esse tibi demonstrauimus, præter illos primarios quinque, quos solos tales haberi viderique volebas. atqui tres illi supra memorati non solum τὰ ὀνόματα, sed etiam τὰ προνόμια patriarcharum habuere, & ius pariter cum appellatione. vbi res & nomen adsit, quid amplius desideres? Nunc apparet, quam verum sit illud quod dixisti, euoluenti Nouellas omnes & quidquid in Græcia librorum est post Iustinianum, nusquam patriarchas, nisi illos quinque agnitos, reperiundos esse. sed maxime, & in primis illud in admirationem me rapit, & in
„ stuporem prorsus dat, quod scribere ausus es, Iusti-
„ niani potissimum ætate, patriarcharum nomen
„ inter Ecclesiasticas dignitates frequentari cœptum esse. Hoc scripsit ille Sirmondus, & adhuc potest a doctis doctus haberi? loquatur fama quod libet, certum est illi posthac non credere. fortunæ illa similis est. alter eam habet, alter meretur. quid Sirmonde? ante Iustiniani æuum non frequentabatur inter Ecclesiasticas dignitates patriarcharum nomen? Atqui iam ipsius Hadriani temporibus, tot ante Iustinianum annis episcopus Alexandrinus patriarcha vocabatur. Epistola eiusdem Hadriani ad Seuerianum quæ apud Vopiscum in vita Saturnini legitur, id testatur. *Ipse ille*, inquit, *patriarcha cum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare cogitur, ab aliis Christum.* an ille solus tunc temporis patriarcha

vocatus est? immo & idem nomen habuisse verisimile est, qui pari iure & honore subditas sibi Ecclesias in Græcia regebant, vt Antiochenum, & si qui alij tunc plurium prouinciarum primates fuere. sed nimis illa vetera sunt Ecclesiæ tempora; ad cognitiora, & magis recentia descendamus, longe tamen Iustiniano antiquiora. Concilio Constantinopolitano primo, quod sub Theodosio Magno celebratum est, patriarcharum nomen ac dignitas iam tum in vsu frequenti fuit, vt constat ex Socrate Scholastico qui illorum temporum affinis, ætate Theodosij filiorum vixit. is & patriarchas in singulis diœcesibus constitutos scribit, & diœceses ipsas πατριαρχίας vocat. lib. v. cap. VIII. hist. Eccles. ἐβεβαίωσάν τε αὖθις τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν καὶ πατριάρχας κατέστησαν διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας, ὥστε τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιβαίνειν. ita legendum est eo loco, non ὑπερβαίνειν. in sequentibus πατριαρχίας appellat quæ can. II. Concilij Constantinopolitani διοικήσεις appellantur. nusquam autem in illo Concilio patriarcharum nominatim fit mentio, licet iam tum hoc nomen communiter & passim vsurparetur, de episcopis diœceseon rectoribus, quia in Ecclesiasticis regulis condendis hæc superbiora nomina, patriarcharum & exarchorum, pro modestia sua semper vitarunt sancti patres. Hinc Concilio Carthaginensi cap. XXXIX. sancitur, *vt primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus.* nam ἔξαρχος τῶν ἱερέων, & ἱεράρχης,

& ἀρχιερεὺς, & πατριάρχης, & ἄκρος ἱερεὺς, nomina ſuperbiæ ſunt,& typhum ſæcularem reſipiunt.ideo nunquam in conciliorum canonibus vſurpata reperiuntur, nec in illis quæ ante Iuſtinianum, nec ſi quæ poſt Iuſtinianum celebrata ſunt. quinimmo ipſi illi patriarchæ, qui reuera dicebantur, etiam in ſubſcriptionibus nunquam aliter ſe quam epiſcopos ſubſcribebant. ſic Concilij Chalcedonenſis can.IX. & XVII. ἔξαρχος διοικήσεως, hoc eſt primas diœceſis, aut qui in diœceſi primus eſt epiſcopus, quaſi modeſtius nomen eſſet, pro πατριάρχης διοικήσεως legitur.Concilij tamen Chalcedonenſis tempore vox πατριάρχης æque communis erat, & æque vſitata, ac Iuſtiniani ipſius ætate. Nam & in eiuſdem Concilij geſtis mentio fit πατριαρχῶν ἑκάστης διοικήσεως, vt in actione II. his verbis: οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες καὶ ἡ ὑπερφυὴς σύγκλητος εἶπον· εἰ δοκεῖ τῇ ὑμετέρᾳ εὐλαβείᾳ οἱ ὁσιώτατοι πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης ἐπιλεξάμενοι ἕνα ἢ δεύτερον τῆς ἰδίας ἕκαστος διοικήσεως, εἰς τὸ μέσον παρελθόντες, καὶ κοινῇ περὶ τῆς πίστεως βουλευσάμενοι, τὰ συνδοκοῦντα φανερὰ πᾶσι καταστήσωσι. Theodoretus denique Cyrri epiſcopus, qui Epheſini Concilij tempore vixit, collectionem canonum edidit, quę adhuc in Bibliothecis ſeruatur, quam in quinquaginta titulos diuiſit, ſinguloſque titulos ex ſimilibus canonibus, & ad eamdem rem pertinentibus contexuit. huius συναγωγῆς κανόνων primum ille titulum fecit, περὶ τῆς ὁρισθείσης τοῖς πατριάρχαις ἐκ τῶν κανόνων τιμῆς, καὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι τινὶ αὐτῶν ὑφαρπάζειν ἐπαρχίαν ἑτέρῳ προσήκουσαν ἐπὶ χειροτονίᾳ καὶ διοικήσει. ἀλλὰ καὶ τὰς ὑφαρπαγείσας ἤδη

τοῖς

τοῖς ἀδικηθεῖσιν ἀνταποδίδοται. Canones deinde ſubiuncti ex diuerſis Conciliis, qui de patriarchis omnes tractant, iſti:

Τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου κανὼν ἕκτος.
Τῆς αὐτῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου κανὼν ἕβδομος.
Τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει συνόδου κανὼν δεύτερος.
Τῆς αὐτῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει συνόδου κανὼν τρίτος.
Τῆς ἐν Ἐφέσῳ συνόδου κανὼν ἕβδομος.

Omnes ſupraſcripti canones de patriarchis agunt. *Sextus* canon Nicenæ Synodi Alexandrino patriarchæ, & Antiocheno ſua iura ac priuilegia ſeruanda præcipit in ſuis diœceſibus ad exemplum Romani epiſcopi, cui parilis mos erat. *Septimus* eiuſdem Synodi canon Æliæ epiſcopo hoc eſt Hieroſolymitano patriarchæ honorem habendum eſſe decernit. *Secundus* canon Conſtantinopolitanæ primæ Synodi de patriarchis Ægyptiacæ, Orientalis, Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceſeon agit, vt finibus ſuis contenti ſint, nec alienas prouincias inuadant. *Tertius* canon eiuſdem Synodi de patriarchæ Conſtantinopolitani prærogatiua tractat, vt primatum honoris poſt epiſcopum veteris Romæ habeat. *Septimus* canon Epheſini Concilij nominatim de Neſtorij condemnatione loquitur qui patriarcha Conſtantinopolitanus fuit. ſic omnes hi canones recte in vnum faſcem a Theodorito collecti, & ſub titulum de patriarchis coniecti ſunt. Ito nunc ac dicito patriarcharum nomen ſub Iuſtiniano potiſſimum frequentari cœptum eſſe. at ego dixero non heic primum te hallucinari cœpiſſe, ſed frequenter

hoc facere, & facturum alias, modo tibi Deus vitam producere dignetur. quod opto. nam certe nimis lepidus es ac festiuus nugator.

Vt probatum habeamus apud Latinos æque vt apud Græcos, non plures quam quinque fuisse patriarchas, Anastasium Bibliothecarium audire nos iubes in Epistola quam octauæ Synodo præfixit ad Hadrianum Papam II. sic igitur ille Anastasius: *Cum Christus in corpore suo quod est Ecclesia, tot patriarchales sedes, quot in cuiusque mortali corpore sensus locauerit, profecto nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ sedes vnius fuerint voluntatis.* Ex hoc argumento & comparatione quinque præcipuarum in Ecclesia sedium, cum quinque sensibus humani corporis, ad eam nos necessitatem adigi censes, vt aut docendum nobis sit, sensus in corpore plures esse quam quinque, aut confitendum patriarchas, Orientis Occidentisque consensu, plures hoc numero non fuisse. Profecto si quis olim mihi dixisset te adeo ineptum esse, nunquam credidissem: nunc vel plus credo quam quisquam possit mihi dicere. Et certe ineptior es, quam vel a quoquam dici, vel a quoquam credi queat. Audi nunc quæso vicissim, ac vide quas in angustias ego te redigam, & quali necessitate constringam. aut docendum habes, semper & ab omni æuo quinque patriarchas primarios in Ecclesia numeratos esse, aut aliquando pauciores quam quinque sensus in corpore humano fuisse. Tempus olim fuit in Ecclesia quum tres tantum præcipui patriarchæ numerabantur, Romanus,

Alexandrinus & Antiochenus: Has præcipuas primariasque sedes diu solas agnouit Ecclesia. an negabis? si hoc negare non potes, illud fatendum tibi est, illo tempore non plures quam tres sensus in corpore humano fuisse, quoniam plures quam tres patriarchales sedes Ecclesiæ corpus tunc non haberet. Romani ipsi Pontifices etiam post erectum Constantinopolis patriarchatum diu non nisi has tres sedes agnoscere voluerunt: vt Leo, Felix, Gelasius, Symmachus aliique. At postquam tandem Constantinopolitanum episcopum eis inter patriarchas recipere placuit, & in eodem numero ac loco Hierosolymitanum habere, non quinque sed quattuor tantum patriarchas numerarunt primarios: nec enim semetipsos patriarchis adnumerarunt. Papam quippe diuersi ordinis esse, ac longe maioris quam patriarchas, vt pote qui patriarchas omnes infra se positos cernat, & post se longo relinquat interuallo: Nam de omnibus iudicat, a nemine ipse iudicatur. Hinc Gregorius Magnus lib.II. epist.XXXVII. ad Natalem Salonitanum, quattuor patriarchas tantum nominat ac memorat his verbis: *quod si quilibet ex quattuor patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo transire tanta res nequaquam potuisset.* idem lib.VII. indict. II. epist. LIV. ad Secundinum, quattuor præcipuas sedes numerat. Nicolaus primus, Innocentius tertius, aliique omnes subsequentes Pontifices, has quattuor præcipuas sedes solas nouere, & harum sedium quattuor præcipuos patriarchas, quorum primus fuerit Con-

stantinopolitanus post summum Pontificem, qui non patriarcha ipse habendus, nec inter patriarchas numerandus, sed Papa est, hoc est vniuersalis episcopus, & patriarcha patriarcharum. Igitur si hoc de necessitate est, vt totidem sint in Ecclesia patriarchales sedes quot sensus in corpore, tuo iudicio qui quattuor tantum patriarchas agnouerit, quattuor tantum sensus confiteri debeat. Vide nunc & agnosce τὸ γελοῖον καὶ ἄτοπον illationis tuæ. Ita enim argutaris quasi semper in Ecclesia fuerint quinque primarij patriarchæ, aut quasi plures fieri non possint. si cum tres antea essent, quinque postea facti sunt, quid prohibet & plures esse posse? & sane etiam fuerunt. Etenim sex patriarchæ Concilio sexto in Trullo subscripsère. ergo tunc sex sensus in corpore humano fuisse oportet. quid ineptius? quemadmodum autem quum tres erant, non soli fuere, sed præcipui inter plures eiusdem ordinis patriarchas: ita & postquam duo adiecti sunt ad illos tres priores & antiquos, nec ipsi fuere soli quinque, sed alij etiam tunc extiterunt eiusdem ordinis ac nominis, licet non eiusdem dignitatis patriarchæ. Papæ vero Romani, vt diximus, non quinque, sed quattuor patriarchas primarios agnosci dicique voluere: Romanæ autem sedis episcopum non patriarcham, sed Papam hoc est simpliciter & absolute episcopum. Hos potius audire debueras, quam Anastasium Bibliothecarium, qui Græculorum hac in parte delirantium nugamenta sequutus est. illi enim quinque patriarchas ideo

numerant, vt summum Pontificem tanquam vnum de patriarchis in hunc numerum referant, & in ordinem cogant eumdem, ac dignitatis eiusdem cum suis patriarchis faciant. ideo vnum & vnicum illum patriarcham Occidentis fuisse garriunt. Hinc πενταχόρυφον vniuersam Ecclesiam iidem statuerunt, quod a quinque scilicet capitibus regeretur, omnibus æquali prorsus auctoritate, parique præditis potestate. Catholici vero omnes non πενταχόρυφον, sed μονοχέφαλον Ecclesiam esse, ac dici debere contendunt, sub vno capite visibili, Pontifice Romano, patrum patre, episcoporum omnium patriarcha, & patriarcharum episcopo. Græculorum igitur σχισματιώντων illa comparatio quinque patriarcharum cum quinque sensibus corporis humani. Theodorus Balsamo, schismaticum hominem & Græculum nosti, hac eadem vtitur sensuum comparatione in dictato suo siue μελέτῃ de patriarcharum priuilegiis. recitato enim canone tertio sextæ Synodi in Trullo, ita infert: διὸ καὶ κατὰ τὴν τούτου περίληψιν ἐκ τότε καὶ μέχρι τοῦ νῦν οἱ τῶν τοιούτων πέντε ἁγιωτάτων θρόνων μεγάλοι ἀρχιερεῖς οὕτω κατὰ τὴν πᾶσαν οἰκουμένην σεβάζονται. οὐδὲ γὰρ τοῦτο ἢ τοῦ δευτέρου ὁ πρῶτος οὐ κατεπαίρεται, οὐδὲ τοῦ τρίτου ὁ δεύτερος. ἀλλ' ὡς αἰσθήσεις πέντε μιᾶς κεφαλῆς ἀριθμούμεναι, καὶ μὴ μεριζόμεναι, οὐδὲ γὰρ τῷ χειροτονουμένῳ λαῷ λογιζόμενοι, ἰσοτιμίαν ἐν ἅπασιν ἔχουσι, καὶ κάραι τῆς κατὰ πᾶσαν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ δικαίως καλούμενοι, διαφορὰν ἀνθρωπίνην οὐ πάσχουσιν. & paulo post: ἀλλ' ὥσπερ ἡ πεντὰς τῶν αἰσθήσεων στοιχεῖ τῇ διαπλάσει τοῦ ἀρχιτέκτονος καὶ πλαστοῦ Θεοῦ, καὶ οὐ καταστέλλει τυχὸν ἡ ὅρασις τῆς ὀσφρήσεως,

οὐδὲ ἡ ἀκοὴ τῆς ἁφῆς καὶ τῆς γεύσεως, ὅτι παρ' ἡμῶν οὕτω πως ὀνομάζονται. οὕτως οὐδέ τις τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν ἐκ τῶν θείων κανόνων τόπον κληρωσάμενος πρότερον, τοῦ δευτέρου καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν ὡς ὑπερφέρων διαζονδύεται. Hos auctores habet Anaſtaſius tuus in comparandis cum quinque ſenſibus, quinque patriarchis: iidem illi nimirum qui ſummum Pontificem ſolum Occidentis patriarcham ſpecialem ideo eſſe dicunt, ideo quinque tantum patriarchas ponunt, vt *ἰσοτίμους* omnes faciant, pares honore, pontificio, poteſtate. ſed demus & quinque patriarchas, & vnum ex illis quinque eſſe Romanum epiſcopum, ac ſic recte a Græcis cum quinque ſenſibus comparari: de primariis ſemper & eximiis illis patriarchis intelligendum fuerit, qui ſoli non fuere, nam & multi præterea in Occidente & Oriente patriarchæ dicti ſunt, vt iam diximus, vt mox dicturi ſumus. ſic quo tempore tres tantum eximij præcipuique fuere, cum nondum eſſent Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus patriarchæ, ſolos tamen non fuiſſe, ſed alios etiam plures tum extitiſſe, qui hoc nomen & hanc dignitatem haberent, nec ipſe fateri dubitas. atqui Trinitati tunc a quibuſdam comparati ſunt tres illi ſummi primariique antiſtites. ita eos, ſi bene memini, comparat Symmachus Papa in Epiſt. ad Eonium. ſi ineptias tuas vellem imitari, dicerem aut docendum eſſe tibi, in vna atque indiuidua Trinitate plures eſſe quam tres hypoſtaſes, aut in vniuerſa Dei Eccleſia, quæ vna eſt, patriarchas plures hoc numero non fuiſſe confitendum. in has

anguſtias ſi te inigerem, nunquam inde te extricares. ſed non ſum ego tam ineptus. ſatis eſt quod illas liberaui, in quas me detruſeras. in quibus tamen ne diutius verſarer, vt multum es miſericors, etiam manum vltro ipſe porrexiſti, & viam qua euaderem oſtendiſti. ſic ὁ τρώσας καὶ ἰάσατο. verum nihil ego tuam iſtanc humanitatem moror. iam ſine te euaſi. immo nuſquam laxius fui, nunquam liberius ſpiraui quam in illis anguſtiis quibus me conſeptum putabas. Anguſtiæ tuæ tales fuere, nunc viam videamus qualis ſit, quam monſtrabas, vt ex illis erepere, ac me eripere poſſem. Non inficiari te « dicis patriarcharum nomen exarchis olim, id eſt « tertio epiſcoporum ordini, tributum aliquando « fuiſſe, tempuſque adeo extitiſſe quo patriarchæ ab « exarchis diuerſi apud Græcos non eſſent, neminem « hoc neſcire, vexare me porro vt hoc doceam, nec « apte quicquam probare, cum facilius nihil fuerit « quam id certis documentis oſtendere. Documenta « illa, Sirmonde, tam certa, quibus hoc tam facile probari poterat & oſtendi, quæ tamen non vidi, nec vſurpaui, quænam ſunt? *an non aperte*, inquis, *Socrates lib. v. hiſtoriæ Eccleſ. cap.* VIII. *diœceſes Thracicam, Ponticam, Aſianam, Ægyptum & Orientem* πατριαρχίας *appellat, & patriarchas in ſingulis a Synodo Conſtantinopolitana conſtitutos ſcribit?* Hoc erat vnum ex illis documentis, quæ producere debui nec produxi? adeone alienis oculis Epiſtolam ad Amicum tranſiiſſe dicam, vt locum illum Socratis ad eam rem ibi a me citatum non videris? ſed non aliter

nec aliis oculis eam Epiſtolam te legere oportuit, cui tam negligenter ac perfuſorie propoſitum tibi fuit reſcribere. en ſupinitatem καὶ ἀβλεψίαν, aut ſi hæc non ſunt, vere meram fraudem & impoſturam! pag. LXXIX. Epiſtolæ ad Amicum, hæc verba diligens ac diſſimilis Sirmondo lector reperiet: *Primas diœceſeos in Occidente, idem omnino qui* πατριάρχης διοικήσεως *in Oriente: Hinc* πατριαρχίαι ἀντὶ τῶν διοικήσεων, *apud Socratem Hiſt. Eccleſ. lib.* V. *cap.* VIII. Vides nunc iam, ſi oculis tamen adhuc tuis vteris, ibi me ex Socrate probauiſſe, quomodo vel tua ſententia probandum id fuit, primates, hoc eſt exarchos diœceſeon, eoſdem cum patriarchis eſſe? quid adhuc vis amplius? quid ipſe fruſtra te vexas? cur docere me debuiſſe dicis, quod ego docui, & eo quidem modo quo docuiſſe decuit? Sed de re quoniam inter nos conuenit, & confiteris ipſe patriarchas eoſdem aliquando fuiſſe qui & exarchi diœceſeon, habes quod volebam. de te aliud nihil requiro, ac cetera tibi libens condono. Quæris an eo factum putem, vt iidem ſemper fuerint, aut tum etiam quum iidem erant, tres tantum in Eccleſia, & non quattuor epiſcoporum gradus numerati ſint? Hoc ſi putem, falli me putas. Hæc igitur tua opinatio eſt, vel obſtinatio, quattuor gradus epiſcoporum numeratos eſſe, epiſcopos, metropolitas, exarchos diœceſeon, & patriarchas, etiam tum cum iidem erant exarchi diœceſeon cum patriarchis. quid hoc eſt? an non hoc ænigmati ſimile eſt? iidem erant exarchi diœceſeon, qui & patriarchæ; & tamen

non

non iidem erant? Exarchi diœceſeon, patriarchæ fuere aliquando, & tamen ne tunc quidem fuere patriarchæ, cum patriarchæ fuere? an non hoc plane & aperte dicis? ſane hoc ipſum. annuis ipſe tempus extitiſſe quondam quo patriarchæ ab exarchis diœceſeon diuerſi apud Græcos non eſſent. fuiſſe tamen vel etiam illo tempore diuerſos hinc apparet, quod diuerſum ordinem conſtituerent, ac in tertio gradu ſubſiſterent, ſtantibus in quarto patriarchis. ſic eodem tempore diuerſi fuere, & non diuerſi; iidem ac non iidem. diuerſi non erant, quia tu hoc ſcribis: diuerſi tamen erant, quia hoc idem ſcribis quoque. ſane ſi quum iidem erant, diuerſum tamen ac tertium ordinem conſtituebant, diuerſi tunc etiam a patriarchis erant. At tu aliquando non fuiſſe diuerſos ſcribis; quomodo igitur ipſe tibi conſtabis? ſi in diuerſo ordine, omnino etiam diuerſi. Nam vt epiſcopus a metropolitano diuerſus, metropolitanus ab exarcho diœceſeos, ita etiam oportet diuerſum fuiſſe diœceſeos exarchum a patriarcha. præterea ad quattuor illos gradus conſtituendos oportet, quemadmodum epiſcopus metropolitano ſubiectus erat, & metropolitanus exarcho diœceſeos, ita exarchum diœceſeos ſubiectum fuiſſe patriarchæ. At exarchi diœceſeon, illo tempore dicebantur etiam patriarchæ. Ergo patriarchæ patriarchis erant ſubiecti. ſi ſubiecti non erant, ergo diuerſum ordinem tunc temporis non conſtituerunt: ergo diuerſi a patriarchis non fuere, ſed ipſi etiam ſicut reuera extitere,

ita etiam dicti sunt patriarchæ. Tempus extitisse non abnuis quo exarchi diœceseon, dicerentur patriarchæ: an aliquod tempus fuit, quæso te, quo patriarchæ non fuerint diœceseon exarchi? nemo patriarcharum fuit sine diœcesi: nullus igitur patriarcha, non diœceseos exarchus. quis enim, rogo te, diœcesi præest, & non est diœceseos exarchus? quis autem patriarcha qui non alicui diœcesi præsit præsideatque? Alexandrinus antistes, Ægypti, Libyæ & Pentapolis patriarcha fuit, hoc est Ægyptiacæ diœceseos exarchus. Antiochenus, Orientis patriarcha, hoc est τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως ἔξαρχος. Æliensis episcopus, trium Palæstinarum fuit patriarcha. hæc illius fuit diœcesis: huiusce diœceseos exarchus fuit. Constantinopolitanus archiepiscopus, primo solius Thracicæ diœceseos, in qua sita erat Constantinopolis, exarchus siue patriarcha, mox & reliquarum duarum Asianæ & Ponticæ, non diœceseos sed diœceseon exarchus merito potuit vocari. Hæ tres diœceses cum diœcesim eius constituerent, nullius tamen vnquam diœceseos ille patriarcha dictus est, sed πατριάρχης οἰκουμενικός, vt infra dicam. Omnes igitur patriarchæ exarchi diœceseon fuere, & vicissim omnes exarchi diœceseon patriarchæ sunt appellati. hinc πατριάρχην non simpliciter, sed πατριάρχην διοικήσεως pro eo qui diœcesi præest, & qui diœceseos exarchus est, passim legere licet. πατριάρχαι τῆς ἑκάστης διοικήσεως, πατριάρχης τῆς ἐκείνης διοικήσεως, millo locis apud Iustinianum in Nouellis occurrunt. mentio &

πατριαρχῶν διοικήσεως ἑκάστης in gestis Concilij Chalcedonensis actione II. Euagrius Hist. Eccles. lib. IV. cap. II. ὑποτέθεικε τοὺς ἑκάστης διοικήσεως πατριάρχας ἀλλήλοις συμβαίνειν, τούς τε τῶν πόλεων ἐπισκόπους, τοῖς ἰδίοις ἐξάρχοις ἕπεσθαι. Quare ἔξαρχος διοικήσεως, & πατριάρχης διοικήσεως idem est, atque idem omnino censendus est. vbi res eadem est, nomen quoque idem, cur erit ordo diuersus? cum omnes pariter fuerint alicuius diœceseos exarchi, pariter patriarchæ sint appellati, cur alios tamen quarti ordinis, alios tertij tibi placet fuisse? Tuam fidem, Sirmonde, hoc cum scribebas, verum esse putabas? Conscientiam tuam si perrogare liceret, si loqui posset, aliud responderet. Canon secundus Constantinopolitanæ primæ Synodi quinque diœceses siue patriarchias recenset, quæ sub Orientis imperio fuere, Ægyptiacam, Orientalem, Asianam, Ponticam & Thracicam. Harum diœceseon rectores hoc est patriarchæ, vetantur illo canone fines sibi attributos transilire, & alienas prouincias inuadere. Tu ex illis qui ibi enumerantur πατριαρχῶν exarchis, aut diœceseon patriarchis, alios in quarto ponis, alios in ordine collocas. quid ita aut quo iure? nullam differentiam aut discrimen inter diœceses quinque suprascriptas statuit nec agnoscit Synodus ipsa, nullam iuris aut ordinis diuersitatem inter ipsos patriarchas qui diœceses illas regebant: an pro sano faciet, qui constituet vllam?

Hoc tamen vt euincas, & patriarchas a patriarchis facias diuersos, isto argumento vteris & exem-

plo. *Vt Papæ*, inquis, *nomen apud Latinos omnium primum episcoporum nomen fuit, postea proprium & peculiare illius factum est, qui episcopus est episcoporum: sic patriarchæ nomen quod commune aliquando fuerat cum exarchis, ad eos postea solos translatum est, qui Ecclesiæ primarias quinque sedes regunt.* quando istud factum, Sirmonde, vt patriarchæ nomen ad eos solos translatum sit, qui primarias quinque sedes regebant, & ceteris omnibus sit negatum? vnde igitur patriarcha Aquileiensis, patriarcha Gradensis, patriarcha Lugdunensis, patriarcha Bituricensis, patriarcha Bulgariæ, aliique plures tam Orientis quam Occidentis patriarchæ, quorum passim extat mentio, qui & hoc nomen olim habuere, ac retinuere semper? atqui oportebat illud nomen non aliis episcopis dari, quam quorum factum est proprium, præsertim postquam ad eos solos translatum, quinque primarios antistites. cur igitur illi quos dixi, aliique multi quos non dixi, passim in scriptis qua veterum qua recentiorum, patriarchæ reperiuntur appellati? De Papæ nomine certe verum est, commune olim cum esset omnibus episcopis, postea ad solum Romæ vrbis episcopum translatum fuisse. sed postquam proprium ac peculiare episcopi Romani hoc nomen cœpit esse, nulli alij episcopo tributum est: omnibus negatum est. quis hodie episcopus vocatur Papa præter Romanum? quis abhinc aliquot seculis retro sic vocatus est præter illum? De Patriarchæ appellatione longe aliter se res habet. Nam & quum tres tantummodo erant, & vbi quin-

que facti sunt principalium sedium antistites patriarchæ, nunquam penes illos solos hoc nomen hæsit, sed aliis etiam quamplurimis datum est. vt constat ex iis quæ iam diximus, & quæ mox dicturi sumus. At si soli illi quinque patriarchæ meruerunt appellari, nemo præter eos hoc nomine debuit insigniri. quemadmodum enim vbi episcopus Romanus proprium, ac præcipuum Papæ nomen habere cœpit, nullus alius episcopus Papa reperitur vspiam nominatus, ita postquam propria hæc solorum quinque appellatio vt esset, obtinuit, nemini præter illos donari debuit. cur ergo Nicolaus Papa primates Galliæ patriarchas nuncupat? cur Innocentius tertius primatem Bulgariæ, patriarcham vocat, & primates cum patriarchis eosdem esse dicit? cur Leo nonus archiepiscopum Gradensem, nouæ Aquileiæ patriarcham appellat, eique Venetiæ & Istriæ episcopos tanquam suo primati & patriarchę obedientes esse præcipit, epist. 11. ad episcopos Venetiæ & Histriæ? Cur Athalaricus in Epist. ad Ioannem Papam lib. IX. Variarum Cassiodori, alios patriarchas nominat quam illos quinque? sic enim scribit: *atque ideo sanctitas vestra statuisse nos præsenti definitione cognoscat, quod etiam ad vniuersos patriarchas & metropolitanas Ecclesias volumus pertinere*, &c. & paulo post: *alios vero patriarchas quando in comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus atque personis intra duo millia solidorum iubemus expendere.* in comitatu Athalarici an tractabatur, rogo te, de ordinatione quattuor patriarcha-

rum Orientis? idem post paulo: *vos autem, qui patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesiis, quoniam constitutio nostra ab illicita promissione liberauit, restat vt bona imitantes exempla, sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos maiestate pontifices offeratis.* Iam fateri posses, si velles, certe deberes, nihil esse tam dissimile, quam quod videri maxime simile voluisti de Papæ deque patriarchæ nomine. Episcopi omnes olim Papæ vocabantur, postea sic solus vocari cœpit episcopus Romanus. Hoc verissimum. Exarchi diœceseon omnes olim dicebantur patriarchæ, postea quinque soli primarij ita dicti sunt. Hoc falsissimum. sed heic etiam tui similis fuisti. hoc enim habes, vt nihil quod quadret, quod cohæreat, quod simile sit, dicas. Quæ sequuntur, haud absimilia sunt: quippe tua sunt. *Cæterum,* inquis, *vt Romanum inter Pontificem, & reliquos episcopos, qui tum Papæ, sicut ille, vocabantur, magnum semper fuit apertũque discrimen: ita iidem isti principum sedium antistites, tum etiam cum patriarchæ soli nondum vocabantur, ab iis tamen qui in tertio erant ordine patriarchis & exarchis distinguebantur, iisdemque honoris & dignitatis gradu præcellebant, & quartum episcoporum ordinem, velis nolis constituebant.* quid velis ipse, Sirmonde, quid item nolis, ego facile video. Sed dari tibi ne quod petis possit, facis ipse. contra te plus quam pro te dicis. Hoc de te vt fatearis faciam, ac temetipso iudice conuincam, te frustra voluisse quod tantopere voluisti. magnum semper apertumque discrimen fuisse vis inter pontificem Romanum, & reliquos episcopos qui Papæ sicut

ille dicebantur. Hoc diſcrimen tantum,dic amabo, qua in re tunc fuit? inter Papam & Papas quæ differentia potuit eſſe? Epiſcopus vrbis Romæ Papa dicebatur,ceteri ſingularum vrbium epiſcopi Papę item vocabantur. fratres illos compellabat, frater ab illis audiebat, Papas inuicem ſeſe appellabant; quænam inter fratres & Papas differitas vel diſtinctio? an tu neſcis Summum Pontificem tot modis conſiderandum eſſe, quot ſunt gradus in Eccleſia dignitatum? quattuor gradus & ordines epiſcoporum tibi placet fuiſſe, epiſcopos videlicet ſingularum ciuitatium, metropolitanos prouinciarum, exarchos ſeu primates diœceſeon, & patriarchas ſedium. Ergo & ſecundum hos omnes gradus Pontifex Romanus etiam te iudice ſpectari debeat: Nam & epiſcopus fuit vrbis ſuæ, prouinciæ metropolitanus, diœceſeos exarchus, & patriarcha ſedis, & præterea Summus Pontifex, hoc eſt totius orbis paſtor. quatenus autem vrbis epiſcopus, quis dubitat quin comparari recte poſſit cum omnibus reliquarum vrbium epiſcopis? quatenus metropolitanus, cum reliquis metropolitanis? quatenus exarchus, cum exarchis? quatenus patriarcha, cum patriarchis ceteris? hinc illum ex quinque patriarchis vnum facis, & Occidentem illi quaſi patriarchæ propriam ſpecialemque diœceſim attribuis. quatenus vero Summus Pontifex, & vniuerſæ Eccleſiæ rector, certum eſt eum cum nemine comparari poſſe, ne cum patriarchis ipſis quidem; tantum abeſt vt cum ſimplicibus ſingularum vrbium

episcopis. Hoc nomine non solum extra ordinem episcoporum, sed etiam patriarcharum positus est. Nihil ita sublime est ac supra omnes potestates positum, non sit vt inferius suppositumque Papæ. Papæ, inquam, vt hodie appellatur quum absolute dicitur, quum nemo iam præter eum Papa vocatur. Inter Romanum Pontificem, quatenus Papa est prout hæc hodie vox accipitur, & ceteros episcopos, magnum sane discrimen. Verum non ita accipiebatur olim, cum omnibus erat episcopis communis. tunc non simpliciter nec absolute Papa dicebatur episcopus Romanus, sed *Papa vrbis Romæ*, & *Papa vrbis*. Hoc in subscriptionibus antiquorum Paparum, & inscriptionibus Epistolarum passim legere est: *Innocentius Papa vrbis Romæ, Leo Papa vrbis Romæ, Siluerius Papa vrbis Romæ, Simplicius Papa Romanæ vrbis.* infinita exempla colligi huius rei possunt. hinc Papa vrbis apud Anastasium pro episcopo vrbis Romæ, in Stephano quinto: *qui omnes vno affectu parique amore eum ad Ecclesiam beati Petri perducentes, Dei ordinante prouidentia, Papa vrbis consecratus.* ita enim in omnibus libris manu exaratis scriptum est, non *Papa orbis*, vt vulgo socij tui excuderunt. sic Papa vrbis, & episcopus vrbis, plane idem. nec sane aliter Papa vocabatur tunc Romanus Pontifex, nec alia notione quam ceteri episcopi. Leo Papa, Aurelius Papa, Sidonius Papa, Censorius Papa. omnes erant episcopi Papæ, & ipse Romanæ vrbis episcopus etiam Papa cum aliis, nec alio modo. quemadmodum itaque episcopus Romanus,

quatenus

quatenus episcopus vrbis suæ, non differebat ab aliis singularum vrbium episcopis, nec in diuerso ab illis gradu constitutus erat. sic etiam quatenus vrbis Romæ Papa, distinctum diuersumque ab reliquis episcopis, Papis pariter appellatis, gradum non constituebat, sed vt eodem nomine censebatur, sic & eodem ordine. quid nunc tibi placet, o magister & doctor noster? an vis adhuc vt hoc idem sit de patriarchis? insanum magnam & immanem differentiam statuebas inter episcopum Romanum Papam, & reliquos episcopos Papas, nec minorem inter patriarchas quinque primarios, & reliquos diœceseon exarchos, qui patriarchę pariter vocabantur. iam ostendimus nihil fuisse discriminis, nullam distinctionem ac diuersitatem gradus, inter Papam Romanum, quatenus erat Papa vrbis suæ, & reliquos episcopos, quum Papæ & illi vocarentur: scis puto nunc quid sequi debeat de patriarchis. cur enim non idem sit, quoniam idem esse voluisti? o miser homo, semper hac in parte infelix es. Exempla, comparationes, argumenta quæcunque pro te adducis, omnia tibi in contrarium cedunt. sed tibi animus contumax non deest, qui cuncta ista fortunæ mala superet. sic licet omnes & omnia contra sint, pugnas tamen solus, & pertendis patriarchas a patriarchis diuersum gradum constituere. hæc profecto vis est, quæ rationis expers, solo impetu & impressione vult vincere. sed verba tua repetamus, ea enim iam sum oblitus, ita valde mihi placuere: *principum sedium antistites, tum*

etiam cum nondum patriarchæ ſoli vocabantur, ab iis tamen qui in tertio erant ordine patriarchis & exarchis diœceſeon diſtinguebantur, iiſdemque honoris & dignitatis gradu præcellebant, & quartum, velis nolis, epiſcoporum ordinem conſtituebant. quartus ſane ordo, ſi vllus fuit, diſtinguebatur a tertio, ſed quis tibi dixit fuiſſe? quis te docuit plures quam tres gradus epiſcoporum fuiſſe? vt gradibus, ita & nominibus ſemper illi tres ordines diſtincti fuerunt, epiſcopi, metropolitani, patriarchæ. nunc erunt per te quattuor, epiſcopi, metropolitani, patriarchæ, patriarchæ. ſic duo gradus habebimus eiuſdem nominis. nomina etiam eorum diſtinguere olim volueras, vt melius res tibi procederet. nam exarchos diœceſeon in tertio ordine ponebas, & patriarchas ſedium in quarto. hoc tibi non ſucceſſit. oſtendimus quippe exarchos illos diœceſeon etiam patriarchas vocatos eſſe, patriarchas vero ſedium etiam diœceſes rexiſſe, ideoque etiam exarchos diœceſeon fuiſſe. quid imperitiæ tuæ reſtabat? Hæc poſtquam afflicta eſt, ſuccidaneam ſumpſiſti pertinaciam, qua nunc pugnas, patriarchas iſtos quamuis eiuſdem nominis fuerint, idem ius habuerint, diœceſibus ſimiliter præfuerint, vt illi quinque primi, diuerſos tamen & diuerſi ordinis fuiſſe. o magiſter inuicte, viceris ſi mihi oſtendis patriarchas iſtos quos in tertio gradu locas, ſubiectos fuiſſe quarti ordinis patriarchis, aut ab illis ordinatos eſſe. ſic vir ipſe fueris, & verum fuerit, duo patriarcharum gradus extitiſſe quorum alter alteri ſubiiceretur, & ab altero ordi-

naretur. Hoc enim ſeruatum fuit in gradibus epiſcoporum diuerſis ſtatuendis, vt minor gradus maiori ſubeſſet, & ab eo ordinationem acciperet. ita epiſcopus metropolitano ſuberat, metropolitanus patriarchæ. vide nunc ſis an poſſis monſtrare exarchos diœceſeon, quos tertij ordinis facis, priuſquam ſedi Conſtantinopolitanæ ſubiicerentur, cum adhuc patriarchæ vocabantur, alicui ex patriarchis fuiſſe ſubiectos, aut ab aliquo patriarcha ordinari ſolitos. nunquam hoc monſtrabis. ſi igitur ipſi patriarchæ dicti ſunt, ſi nulli patriarchæ ſubiecti fuere, nullum ordinem epiſcoporum ſuperiorem agnouere, ipſi vtique in ſupremo gradu ſtetere Eccleſiaſticæ dignitatis. atque ita tres non quattuor gradus epiſcoporum fuiſſe oportet, ac ſupraſcriptos diœceſeon exarchos ſiue patriarchas, in tertio, qui gradus erat omnium patriarcharum, conſediſſe. Poſtquam vero ſubiecti ſunt ſedi Conſtantinopolitanæ, quod Concilio Chalcedonenſi factum, de tertio illo ac ſummo gradu in ſecundum deciderunt, & nomen patriarchæ ſimul cum re ac iure amiſerunt. ſic de patriarchis, quod antea erant, facti ſunt metropolitæ. inde Euagrius in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſcribit Epheſinum epiſcopum, τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον in Concilio Chalcedonenſi amiſiſſe, quo vt patriarchæ Conſtantinopolitano ſubderetur, decretum eſt, & ab eo ordinaretur, vna cum reliquis duobus patriarchis Ponticæ & Thracicæ diœceſeos.

Nunc venio ad illam rationem, quæ tibi vnica eſt,

duo ſtatuenti patriarcharum gradus, vt hac quoque profligata, nihil amplius habeat imperitia tua quod mutire poſſit. Primarum quinque ſedium patriarchæ honore & dignitate ceteris patriarchis præcellebant. ergo quartum epiſcoporum gradum conſtituebant, illi tertium; hæc tua ratio eſt. iuxta hanc eamdem rationem licet etiam tres metropolitanorum gradus facias, vt duo patriarcharum. nam inter metropolitanos tres diuerſi erant dignitatis & honoris gradus. alij ὑπέρτιμοι τῶν ὑπερτίμων dicebantur, alij ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι, alij ὑπέρτιμοι tantum. Igitur cum duo gradus facias patriarcharum, cur vnum facis metropolitarum? At ſi patriarcharum duo diuerſos ordines ideo tibi placet fuiſſe, quod alios alij honore anteirent, & dignitate potiores eſſent, cur hoc idem tibi non placet in metropolitis, quum certum ſit alios aliis longe fuiſſe honoratiores ac maiori præditos dignitate? In patriarchis hæc differentia cur obtinebit, inter metropolitanos non obſeruabitur? ſed age miſſos faciamus metropolitas: quid de illis ipſis quinque patriarchis dices, quos in quarto gradu conſtituis, quos vnius eiuſdem ordinis eſſe ſtatuis, an illi omnes paris dignitatis & auctoritatis fuere? auide expecto quid heic reſponſurus ſis. ſed quid aliud reſpondeas quam non fuiſſe? Tantum quippe fuit diſcriminis, & tam immanis differentia primam ſedem inter & quattuor reliquas, vt primæ ſedis epiſcopus, hoc eſt Pontifex Romanus patriarcha patriarcharum diceretur, & omnes a primo ſequen-

tes ſibi ſubiectos habuerit patriarchas. Profecto longe maius diſcrimen illud erat poteſtatis & auctoritatis, quo primus patriarcha, hoc eſt Papa, diſtinguebatur a ceteris quattuor patriarchis, quam quo quattuor illi primarij patriarchæ differebant ac diſtabant ab reliquis patriarchis vel exarchis quos tu in diuerſo ac tertio ordine collocas. Etenim exarchi illi diœceſeon, quo tempore patriarchæ dicebantur ac erant, nulli ex ſupraſcriptis quattuor patriarchis parebant: Papa vero Romanus quem primum patriarcham facis, & eiuſdem cum aliis quattuor patriarchis ordinis, haud minus illos quattuor primarum ſedium patriarchas obedientes, ac ſubditos ſibi, quatenus vniuerſæ Eccleſiæ ſummo rectori debere eſſe ſemper intendit, quam quoſlibet cunque diœceſeon exarchos & metropolitanos. Et ſane tanta erat hæc differentia inter Papam & ceteros patriarchas, & ordinis diſtinctio, vt Papa vulgo compararetur Auguſto, ceteri patriarchæ patriciis. Si patricij vnius eiuſdemque gradus cum Auguſtis fuere, licet etiam Papam & patriarchas in eodem gradu componas. Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſt. cap. XXXI. *Comparetur Papa Romanus Auguſtis & Cæſaribus: patriarchæ vero patriciis qui primi poſt Cæſares in imperiis fuiſſe dicuntur.* Sed tu videris qui Papam in ordinem cogis, nec extra communia ponendum cenſes, vt ipſe poni vult ac debet. Quid? in ceteris quattuor patriarchis licet in eodem gradu poſitis, an nulla fuit dignitatis & honoris diſtinctio? pareſne omnino fuere? ea-

demne omnes prærogatiua ac auctoritate pollebant? eadem iura ac priuilegia habuere? licet egregie impudens sis, hoc tamen nullus dixeris. Primum patriarcha Constantinopolitanus, qui primus inter eos fuit, tam longo interuallo sequentes post se videbat, quam ipse longe aberat a primo. Nam iisdem priuilegiis, quibus Romanæ vrbis episcopus, extollebatur. Deinde tres diœceses integras sibi subiectas habebat. reliqui tres singularum tantummodo diœceseon exarchi siue rectores erant. Postremo πατριάρχης ipse οἰκουμενικὸς vocabatur, alij tres, suarum duntaxat diœceseon patriarchæ. In summa tantum alios omnes dignitate & auctoritate superiaciebat, quantum ipse superabatur a primo. Quare si totidem diuersos episcoporum ordines statuendos censes, quot erant honoris ac dignitatis differentes gradus inter metropolitanos & patriarchas, profecto, non quattuor, sed vt minimum octo gradus episcoporum constituas oportet. Ita enim quattuor ordines patriarcharum fuerint, & tres metropolitanorum: quibus si addas singularum ciuitatium episcopos, iam octo gradus fiant. an totidem concedes fuisse? totidem concedas necesse est, aut non plures quam tres fuisse. nec sane fuerunt plures. In censum patriarcharum, vt nulli nisi qui ita vocati fuere referendi sunt, ita in eodem omnes gradu patriarchæ censendi, quicunque hoc nomen habuere, quamuis differentes dignitate. nec secus de metropolitanis, quos omnes hoc nomine gradum vnum constituisse constat, licet om-

nium par dignitas non fuerit. Nec ſum autem adeo rerum expers, vt Cæſarienſis aut Epheſini epiſcopi, qui exarchi diœceſeon ſuarum fuere, parem vnquam cum Antiocheno vel cum Alexandrino in Eccleſia auctoritatem cenſeam fuiſſe. ſed adeone tu rudis, ac ſenſu communi vacuus, vt quum illi Cæſarienſis & Epheſinus epiſcopi, ſuarum etiam diœceſeon patriarchæ fuerint, & τὸ πατριαρχικὸν ſimul δίκαιον cum nomine habuerint, in numerum patriarcharum neges reponendos? an quia in œcumenicis Conciliis primo loco ſemper quinque primarij patriarchæ ſubſcribebant, deinde Epheſinus epiſcopus & reliquarum diœceſeon patriarchæ, ideo non iſti patriarchæ, quia poſt patriarchas ſubſcriberent? Hoc tu ſcribere non dubitaſti. o fatuum & inficetum caput! ſic etiam Alexandrinum & Antiochenum antiſtites licet patriarchas neges fuiſſe, quia & illi in Conciliis poſt Romanæ & Conſtantinopolitanæ ſedis patriarchas ſubſcribere conſueverant. quid ineptius a quamlibet inepto fingi vel dici potuit? primum in primis illis Conciliis œcumenicis nulla diſtinctio patriarcharum fuit & metropolitarum; omnes patriarchæ, metropolitæ etiam erant ſuarum diœceſeon. vnde & continenter omnes ac continuatim, alius poſt alium ſubſcribebant, primo loco primi ſcilicet metropolitani, ac deinceps ſequentes, pro dignitate & ordine metropoleon quibus præſidebant. Deinde etiam ſi ſeorſim patriarcharum ſubſcriptiones, ſeorſim metropolitarum poni conſueuiſſent, exarchi illi

tantum ſcire poſſis, eos honoratiores videri quorum priores leguntur ſubſcriptiones. ineptum igitur illud ac centies plus quam ineptum, quod Cæſarienſem, & Epheſinum, & Heraclienſem epiſcopos vel in illo tempore quo patriarchæ dicebantur, diuerſi ordinis fuiſſe a prioribus potioribuſque illis quattuor patriarchis inde adſtruere conatus es, quod poſt eos ſubſcriberent in Conciliis. Hac enim ratione tot epiſcoporum gradus ſtatuere deberes, quot epiſcoporum ſubſcriptiones in Conciliis habentur. ſinguli enim epiſcopi, ſingulum, vt cum Varrone loquar, conſtituerent gradum.

Sed locus hic poſcere videtur, vt aperiam paucis, vnde tres primo primarij patriarchæ ſiue tres præcipuæ ſedes, poſtea quinque factæ ſunt, & cur in Oriente quattuor, in Occidente vnus tantum patriarcha fuit, ex illo genere eximio, atque egregiorum grege patriarcharum. Niceni Concilij temporibus, ne repetam altiora, vniuerſa Dei Eccleſia per ſolos metropolitanos regebatur. vnicum hoc nomen erat, ac poteſtas ad epiſcopos cum ordinandos, tum ſi quid delinquerent coercendos ordinata. Inter illos metropolitanos principem facile locum ſemper obtinuit epiſcopus Romanus, propter dignitatem vrbis cui præerat, quæ caput & metropolis erat totius orbis, & propter meritum Beati Petri, cui ſucceſſerat, Apoſtolorum principis. inde ille primas & ἔξαρχος per totum orbem metropolitanorum. Ceterum prouincia quam metropolitano iure regeret, cuius epiſcopos immediate

ordinaret, nulla alia fuit quam Romana. Huius prouinciæ terminis Romana Eccleſia circumſcripta erat, & hoc nomine a Rauennenſi, a Capuana, & a reliquis Italiæ metropolitanis Eccleſiis diſtincta. Poſt Romanæ Eccleſiæ epiſcopum, ſecundas ferebat Alexandrinus epiſcopus, & tertias Antiochenus: propter vrbium quoque dignitatem, quibus illi præſidebant, ceteris metropolitanis prælati. Nam poſt Romam, inter vrbes orbis Romani ſine controuerſia principatum obtinuere Alexandria & Antiochia, prima illa totius Ægypti, totius Orientis iſta. ſub Orientis nomine tum plures prouinciæ comprehendebantur, quarum omnium metropolis fuit Antiochia. Alexandria quoque non vnius tantum Ægypti caput erat, ſed & Thebæorum & Λιβύων τῆς περὶ Αἴγυπτον. Hinc igitur Alexandrinus epiſcopus, non vnius tantum prouinciæ, nec Antiochenus vnius, ſed plurium ſimul prouinciarum vterque metropolitæ fuere. ſic & propter amplitudinem diœceſeon quas regebant, & dignitatem vrbium quibus præſidebant, poſt Romanum antiſtitem facile omnium primi præcipuique metropolitanorum, hi duo ſcilicet erant. nullus ad hoc exemplum in Occidente fuit, nec in Oriente metropolita. Ceteri omnes, ſingulis prouinciis ſinguli præerant. Sed qui ſolidam integramque diœceſim, hoc eſt multas prouincias ſub ſe haberet, & pro metropolita gubernaret, præter hos duo tunc neminem extitiſſe certum eſt. inde illæ tres eximiæ, & dignitate præcellentes ſedes, metropolitanæ,

Romana, Alexandrina, & Antiochena. Romana, quod omnium toto orbe prima esset; Alexandrina & Antiochena, quod amplissimis diœcesibus præessent. idem quippe iuris ac potestatis habuit Alexandrinus episcopus in Ægyptiaca diœcesi, & Antiochenus in Orientali, quod Romanus in sua prouincia Romana, quodque ceteri metropolitæ in suis singuli prouinciis. ita enim illi suarum vterque diœceseon metropolitæ germani fuere, vt Romanus & reliqui suarum quisque prouinciarum. Id ex sexto canone Niceno satis constat, & ex iis quæ ad eius expositionem attulimus capite huiusce dissertationis primo. Hi duo igitur soli metropolitæ, quod non singularum prouinciarum, vt reliqui, rectores essent, sed solidarum diœceseon, inde etiam πατριάρχαι dicti sunt, hoc est τῆς πατριᾶς ἔξαρχοι. falluntur enim & Græce imperiti sunt, qui putant πατριάρχην dici τὸν πατέρων ἄρχοντα. πατράρχης vel πατεράρχης hoc modo dicendus esset, non πατριάρχης. sed πατριάρχης ἀπὸ τῆς πατριᾶς, vt φρατριάρχης ἀπὸ τῆς φρατρίας, ὁ τῆς φρατρίας ἄρχων. Πατριὰ autem Græce idem quod πάτρη: vt φρατρία idem quod φράτρη vel φρήτρη. inde Latinum *patria*, quod ex antiquo Græco πατρία factum est, atque idem omnino est quod πάτρη vel πατρίς. nam πατρὶς adiectiuum, vt πατρίδα γαῖαν apud Poetas, eodem modo quo Ἀσίδα γαῖαν. vt Ἀσὶς γῆ est Ἀσία, sic πατρὶς γῆ est πατρία. Hoc adiectiuum postea, transiit in substantiuum, & absolute πατρὶς ἀντὶ τῆς πατρίας vsurpari cœpit. sic & Ἀσίδα pro Asia Græci Latinique

poetæ dixerunt, & *Delphida* pro Delphorum regione: & *Arcada* pro Arcadia: *Nomada* pro Numidia. & similia sexcenta. πατρία igitur, & πάτρη & πατρὶς Græcis idem est. Nam & πάτρην Grammatici exponunt φυλὴν, vt Hesychius. πατρὶς quoque ab eodem ita exponitur. sed & πατρίας omnes passim φυλὰς interpretantur. hinc πατριάρχαι apud Hebræos olim οἱ τῶν πατριῶν hoc est τῶν φυλῶν ἄρχοντες. sed πατρία quoque, vt & πατρὶς, vniuersam gentem aliquam siue regionem, ac plurium sub vno capite ac rectore prouinciarum complexionem significat apud Græcos. Hesychius πάτρην, ἐπαρχίαν interpretatur. Suidas, πατρίαν, χώραν καὶ τὴν ἐπαρχίαν. Epiphanius vocem πατρὶς pro qualibet regione vsurpat, vt pag. LI. ἐπὶ τὰς ἰδίας πατρίδας τὴν πορείαν ποιεῖσθαι. sic πατρία pro diœcesi quæ plures ἐπαρχίας complectitur, proprie vsurpata. hinc πατριάρχης ὁ τῆς πατρίας ἔξαρχος, ὁ τῆς διοικήσεως ἄρχων. Nam διοίκησις, κλίμα, πατρία, ἡ ἐπαρχία omnino eadem. Πατριάρχαι ἑκάστου κλίματος, & πατριάρχαι ἑκάστης διοικήσεως apud Iustinianum in Nouellis iidem sunt. inde igitur illi duo soli metropolitani, qui diœceses integras hoc est πατρίας regebant, πατριάρχαι sunt appellati. Romanus enim episcopus quia vnius tantum prouinciæ metropolita fuit, patriarcha nunquam dictus est. At omnium metropolitanorum, inquies, princeps erat, & vniuersæ caput Ecclesiæ? Hoc vero plus est quam πατριάρχην esse. hinc Nicenorum canonum Arabicus interpres Alexandrinum & Antiochenum episcopos, quum patriarchas vocet, Roma-

num Petri ſucceſſorem tantum appellat. Verba eius hæc ſunt, digna quæ ab omnibus conſiderentur: *Conſtitutum eſt*, inquit, *vt epiſcopus Ægypti, id eſt patriarcha Alexandrinus, præſideat & habeat poteſtatem totius Ægypti, quia ſic conuenit, & quia ſimiliter epiſcopus Romæ id eſt ſucceſſor Petri Apoſtoli, poteſtatem habet omnium ciuitatum, ac locorum quæ ſunt circum eam: ac ſimiliter epiſcopus Antiochiæ hoc eſt patriarcha, poteſtatem habeat prouinciæ illius totius: & in aliis idem locis ſeruari debet quod in præterito conſtitutum eſt.* vides Alexandrinum & Antiochenum patriarchas vocari, Romanum vero ſucceſſorem Petri Apoſtoli. intelligis, vt puto, quid velit illud, *ſucceſſor Petri Apoſtoli:* ſane intellexit Arabs ille quanto plus ſit ſucceſſorem Petri eſſe, quam patriarcham. hoc enim nomine, quem ſic vocauit, ſuper omnes eum patriarchas poſuit. Harum trium metropolitanarum ſedium maxima tunc erat in toto orbe dignitas, & auctoritas; Romanæ in Occidente, Alexandrinæ & Antiochenæ in Oriente. De his tribus Hieronymus ad Vigilantium: *quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti & ſedis Apoſtolicæ?* Poſt has tres, ceteris metropolitanis antiſtabat Ælienſis ſiue Hieroſolymitanus epiſcopus, non re ſed titulo, non poteſtate ſed honore metropolitanus. ſuberat enim Cæſarienſi epiſcopo qui verus erat illius prouinciæ metropolita. Hic τὸ κῦρος καὶ τὸ ἀξίωμα μητροπολιτικὸν habebat, honorem ille tantum. Conſtantinopolitana poſtea ſedes inter primam, & ſecundam inſerta, & in πατριαρχίαν erecta, tribuſque ſubiectis integris illi

diœcesibus, post primam sic secunda facta est, ac ceteris omnibus prælata. circiter eadem ferme tempora tres quoque prouinciæ Hierosolymitano throno sunt attributæ, & sic non metropolita tantum vnius prouinciæ, sed patriarcha multarum factus est. inde factum, vt quattuor primariæ sedes in Oriente essent, cum vnica semper fuerit in Occidente, nempe Romana, quæ non solius Occidentis prima fuit, sed & totius orbis. Metropolitani, vt iam diximus, ab initio omnes fuere, aut diœceseon, aut prouinciarum. Duobus exceptis, Alexandrino & Antiocheno, qui solidarum diœceseon ambo metropolitani fuerunt, ceteri singulis tantum prouinciis præerant, quas potestate metropolitana regebant. ideo illi præcipuo in honore semper inter metropolitanos habiti, atque inde patriarchæ dicti, quod τῶν πατριῶν hoc est τῶν διοικήσεων, non singularum prouinciarum essent ἔξαρχοι. Ad eorum tamen exemplum metropolitani illi qui primam sedem in vnaquaque diœcesi tenebant, qui primam nimirum prouinciam cuiusque diœceseos regebant, exarchi etiam diœceseon, & patriarchæ sunt appellati, licet ipsi suarum tãtum essent rectores ac metropolitæ prouinciarum, nihilque iuris in reliquos diœceseos metropolitas haberent. quia primi erant totius diœceseos metropolitani, inde ἔξαρχοι τῆς ἐκείνης διοικήσεως dicebantur, & patriarchæ. Quare in omnibus diœcesibus vbi prima fuit prouincia, ibi etiam prima sedes diœceseos, ibi etiam diœceseos primas & exarchus, qui & patriarcha diœce-

ſeos dictus eſt. tales in Oriente Epheſinus Aſianæ, Cæſarienſis Ponticæ, Heraclienſis Thraciçæ diœceſeon exarchi, qui & patriarchæ appellabantur. ſed hi patriarcharum nomine ſimul & gradu exciderunt, & in metropolitanorum ordinem redacti ſunt, ſtatim atque Conſtantinopolitanæ ſedi ſubiecti fuere. quod Chalcedonenſis Concilij decretis, ex ipſorum conſenſu qui ſubiiciebantur, conſtitutum eſt. ab illo tempore πατριαρχικὸν δίκαιον quod antea habebant, vt ſcribit Euagrius, nullum habuere. Ad hunc modum in Oriente tribus illis patriarchis, εἰς μίαν πατριαρχίαν compulſis, quattuor patriarchæ ſoli per Orientem relicti, qui & ſummi præcipuique. In Occidente qui ab initio patriarchæ nomen ſibi vindicarunt, ſemper illud retinuerunt. nulli quippe vnquam ſpeciali patriarchæ ſubiecti ſunt. nec enim vllus per Occidentem patriarcha vſquam fuit, ex eo genere, cuius in Oriente generis primum duo, deinde quattuor facti ſunt. ſoli primæ ſedis per ſingulas diœceſes metropolitani, hoc nomen ſibi adrogarũt, vt primates ſcilicet diœceſeon, & patriarchæ dicerentur. Primæ Lugdunenſis per Gallias metropolitanus, quattuor Lugdunenſium primas erat, & patriarcha vocabatur. Primæ Aquitanicæ, primas quoque & patriarcha, atque ita de ceteris. In Africana diœceſi, Africæ proconſularis, quæ prima fuit ſupraſcriptæ diœceſeos prouincia, epiſcopus Carthaginenſis, reuera etiam patriarcha primaſque diœceſeos fuit, hoc eſt primus omnium Africæ metropolitanorũ. Italia diœceſis erat: quis

in illa diœcesi primus metropolitanus? is omnino etiam primas siue patriarcha. De Romano dubium non esset quin ille fuerit totius Italiæ primus præcipuusque metropolita. verum ille non Italiæ tantum primus fuit, sed totius orbis. Deinde patriarcha nunquam est appellatus: nunquam hoc nomine ipse se proscripsit. præterea Romana prouincia, cuius metropolitanus erat, locum inter Italiæ ciuiles prouincias, in quas Italiæ diœcesis distributa est, nusquam locum aut numerum habuit. Post Romanum igitur, qui extra ordinem est, quærendum nobis quis primus fuerit Italiæ metropolita. is sine dubio primas fuerit & patriarcha. Inter Italiæ prouincias quæ prima fuit, ea etiam dubio procul patriarcham habuit. quænam illa sit videamus. apud Notitiam vtriusque imperij, in descriptione prouinciarum Italiæ, primo loco semper posita legitur, Istria & Venetia. *Prouinciæ Italiæ decem & septem. Venetia, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picenum annonarium, Tuscia & Vmbria, Picenum suburbicarium, Campania, Sicilia, Apulia & Calabria, Lucania, & Bruttij, Alpes Cottiæ, Rhætia prima, Rhætia secunda, Samnium, Valeria.* & alio loco vbi consulares Italiæ recenset, primum numerat Venetiæ & Istriæ Consularem. *Consulares per Italias octo: Venetiæ & Istriæ, Æmiliæ, Liguriæ, Flaminiæ & Piceni annonarij, Tusciæ & Vmbriæ, Piceni suburbicarij, Campaniæ, Siciliæ.* nihil igitur dubitationis est quin Venetia cum Istria prima fuerit Italicæ diœceseos prouincia. Istriæ & Venetiæ metropolis Aquileia. hinc Aquileiensis episcopus,

epiſcopus, patriarcha ſemper nuncupatus eſt. Longe vero errat Baronius & reliqui, qui per ſchiſma illum, hunc ſibi titulum vſurpaſſe contendunt. Ante ſchiſma ita vocabatur. nec enim memoria extat quo primum tempore ſic vocari cœperit. hoc tantum ſcitur, ita ſemper vocatum fuiſſe. Paulus Diaconus de geſtis Langobardorum lib. II. cap. X. patriarchæ Aquileienſis meminit anno Chriſti DC. XXIII. *hoc etiam tempore, Romanam Eccleſiam vir ſanctiſſimus Benedictus Papa regebat: Aquileienſi quoque ciuitati, eiuſque populis beatus Paulus patriarcha præerat.* In ſchiſmate porro hoc nomen primum ſibi vindicaſſe epiſcopum Aquileienſem veriſimile non eſt. Nam & ſchiſmaticus diu fuit epiſcopus Rauennenſis, adeo vt αὐτοκεφαλίαν ſibi arrogauerit, nunquam tamen patriarchæ titulum ſumpſit. ſed quod prima Italiæ prouincia fuit Venetia, inde tuto poſſumus affirmare, eius prouinciæ metropolitam, dictum eſſe patriarcham: rurſum vero quod patriarcha dictus eſt metropoleos Venetiarum epiſcopus, ex eo audacter pronunciare licet, Venetiam cum Iſtria primam Italiæ prouinciam fuiſſe. Perpetuum ſiquidem & conſtanter hæc in Eccleſia conſuetudo per Orientem Occidentemque tenuit, vt primi ſingularum diœceſeon metropolitani, hoc eſt qui primam in diœceſi prouinciam regebant, illius diœceſeos primates ſiue patriarchæ dicerentur. Primum autem ſiue primatem Italiæ metropolitanorum fuiſſe Aquileienſem epiſcopum, hinc etiam conſtat, quod in Romanis &

Italicis Conciliis post Romanum Pontificem primus, & ante ceteros Italiæ metropolitanos subscribere soleret. In Romano Concilio sub Iulio, metropolitæ Italiæ hoc ordine leguntur subscripsisse: *Benedictus Aquileiensis: Rufus Carthaginensis: Agapitus Rauennas: Iulius Mediolanensis.* Hic porro patriarchatus semper in Venetiarũ prouincia mansit, licet sedes mutauerit. Aquileia enim capta ac direpta, Forumjulij Venetiarum cœpit esse metropolis, quæ & noua Aquileia dicta est. vetus Notitia metropoleon Italiæ quam superiore libro cap. IV. retulimus: *in prouincia Venetiensi & Histriensi, ciuitas Aquileiensium metropolis. ipsa est Forumjulij.* cum igitur postremis temporibus Aquileiensis patriarchæ mentionem fieri videmus, accipiendum de Forojuliensi. Leo tamen nonus Epist. II. ad episcopos Venetiæ & Istriæ, Grados nouæ Aquileiæ nomine donat, & Gradensi episcopo Venetiam & Istriam sicut suo primati & patriarchæ subiectam esse debere sancit. Foroiuliensem autem episcopum patriarchæ titulo minime impertit, iubetque eum Longobardorum tantum finibus esse contentum: *cuius* (episcopi Gradensis) *tandem relictis priuilegiis a sancta Romana & Apostolica sede sibi concessis, iudicio totius sanctæ Synodi hoc definitum fuit, vt noua Aquileia totius Venetiæ & Istriæ caput perpetuo haberetur.* vide reliqua. Ita ille de patriarcha Venetiæ & Histriæ pro Gradensi aduersus Forojuliensem antistitem pronunciauit, quod ter vocatus ad Concilium nec venisset, nec se excusasset, quum

Gradensis contra quinquies Romanæ Synodo, etiam non vocatus interfuisset. Ceterum hoc Leonis scitum, quod ab eo tunc sancitum est, non obtinuit post eum. semper enim Foroiuliensis antistes, Aquileiensis patriarchæ titulo ab insequentibus Papis donatus est, & in Conciliis cum aliis etiam maiorum gentium patriarchis sedit, nec quisquam vnquam Grados nouæ Aquileiæ nomine appellauit, quod Leo voluerat. ita enim vocabatur Forumjulij. In Concilio Lugdunensi sub Innocentio quarto Aquileiensis inter patriarchas Græcos sessum iuit, ex consensu ac voluntate Papæ qui Concilio præsidebat: *& in vigilia beati Petri Apostoli Concilio conuocato in maiori Ecclesia Dominus Papa Missa celebrata locum eminentiorem ascendit, imperator vero Constantinopolitanus sedit ad dexteram, & quidam alij principes laici sederunt ad sinistram,*&c. *inferius vero sic prælati sederunt: ex opposito tres patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Constantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus & Aquileiensis, de quo tertio scandalum exortum est, ex quo vt alij patriarchæ dicebant, sedere non debebat iuxta eos, cum non esset de quattuor patriarchis, & destructa est sedes eius, & tandem vt vitaretur scandalum, de voluntate domini Papæ, vt creditur, est refecta.* vtvt sit inter patriarchas vides eum sedem habuisse, etiam volente Papa. & sane tam ille quam Gradensis semper patriarchæ nuncupati, & pro veris ac legitimis patriarchis habiti sunt a summis Pontificibus. In Concilio Viennensi quod sub Clemente V. celebratum est, Aquileiensem & Gradensem an-

tiſtites in numerum ac cenſum patriarcharum Papa retulit, iiſque vt patriarchis ſcripſit:

In eodem modo patriarchæ Conſtantinopolitano & eius ſuffraganeis.

In eodem modo patriarchæ Gradenſi & eius ſuffraganeis.

In eodem modo patriarchæ Aquileienſi & eius ſuffraganeis.

In eodem modo patriarchæ Hieroſolymitano & eius ſuffraganeis.

In Concilio Florentino Gradenſis patriarcha ſubſcripſit poſt Hieroſolymitanum:

Ego Baſilius patriarcha Hieroſolymitanus me ſubſcripſi.

Ego Marcus patriarcha Gradenſis me ſubſcripſi.

Cum olim vnus eſſet in Italiæ diœceſi patriarcha Aquileienſis, qui primam ſedem totius diœceſeos, vt primæ prouinciæ præſul, habebat, poſtea duo extitere. quod ſub Phoca imperatore cœpiſſe ex Paulo Diacono ſciri poteſt cap. XXXIV. lib. IV. *de geſtis Langobardorum.* Nam cum vetus Aquileia tunc teneretur a Langobardis, Romani epiſcopi Candidiano defuncto apud Grados patriarcham ordinarunt: ex eo tempore duo cœperunt eſſe patriarchæ, Aquileienſis & Gradenſis. Huiuſmodi autem patriarchæ qualis Aquileienſis in Italia, & ceteri in reliquis diœceſibus, qui primas ſedes obtinebant, vt inter omnes diœceſeos metropolitas dignitate excellebant, ita nihil quicquam in eos iuris, nihil poteſtatis habuere, nec extra ſuam prouinciam, epiſcopos ordinandi facultatem. tales in Galliis primates diœceſeon, tales olim in Oriente, priuſquam ſedi

Constantinopolitanæ subiicerentur, Asianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceseon exarchi, qui & patriarchæ dicti sunt. Honore quidem ac titulo totius erant diœceseos exarchi, iure vero ac potestate solius prouinciæ cui præsidebant metropolitæ. De his loquitur Iustinianus leg. xxix. Cod. *de episc. aud.* cum dicit ex patriarchis quosdam earum quibus præsunt, & in quibus constituti sunt prouinciarum metropolitas esse, alios vero per totam diœcesim ius ordinationum habere: ἐπεὶ δὲ τινὲς, inquit, τῶν θεοφιλεστάτων πατριαρχῶν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις ἐν αἷς εἰσὶ καὶ μητροπολιτικὸν ἔχουσι σχῆμα, τινὲς δὲ καθ᾽ ὅλην τὴν διοίκησιν τὰς χειροτονίας ποιοῦνται τῶν ὑπ᾽ αὐτοὺς θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, εἴτε μητροπολιτῶν, εἴτε ἄλλων, ἐπ᾽ αὐτοῖς ἐκεῖνα θεσπίζομεν ἅπερ ἐπὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν ἤδη διετάξαμεν. αὐτὸς γὰρ ἂν μητροπολίτης ἀξίως καλοῖτο ὁ τὴν ἐξουσίαν τῶν ὑπὸ τὴν μητρόπολιν ἐπισκόπων ἐκ τῶν κανόνων ἔχων. Ex quattuor primariis Orientis patriarchis Alexandrinus, & Antiochenus, per vniuersam vterque sibi subiectam diœcesim, omnium tam episcoporum quam metropolitarum ordinationes sub sua habuere potestate. ad eorum quoque instar, & exemplum Hierosolymitanus per tres Palæstinas sibi attributas. Patriarcha vero Constantinopolitanus trium sibi subditarum diœceseon solos ordinabat metropolitanos. qui sunt igitur illi patriarchæ quos dicit Iustinianus prouinciarum quibus præsunt, & in quibus degunt, fuisse metropolitas, & episcoporum, τῶν ὑπὸ ἰδίαν μητρόπολιν ὄντων ordinationem habuisse? quinam sunt,

inquam, illi patriarchæ, prouinciarum tantum ſuarum metropolitæ, quos iis opponit, qui totius erant diœceſeos veri metropolitani? an non illi ipſi ſunt quos diximus diœceſeon primates, qui primam quidem ſedem diœceſis habuerunt, & patriarchæ diœceſeos dicti ſunt, reuera autem prouinciæ tantum illius in qua erant, cui præerant, metropolitæ fuere?

Non iam quæro quid faciemus Iuſtiniano; recte ille intelligendus erat, & recte eum intelleximus. Ceterum quid te fiet prorſus ſcire cupio. tam enim perditus es, vt quid rectum ſit, nec docere poſſis nec doceri. Vbicunque Iuſtinianus πατριαρχῶν ἑκάστης διοικήσεως in Nouellis mentionem facit, ſolos quinque ab illo patriarchas deſignari & intelligi perſuadere tibi vis. Ceterum vel in vno Iuſtinianæ primæ archiepiſcopo, vt alios omittam de quibus iam dictum, tota hæret hæc res. Iuſtinianus vbique tres tantummodo gradus epiſcoporum memorat ac numerat, πατριάρχας διοικήσεως, μητροπολίτας, ἐπισκόπους. hoc ipſe fateris & agnoſcis. Exarchi diœceſeon, te ipſo concedente, nulli amplius erant. quo igitur in gradu pones archiepiſcopum primæ Iuſtinianæ? an inter metropolitanos recenſebis? atqui ille metropolitanis multis præfuit: diœceſim, hoc eſt multas prouincias rexit: θρόνον quoque habuit, vt cōſtat ex Nouella xi. plus omnino fuit quam metropolitanus, vt eadem Nouella diſertis verbis docet. Photius in Nomocanone tit. i. cap. v. καὶ ἡ η̄ διάταξις τοῦ πρώτου τίτλου τῶν νεαρῶν, καὶ ἡ γ̄ τοῦ β̄ τίτλου ποιοῦσι τὸν

πρίμας Ἰουστινιανῆς ἀρχιεπίσκοπον, καὶ ὅτι μείζων ἐστὶ μητροπολίτου, καὶ ὅτι ὑπὸ τῆς συνόδου αὐτοῦ χειροτονεῖται, καὶ ὅτι πολλὰς ἐπαρχίας ἔχει. si per Nouellam illam XI. metropolitanus non est, quæ sancit, vt non solum metropolitanus, sed etiam archiepiscopus fiat, per te vero patriarcha non est, iam tibi gradus aliquis denuo fabricandus inter patriarchas & metropolitanos medius, in quo ille Iustinianæ primæ archiepiscopus tuo beneficio possit hærere. nullum enim gradum habet Iustinianus qui illi archiepiscopo congruere, aut conuenire queat. tres illi quippe tantum episcoporum ordines quum agnoscat, nullus ex illis tribus huic archiepiscopo satis aptus & conueniens videri potest.

Nunc tu me increpas & incusas quod non examinauerim, qui factum sit vt quum quattuor olim gradus episcoporum essent, tres tantum fere a Iustiniano, Græcisque post illum scriptoribus numerari soleant, patriarchæ metropolitani & episcopi. o suauem ludimagistrum! o magistrum suauiludium! quum in Censura simpliciter & absolute scripsisses, quattuor in Ecclesia gradus esse episcoporum, nulla temporis allegata distinctione, quo tot fuerint, tot non fuerint; ostensum tibi est ex Iustiniano aliisque quam multis auctoribus tres tantummodo semper numeratos fuisse. Hoc quum verum videres esse, nec quidquam contra posses hiscere, fassus es rem quidem ita se habuisse post Iustinianum, ante Iustinianum aliter obtinuisse, sed huius rei causam debuisse a me examinari. o festiuum caput! egone

examinarem cur fuerit, quod in rerum natura nuſquam fuit? demus hoc aliquando fuiſſe. non id tunc agebatur. Hoc ibi non concedebas quod heic concedis, poſt Iuſtinianum tres tantum gradus computari cœpiſſe. Iam tempus eſt igitur, vt hoc diſquiramus. ſed examine id tuo dignum eſt, non meo. Age ergo, domine magiſter, nunc doce quod nos condiſcere neceſſe eſt, qui factum ſit vt Iuſtinianus aliique poſt illum auctores, tres tantum gradus numerent, quum antea quattuor numerati fuerint. obſeruaſti exarchorum ordinem qui quartum gradum conſtituebant ante Iuſtinianum, dum adſtruitur & amplificatur Conſtantinopolitanæ ſedis auctoritas, ſuis ſpoliatum priuilegiis propemodum exoleuiſſe: ex eo tempore tres tantum ab auctoribus recenſitos eſſe. Rara, ita me Deus amet, obſeruatio, ac tanto magiſtro, doctore, præceptore, & rectore digna. hæc numquam mihi in mentem veniſſet. Verum age, o doctor noſter, quoniam in meam gratiam tam digna ſcitu te non pigitum eſt expromere, hoc etiam nos docere ne graueris, an præter illos tres exarchos qui ſedi Conſtantinopolitanæ ſubiecti ſunt, & per hoc, antiqua ſua priuilegia, gradumque amiſerunt, nulli alij fuerint in Occidente ſub Iuſtiniano diœceſeon exarchi ſiue primates? an cum tribus illis exarchis totum nomen exarchorum extinctum, graduſque ille prorſus & ordo abolitus eſt? In Africa, Hiſpania, Illyrico, Gallia primates omnes diœceſeon quos Græcorum exarchis pares faciebas, & in eodem gradu conſtituebas,

tuebas, an & illi quoque ſub Iuſtiniano interierunt, & ordine ſuo moti ſunt? ſi adhuc Iuſtiniani temporibus fuerunt, cur Iuſtinianus his omiſſis tres tantum gradus vbique ponit & computat? ſi in rerum natura tunc non amplius erant, quid illis illo in tempore factum eſt, aut quo receſſerunt? an non Iuſtiniano imperante Papa Romanus adhuc erat vrbis Romæ epiſcopus, prouinciæ Romanæ metropolitanus, Italiæ primas ſiue exarchus, & Occidentis patriarcha? an non ille, vt tua fert ſententia, ideo primas Italiæ fuit, quia nullus in Italia primas? ideo patriarcha Occidentis, quia in Occidente nullus patriarcha, cum multi eſſent diœceſeon primates? Atqui aut nullos amplius in Occidente primates diœceſeon ſub Iuſtiniano fuiſſe oportet, aut quattuor etiam tunc gradus epiſcoporum fuiſſe neceſſe eſt. ſi quattuor adhuc erant Iuſtiniani tempore gradus, cur ille tres vbique tantum agnoſcit? ſin quattuor illi gradus ad trium numerum iam tum redacti fuere, cur ipſe quattuor in Summo Pontifice numeras, atque his tot gradibus eum conſiderandum cenſes? ingenij ac ſollertiæ tibi tantum ſupereſſe confido, vt facile te ex hac lama extricatum iri ſperem, mulumque cum ſarcina ſua ſaluum inde extracturum. vt ille de genere Aruerno eſt, nullo negotio emerget. grandiores ibi naſcuntur, & fortiores. niſi Aruernas eſſet, in illa voragine hæreret.

Iam aliud eſt de quo te rogatum velim. ſcribis idcirco a Iuſtiniano & poſt Iuſtinianum tres gradus

ab auctoribus numerari, quum antea quattuor essent, quod exarchi qui gradum vnum faciebant, priuilegia sua amiserint, & gradu penitus exciderint, dum amplificatur Constantinopolitanæ sedis auctoritas, cui subiecti fuere. Nunc rogo te vt mihi dicas ac me doceas quo tempore, sub quo imperatore putes illos exarchos, dum sedi Constantinopolitanæ subiiciuntur, priuilegiis suis spoliatos & gradu motos fuisse? an sub Iustiniano id accidit, & ab ipso Iustiniano? quis hoc prodidit? quis auctor dixit? vnde hoc didicisti? Ergo ante Iustinianum id contigisse oportet. sed quomodo aut quando? Profecto aut alicuius Concilij decreto id factum apparet, aut alicuius imperatoris pragmatica. quis imperator ante Iustinianum hoc constituit? quæ Synodus decreuit? vt exarchi nempe Asianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceseon, priuilegia quæ ante habuerant, non haberent, & patriarchæ Constantinopolitano in posterum subiacerent? an alia fuit præter Chalcedonensem quæ id sanxerit? quid circumrodendum tibi minutatim porrigo, quod totum semel vorare debes? Synodus omnino fuit Chalcedonensis, quæ prædictos exarchos sedi Constantinopolitanæ in totum subiecit: quæ suis illos priuilegiis spoliauit: quæ in metropolitanorum ordinem, quum antea in patriarcharum gradu essent, eos redegit. Hoc ex gestis illius Synodi, hoc ex canonibus abunde probatur: hoc satis superque superiori capite confirmauimus. Euagrius Scholasticus lib. III. cap. VI. ὁ αὐτός φησι τὸν Τιμόθεον ἐξορ-

μήνυμα τῆς βασιλίδος τὴν Ἐφεσίων καταλαβεῖν, ἐνθρονίσαι τε τὸν Παῦλον ἀρχιερέα τῇ Ἐφεσίων, ὃς ἤδη κεχειροτόνητο μὲν ἀνὰ τὴν ἀρχαιοτέραν συνήθειαν ὑπὸ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων, ἐκπεπτώκει δὲ τοῦ θρόνου, ἀποδίδωσι δὲ τῇ Ἐφεσίων, καὶ τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον ὅπερ αὐτὴν ἀφεῖλεν ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος. Ergo in Chalcedonensi Synodo τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον amisit Ephesinus episcopus Asianæ diœceseos patriarcha, vt & reliqui duo Ponticæ, Thraciæque diœceseon exarchi. sed quodnam illud πατριαρχικὸν δίκαιον fuit? illud ipsum quod ibi memoratur apud Euagrium. quod ab episcopis nempe comprouincialibus ordinarentur, nullique patriarchæ subiecti essent. alia δίκαια πατριαρχικὰ non habuerunt exarchi illi qui πατριάρχαι διοικήσεων dicebantur. nec enim reliquos diœceseos metropolitanos ordinabant, nec quidquam iurisdictionis in eos sibi vindicabant, etiam priusquam subiicerentur sedi Constantinopolitanæ, & quum adhuc patriarchæ dicerentur. Hoc supra satis demonstratum est. Longe itaque ante Iustiniani imperium iam inde a Synodi Chalcedonensis tempore suprascripti tres exarchi Constantinopolitanæ sedis patriarchæ subiecti erant, ab eo ordinabantur, iudicabantur, & inter metropolitas numerabantur. immo vel ante Synodum ipsam Chalcedonensem, statim post Constantinopolitanam primam, hoc sibi iuris vsurpauisse constat regiæ vrbis archiepiscopum, auctoritate καὶ τῇ δυνάμει τῆς βασιλευούσης fretum, vt prædictarum trium diœceseon metropolitanos ordinaret, omnemque in eos iurisdictionem haberet.

inde igitur, non a Iustiniani temporibus, vt tres gradus numerarentur, cœpisse oportet. at si ad altiora ascendendo paulum progressus fueris, non quattuor, vt hariolaris, sed duo tantum gradus episcoporum in Ecclesia fere frequentatos inuenies, metropolitas nempe & episcopos. Nam patriarchæ si qui tunc appellati fuere, non aliter spectabantur quam vt metropolitæ diœceseon suarum, quum alij essent metropolitæ prouinciarum. Nicena sane prima Synodus Alexandrinum, & Antiochenum patriarchas in sexto canone, eodem prorsus pallio inuoluit quo ceteros omnes metropolitas, nec alia eos dignatione afficit. hoc tamen illi solo nomine digniores, quod diœceses integras non singulares prouincias regerent, vt ceteri metropolitani. quippe metropolitæ fuere diœceseon non prouinciarum. Quidquid sit, certum est nunquam plures tribus in Ecclesia gradus episcoporum præcipuos numeratos esse. Quod hunc numerum a Iustiniano, & post Iustinianum frequentari cœptum esse opinaris, vnde isthæc tibi in cerebrum conuolarit opinio, non possum diuinare, vt tu nec posses dicere. Theodoritus certe Cyrri episcopus qui Ephesino Concilio interfuit, qui Chalcedonensi quoque, & post Chalcedonensem scripsit συναγωγὴν κανόνων quæ nondum edita est, non plures numerat. Cum enim eam συναγωγὴν in quinquaginta titulos distribuerit, primus est de patriarchis, secundus de metropolitis, tertius de episcopis. Verba eius vis videre? inuidus non ero,

nec faciam inuitus vt ea heic possis legere.

Τίτλος πρῶτος.

Περὶ τῆς ὁρισθείσης τοῖς πατριάρχαις ἐκ τῶν κανόνων τιμῆς, καὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι τινὶ αὐτῶν ὑφαρπάζειν ἐπαρχίαν ἑτέρῳ προσήκουσαν ἐπὶ χειροτονίᾳ καὶ διοικήσει, ἀλλὰ καὶ τὰς ὑφαρπαγείσας ἤδη ἀδικηθεῖσιν ἀποδίδοσθαι.

Τίτλος δεύτερος.

Περὶ τῆς ὁρισθείσης τοῖς μητροπολίταις ἐκ τῶν κανόνων τιμῆς, καὶ τῶν ἐκ τοῦ βασιλικοῦ γράμματος μητροπολιτῶν γινομένων. καὶ περὶ μὴ δεῖν αὐτοὺς ἐνορίαν ὑφαρπάζειν ἑτέρῳ προσήκουσαν, μήτε μίαν ἐπαρχίαν εἰς δύο κατατέμνειν.

Τίτλος τρίτος.

Περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπίσκοπον ὑπὲρ διοίκησιν ἄκλητον παραγίνεσθαι πλὴν εἰ μὴ δι' ἐποψίαν κτήσεως αὐτῷ διαφερούσης, μήτε χειροτονεῖν ὑπερόρια.

Vbi sunt illi tui exarchi diœceseon? Horum sedes erat inter patriarchas & metropolitas. Cur eos omisit Theodoritus? cur titulum suum locumque hoc est secundum, non illis reddidit, hoc vtique modo concipiendum? περὶ τῆς ὁρισθείσης τοῖς ἐξάρχοις ἐκ τῶν κανόνων τιμῆς. ille Theodoritus qui Concilio interfuit, subscripsit, an potuit ignorare, qui fuerint exarchi diœceseon quorum mentio in duobus eiusdem Concilij canonibus nono & septimo decimo? an nesciuit exarchos diœceseon eos dici qui inter metropolitas & patriarchas constituti, gradum ab vtrisque diuersum constituerent? o factum male, o malum fatum, quod non Sirmondus illo tempore vixerit, qui hoc illi posset persuadere verum esse. Si Sirmondum ei contigisset audire,

nunquam eos præteriiſſet. Atqui non mentionem quoque eorum fecit: nam titulus decimus quintus prædictæ συναγωγῆς ita ab eo conceptus eſt:

Τίτλος ιε.

Περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπίσκοπον ὑπὸ πάθους ὀξυχολίας κινούμενον ἑτοίμως ἀφορίζειν τοὺς παροξυνόντας, ἢ τὸ παντελὲς τινὰ τῶν πιστῶν ἁμαρτήσαντα. καὶ περὶ τοῦ δεῖν τὸν ἀφοριζόμενον ἢ πρᾶγμα πρὸς τὸν ἴδιον ἐπίσκοπον ἔχοντα καταφεύγειν ἐπὶ τὸν μητροπολίτην εἰ βούλοιτο· εἰ δὲ μητροπολίτης ἀντίδικος εἴη, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως, ἢ ἐπὶ τοῦ βασιλευούσης αὐτοῖς ἐπισκόπῳ δικάζεσθαι. ſub eo titulo ſupradictos duo canones Concilij Chalcedonenſis retulit nonum & ſeptimum decimum. meminit, vt vides, eorum exarchorum Theodoritus. ſed quum tres tantum epiſcoporum diſtinctos ordines ſub tribus diſtinctis titulis in fronte ac limine ſuæ συναγωγῆς propoſuerit, patriarchas, metropolitas & epiſcopos, nec eos exarchos ignorauerit, tamne fungus es vt putes tres eum tantummodo poſiturum gradus eſſe, ſi quattuor fuiſſent? omnino itaque ſub patriarcharum nomine ac titulo exarchos etiam diœceſeon comprehendiſſe, non veriſimile, ſed verum eſt. Immo exarchi diœceſeon in illis duobus canonibus aliud nihil ſunt quam patriarchæ diœceſeon. ex ipſa quinetiam Synodo Chalcedonenſi indubitate colligi poteſt, non plures quam tres tunc gradus cognitos fuiſſe. Canon vigeſimus octauus eiuſdem Synodi ſancit vt patriarcha Conſtantinopolitanus ordinationes habeat metropolitarum Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceſeos, vtque illi

metropolitani ſuos & ipſi porro, ſibique ſubditos ordinent epiſcopos. Dic ſodes, o noſter calculo, patriarcham, metropolitanos, & epiſcopos quot numero gradus eſſe cenſes? exarchi illi tui medij inter patriarcham & metropolitanos, quid rerum agunt, aut vbi gentium ſunt? cur in eo canone prætermiſſi? atqui ſi vſpiam memorati ſunt, aut exſtiterunt, ibi maxime memorandi fuere, ibi maxime locum habere debuerunt. Nam alibi nuſquam locorum liceat eos in toto Oriente inuenire quam ſub patriarcha Conſtantinopolitano, & in illis tribus poſitos diœceſibus, Pontica, Aſiana & Thracica, quarum diœceſeon metropolitani omnes canonis illius decreto Conſtantinopolitanæ ſedi ſubiiciuntur. Fortaſſean dixeris omnes prædictarum diœceſeon metropolitanos patriarchæ Conſtantinopolitano per eum canonem ſubiici, ſolis exceptis exarchis. Exempli gratia, omnes Aſianæ diœceſeos metropolitas ab archiepiſcopo regiæ vrbis ex illo canone tunc ordinandos fuiſſe, præter vnum Epheſinum, qui exarchus erat Aſianæ diœceſeos. Idem de Cæſarienſi & Heraclienſi, Ponticæ & Thracicæ diœceſeon exarchis. Hoc non poſſit vt dicat in animum inducere qui didicerit, quod ſupra docuimus, tam exarchos quam ceteros dictarum trium diœceſeon metropolitas ordinari iam tum ab archiepiſcopo Conſtantinopolitano ſolitos fuiſſe, & hoc ius quum ante Chalcedonenſem ex ſola conſuetudine ac vſurpatione haberet, huius Synodi decretis ei plene confirmatum eſſe. Sub nomine igitur me-

tropolitarum Ponticæ, Asianæ & Thracicæ diœceseos in illo vigesimo octauo canone certissimum est tam exarchos ipsos comprehensos intelligi debere, quam reliquos metropolitas.

De priuilegiis porro horum exarchorum, quæ olim habuere, quæque postea exoleuerunt, qualia fuerint, & quando ad patriarcham Constantinopolitanum translata sint, licet abunde supra dixerim, quum tu heic quoque aliquid garrias, verba tua heic referenda sunt, vt examinentur: *Nam quum,* inquis, *extra patriarcharum sedes positæ tres potissimum essent diœceses Thraciæ, Ponti, & Asiæ, hæ omnes Constantinopolitano patriarchæ attributæ fuerant; & quæ iura in his olim fuerant exarchorum, omnia fere ad illum translata; vt iudicia Ecclesiastica, Synodi Chalcedonensis can.* IX. *&* XVII. *& ordinationes metropolitanorum can.* XXVIII. *formatarum etiam ius de quo Maximus & alia id genus.* Dici non potest quantam his verbis oscitantiam, supinitatem, ἀϐλεψίαν, & inscitiam ostendas ac profitearis. Iura ista quæ dicis fuisse exarchorum, iudicia inquam Ecclesiastica, metropolitanorum ordinationes, ius formatarum metropolitis dandarum, an non & ipsa fuere patriarcharum? quid plus habuere patriarchæ, aut quæ alia maiora priuilegia? atqui longe maiora oportet eos habuisse, si quidem in gradu maiore ac diuerso ab exarchis fuere constituti. Exarchos illos priusquam Constantinopolitanæ sedi subiicerentur, iurisdictionem in metropolitanos, metropolitanorum ordinationes, patriarcharum quoque nomen vis habuisse, nec tamen

tamen patriarchas fuisse concedis? insanis profecto mihi homo, nec satis illos sanos fore ausim profiteri, qui te pro sano habituri sunt. Dic mihi quid plus habuit Alexandrinus patriarcha, quam quilibet ex tribus illis exarchis si hæc omnia habuerunt quæ tu vis? Exarchus ille Ægyptiacæ diœceseos fuit; isti quoque exarchi suarum diœceseon. iurisdictio & metropolitanorum ordinatio, ex tota diœcesi ad illum spectauit; iurisdictionem & metropolitanorum ordinationes per diœcesin sibi subiectam isti quoque habuerunt. patriarcha ille vocatus est; isti etiam patriarchæ nuncupati sunt: & tamen ille patriarcha fuit, isti non fuerunt. Hoc inscite sciscis. ita exsense sentis.

At ego plus dicam, & quod mireris licet, quia scilicet ignoras, exarchos illos singularum tantum ac suarum prouinciarum simplices extitisse metropolitas, nihil iurisdictionis nisi in ea cui præerant prouincia, nullius per diœcesim ordinandi metropolitæ licentiam habuisse, nihiloque tamen secius patriarchas fuisse. an non hoc satis multis proximo capite demonstrauimus? licet sciolus sis, hoc nondum sciebas priusquam te docuissem. scias igitur oportet, quod etiam te fortasse doctiores nesciunt, non omnium episcoporum totius diœceseos ordinationem, non iudiciorum per vniuersam diœcesin potestatem, patriarcha vt aliquis dicatur, & exarchus sit illius diœceseos, facere, sed solum honorem primatus hoc dare. qui primam sedem vel primatum habet in diœcesi, qui primus est diœceseos

metropolitanus, is etiam diœceſeos primas, is diœceſeos exarchus & patriarcha cenſetur. quis enim exarchus diœceſeos niſi primas vel primus in diœceſi antiſtes? quid aliud *patriarcha* quam ἔξαρχος τῆς πατρίας vel τῆς διοικήσεως? Epheſinus igitur epiſcopus licet Aſiæ tantum prouinciæ metropolita fuerit, quia tamen primus Aſianæ diœceſeos metropolita fuit, haud minus exarchus diœceſeos & patriarcha cenſendus ac dicendus eſt, quam vel Alexandrinus vel Antiochenus. nec minus etiam quam illi patriarcha habitus ac dictus eſt. Non ita tamen inſanio vt parem vnquam Epheſini & Alexandrini dignationem & auctoritatem fuiſſe credam. quod omnino credendum eſſet, ſi quidem omnia illa iura habuiſſet Epheſinus, quæ illum putas habuiſſe: nam nec plura nec maiora habuit Alexandrinus. Sed hæc inter eos erat differentia: quod Alexandrinus non ſolum ſuæ diœceſeos hoc eſt Ægyptiacæ patriarcha vel exarchus fuit, verum etiam verus ac legitimus metropolita: totius enim diœceſeos Ægyptiacæ epiſcopos ordinabat, iuriſdictionem in omnes metropolitas habebat. Nihil horum Epheſinus habuit, nec ceteri patriarchæ, qui ſuarum tantum diœceſeōn exarchi fuere, non etiam metropolitæ. Nam ſic Epheſinus ſuæ tantum prouinciæ, hoc eſt Aſiæ, metropolita fuit, diœceſeos vero totius Aſianæ exarchus ſiue patriarcha. Alexandrinus non ſuæ tantummodo diœceſeos patriarcha vel exarchus, ſed etiam metropolitanus reuera fuit. Hoc diſcrimen

patriarcharũ paulo ante ex Iuſtiniano notabamus, & qui vnius duntaxat prouinciæ,& qui totius erant diœceſeos metropolitæ. Sed quamquam hæc vera ſint, ſummo tamen ac meo tecum iure non agam. Quod ad hanc rem attinet, quia vis exarchos illos de quibus loquimur, & iudicia Eccleſiaſtica olim per totam diœceſim, & metropolitanorum ordinationes habuiſſe, ego quoque idem interim volo. Hæc iura quæ quondam habuerunt, quando amiſerunt? ex tuis verbis hoc diſcamus: *Et quæ iura,* inquis, *in his olim fuerant exarchorum, omnia fere ad patriarcham Conſtantinopolitanum tranſlata; vt iudicia Eccleſiaſtica, Synodi Chalcedonenſis can.* IX. *&* XVII. *&* *ordinationes metropolitanorum can.* XXVIII. *Formatarum etiam ius de quo Maximus, & alia id genus.* Concilio ergo Chalcedonenſi, vt fateris ipſe, iuriſdictio omnis exarchorum in metropolitanos, & metropolitanorum per diœceſin ordinatio tranſlata eſt ad archiepiſcopum vrbis Conſtantinopolitanæ. de ordinatione metropolitanorum ſane conſtat ex can. XXVIII. patriarchæ Conſtantinopolitano eam decerni per Ponticam, Aſianam & Thracicam diœceſes. de iuriſdictione an idem poteſt conſtare ex can. IX. & XVII. tranſlatam nimirum eam omnem eſſe ab illis exarchis ad eumdem patriarcham, ſicuti tibi perſuades? Si locus vllus fuit aut tempus in quo imperitiam tuam proderes, heic eam nunc prodidiſti, teque famæ & capitis plane perdidiſti. canones illi IX. & XVII. ſanciunt vt metropolitanus ab epiſcopo ſuo vel alieno lite pulſatus & conuentus

Rrr ij

exarchum diœceseos in qua consistit adeat, aut si malit patriarcham Constantinopolitanum, vt ab eo causa eius dignoscatur ac terminetur. an per hæc censes iurisdictionem diœceseos exarcho totam auferri & ad patriarcham regiæ vrbis transferri? o scitum consultumque iuris decoctorem non doctorem! Per illa verba permittitur metropolitano aut exarchum diœceseos in qua positus est, liti suæ dirimendæ iudicem capere, aut patriarcham Constantinopolitanum. vel neuter iurisdictionem habuit, vel vterque habuit ex æquo. Poterat metropolitanus iudicari ab exarcho, si iudicem eum elegisset; poterat & a patriarcha Constantinopolitano, si iudicem eum habere maluisset. an quisquam potest ab eo iudicari qui iudex esse non potest? coram eo experiri qui iurisdictionem non habet? Nisi iurisdictionem habuisset exarchus diœceseos in metropolitanos sibi subditos, quomodo Synodus permitteret iudicio eius metropolitanorum causas terminandas, aut cur metropolitanis ipsis licentiam daret, ad fori eius audientiam, si vellent, confugere? in arbitrio igitur positum erat metropolitani vel exarchum suum adire & ab eo iudicari, vel patriarcham Constantinopolitanum. Vel vterque igitur, vt iam diximus, iudicandi potestatem habuit, vel neuter habuit. Vterque sane habuit, nam vterque & iudex capi, & iudicium exercere potuit. Ceterum exarchi propria in metropolitanum, & iure primatis competens fuit iurisdictio. patriarchæ vero Constantinopolitani non pro-

pria, sed beneficio Synodi & per priuilegium concessa. quod igitur metropolitanus ad exarchum illius diœceseos in qua commoratur mittitur iudicādus, hoc de iure communi est, & proprio exarchi; quod vero si velit recta possit omisso proprio exarcho sedem Constantinopolitanæ regiæ vrbis petere, hoc ad singulare priuilegium illius sedis pertinere censendum est, cui præter ius commune, propter vrbis regiæ scilicet dignitatem hæc prærogatiua tributa est. sic illo canone iurisdictionem adhuc habet exarchus legitimam & ordinariam, nam & iudex capi potest, & iudicare. Patriarcha vero extra ordinem & ex priuilegio, vel etiam ex appellatione, vt quidam interpretati sunt, si iudicatis scilicet ab exarcho suo partes non stetissent. Nunc oro te hanc mihi da veniam vt dicas, qui fieri possit, vt exarchus diœceseos iurisdictionem in metropolitas habuerit, eos iudicare potuerit, ius tamen eorumdem non habuerit ordinandorum? Canone vigesimo octauo Synodi Chalcedonensis metropolitanorum ordinationes exarchis in totum, vt reris, & verum est, adimuntur, & iurisdictio tamen eisdem relinquitur canone IX. & XVII. eiusdem Synodi. quomodo hoc cohærere potest aut congruere? iurisdictionem ab ordinatione quis vnquam separauit? Hæc duo vnius & eiusdem potestatis officia vbi vnquam distincta ac diuisa reperisti? o promiconde totius sacræ antiquitatis, exprome si potes ex tuis illis conditis ac scriniis & conciliorum penu, huiusmodi aliquam regulam, quæ reliquas

omnes corrigat, quæ alteri iurisdictionem in metropolitanos, alteri metropolitanorum ordinationem tribuat. nullam hodie talem habemus quæ hoc sanciat. an tu solus omnium κανόνων ἐθύντερος qui id censes? apud Iulium Epist. II. cap. VI. tanquam ex Nicæna Synodo vigesimus sextus canon hic refertur: *Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque episcopi voluntate, vel iudicare, salua tamen in omnibus Apostolica auctoritate: quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio: quoniam censemus nullum alterius iudicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit.* at iuxta tuam, Sirmonde, sententiam & regulam exarchi in Concilio Chalcedonensi qui metropolitanos ordinare non poterant, eosdem nihilominus poterant metropolitanos iudicare. Per vigesimum octauum canonem eiusdem Synodi, exarchi diœceseon nullius metropolitani ius habent ordinandi: nono vero & septimodecimo canonibus ab eadem Synodo constitutis, iidem illi exarchi metropolitanos iudicandi habent potestatem, quos non poterant ordinare. vt iurisdictionem habuerint, ordinationem non habuerint, hoc tibi placet Sirmonde? o si magister essem, non gratis hoc tibi placeret. Sane si sensum haberes vel communem, si vulgaris aliquem ac plebeiæ saltem intelligentiæ captũ, sentires atque intelligeres Synodum de exarchis illis nequaquam accipi posse, quarum diœceses patriarchæ Constantinopolitano attributæ, iura & priuilegia ad eumdem translata, qui

denique ipsi patriarchæ eiusdem sedi subiecti iam tunc erant,& in ordinem metropolitanorum penitus redacti. Nec enim vllos ordinabant metropolitanos,& vna cum reliquis metropolitanis ab eadem sede cui subditi cum aliis fuerant, ordinabantur. Balsamo quem tu nos audire iubebas, πρεσβεῖα illa quæ tribuuntur exarcho diœceseos duobus illis canonibus IX. & XVII. sua ætate non habuisse amplius dicit exarchos illos de quibus canones interpretaris. hinc recte colligit aut de aliis exarchis quam de illis tribus supradictis verba Synodi esse capienda, aut dicendum ea priuilegia, hoc est eam iurisdictionem in metropolitanos quam tempore Synodi Chalcedonensis habuere, sua ætate penitus exoleuisse. Alia eorum exarchorum iura fuisse Synodi Chalcedonensis sæculo quam æuo Balsamonis nullo modo vel dici vel fingi potest. Nam & pariter tunc erant subiecti patriarchæ Constantinopolitano, pariter ab eo ordinabantur, nullos ipsi ordinabant, nullos subiectos sibi habebant metropolitanos: nihil itaque iurisdictionis in eos habere poterant. quare ex sententia Balsamonis ipsius, quem sequi professus es, omnino sequitur de aliis exarchis qui hæc omnia Synodi tempore iura habuerint, Synodum intelligendam esse. Ad hæc quæ tua sententia, quis sensus fuit? Has consequentias negari cum videres non posse, vt tamen per vim & per inuia peruenires quo velles, finxisti contra Balsamonis & Synodi mentem, atque adeo contra ipsam veritatem, iam tum Synodi temporibus ea

priuilegia exarchorum abolita fuiſſe, quæ ſua ætate Balſamo ſcribit exoleuiſſe, quum adhuc vigerent, quo tempore canones ſuos Synodus edidit. o tripode & plebeio digna loquutum interpretem! ex illis ipſis canonibus in quibus iuriſdictio exarchis diœceſeon adſtruitur, eam deſtructum ire non dubitat: ex eo quod Synodus aſſerit, ἐκ διαμέτρου contrariam ducit aſſertionem: omnia confundit & miſcet, vt ſuos exarchos euincat illos eſſe de quibus Synodus intellexit. Sed dic nobis, ὦ ἀγχινούστατε canoniſta, ſi iidem ſunt exarchi de quibus Synodus loquitur & de quibus eam lõqui putas; ſi eadem iura porro ſunt, quæ Synodus eos dicit habuiſſe, & quæ Balſamo dicit eos non amplius ſuo tempore habuiſſe, quomodo tecum Balſamonem, aut cum Balſamone Synodum, aut te & illum cum Synodo, & omnes cum veritate conciliabis? Synodus iuriſdictionem tribuit exarcho diœceſeos, & cauſas metropolitanorum cum epiſcopis, dirimendas ac terminandas eidem permittit. Balſamo qui de exarchis Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceſeos Synodum exponit, ius illud ac προνόμιον quod a Synodo tribuitur exarcho diœceſeos, ætate ſua ſcribit exarchos illos de quibus accipit, non amplius habuiſſe, ſed penitus ab vſu receſſiſſe. Atqui certum eſt nihil plus iuris exarchis illis competiſſe Synodi temporibus quam Balſamonis ætate. hoc igitur contra Synodum Balſamo, tu vero contra Balſamonem & Synodum, quod quæ exarchorũ priuilegia Synodi tempore viguiſſe dicit Balſamo, & ſuo demum

ſæculo

ſæculo exoleuiſſe & euacuata eſſe, ea tu iam tum ab ipſa Synodo extincta & abolita fuiſſe contendis. ſic Balſamo contrarius Synodo deprehenditur, tu Balſamoni, vterque veritati. Vt omnes & omnia concilientur & concordent, de aliis omnino quam de illis tribus Aſiæ, Ponti & Thraciarum diœceſeos exarchis Synodus exponenda eſt, & obſequendum Balſamoni, qui aut alia iura illorum exarchorum Synodi tempore quam ſua ætate fuiſſe teſtatur, aut de aliis exarchis quam de iſtis Synodum intelligi debere fatetur. Non alia tunc temporis eorum priuilegia extitiſſe conſtat, immo nunquam talia eos habuiſſe certum eſt, qualia Synodus exarcho diœceſeos attribuit. de aliis igitur exarchis accipiendum eſſe reſtat. quid tibi animi nunc eſt, domine magiſter? an adhuc in opinione perſtare tibi libet obſtinato? quid ſi tibi Græculum aliquem auctorem dedero qui te ab iſta tam peruicaci pertinacia demoueat, an patieris & poteris demoueri? Profecto quoniam Græcos tam libenter audis, & in eo plerumque a me diſſentis, nunc volo Græcum tibi dare, in quo audiendo tecum pariter mihi conueniat, & cui tuto poſſis auſcultare. hunc ego tibi pro bono guſtu reſeruaui. ingratus porro ſis ſi gratiam mihi eo nomine non habeas. Scholion eſt Symeonis magiſtri & Logothetæ, ſaltem mihi repertum in Epitome canonum ſub eius nomine in vetuſtiſſimis membranis ſcripta. in ea igitur Epitome ad canonem nonum Concilij Chalcedonenſis hoc Scholion adſcriptum inueni: ἔξαρχον τῆς

διοικήσεως καλεῖ τὸν πατριάρχην ἑκάστης διοικήσεως, ὑφ' ὃν οἱ τῶν ἐκείνης ἐπαρχιῶν τελοῦσι μητροπολῖται. Φησὶν οὖν ὁ κανὼν ὅτι γὰρ ὁ ἀμφισβητῶν πρὸς τὸν ἴδιον μητροπολίτην ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς οἱασδήποτε διοικήσεως, ἢ τὸν αὐτῆς καταλαμβανέτω πατριάρχην, ἢ εἰ μὴ τοῦτο βούλοιτο, ἄδειαν ἔχει πρὸς τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἀνατρέχειν θρόνον. ὅπερ προνόμιον οὐδενὶ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν ἐδόθη οὔτε ἐκ τῶν ἱερῶν κανόνων οὓς ἐξέθεντο αἱ οἰκουμενικαὶ τέσσαρες σύνοδοι, οὔτε ἐκ τῶν εὐσεβῶν νόμων. *Primatem diœceſeos vocat, patriarcham vniuſcuiuſque diœceſeos, cui prouinciarum illius diœceſis metropolitani ſubiecti ſunt. Dicit igitur canon, vt clericus aut epiſcopus cuiuſlibet diœceſeos cum proprio metropolitano controuerſiam habens, vel patriarcham ipſius petat diœceſeos, vel ſi hoc nolit, licentiam habeat recurrendi ad ſedem Conſtantinopolitanæ vrbis. quod priuilegium nulli alij vnquam patriarcharum fuit conceſſum, nec ex ſacris canonibus quos quattuor œcumenicæ Synodi ediderunt, nec ex ſanctis legibus.* Hoc idem ſcholion alio loco in membranis, & in alio tractatu me reperiſſe profiteor, cui titulus erat, Κεφάλαια ἐκκλησιαστικά. inter illa κεφάλαια vnum fuit περὶ προνομίων τοῦ ἁγιωτάτου θρόνου Κωνσταντινουπόλεως. ſub quem titulum Græci omnia cum puluiſculo congeſſerunt, quæcunque corradi potuere cum ex canonibus tum ex imperatorum legibus ad eam rem pertinentia. primo loco illius capituli ponitur, τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου κανὼν θ'. cum illo ſcholio quod paulo ante retulimus. ſequitur, τῆς αὐτῆς συνόδου κανὼν ιζ'. deinde, τῆς αὐτῆς συνόδου κανὼν κη'. χάριτι τῶν πρεσβείων τοῦ αὐτοῦ θρόνου. huic canoni ſubiectum eſt iſtud ſcholion: Δεῖ εἰδέναι ὡς διὰ τοῦτο

δευτέραν τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίαν ὠνόμασεν, ἐπειδὴ τότε καὶ ἡ πρεσβυτέρα ἐβασίλευε Ῥώμη. Ἐπεὶ τοίνυν, καθά φησιν ἡ ἁγία αὕτη σύνοδος, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν Ῥώμην τὰ πρεσβεῖα αὐτῇ δεδώκασι, μόνης νῦν εὐδοκίᾳ Θεοῦ βασιλευούσης πόλεως, εἰκότως αὐτὴ καὶ τὴν προτέραν κέκτηται. multa alia ibi inerant eodem ſpectantia, ex Codice & Nouellis Iuſtiniani deſumpta, quæ huc tranſcribere non viſum eſt, nota enim & obuia ſunt omnibus. Hinc qui cæci omnino non ſunt, facile videre poſſunt, quo ſenſu veteres Græci ſupraſcriptos duo canones acceperint, & quo ſenſu accipiendi ſint, & quis *exarchus diœceſeos* in illis vocetur. quis enim alius queat eſſe quam patriarcha diœceſeos? Hoc igitur priuilegium, hanc prærogatiuam Conſtantinopolitanæ ſedis patriarchæ tanquam regiæ vrbis archiepiſcopo per illos canones concedi manifeſtum eſt, vt epiſcopi vel clerici cuiuſcunque diœceſeos cum proprio metropolitano controuerſiam habentes poſſint omiſſo diœceſeos in qua ſunt exarcho, hoc eſt proprio patriarcha, ſedem patriarchæ Conſtantinopolitani recta petere, & ab ea iudicari. Nec aliter accepit auctor ſuppoſititiæ Iulij Papæ Epiſtolæ quæ contra Orientales pro Athanaſio ſcripta eſt. Nam idem plane priuilegium ex Nicenis canonibus auctor ille Romano Pontifici aſſerit quod Conſtantinopolitano Synodus Chalcedonenſis tribuit. in ea Epiſtola tanquam vigeſimus primus Nicenæ Synodi canon hic refertur: *Si quis putauerit ſe a proprio metropolitano grauari, apud primatem diœceſeos, aut penes*

vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam iudicetur. Septimus decimus Chalcedonensis canon ita habet: Εἰ δέ τις ἀδικεῖτο παρὰ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ἢ μητροπολίτου, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως ἢ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω. *si quis iniuria affectus fuerit à proprio episcopo vel metropolitano, apud primatem diœceseos aut penes Constantinopolitanæ vrbis sedem iudicetur.* hi duo canones in eodem plane modulo formati, & ad eamdem prorsus normam directi sunt. an non ita etiam tibi videtur? certe aut Chalcedonensis ex Niceno, aut Nicenus ille ex isto Chalcedonensi effectus est. Vtrum verius sit, non alium quam te arbitrum aut æstimatorem habere velim. Dic, sed bona fide, quid sentis? tuam ego nolo, sed bonam. & quoniam talem non habes, alicunde interim sumas mutuam. Profecto Nicenus ille si non est suppositititius, nec ad exemplar Chalcedonensis de industria confictus, idem omnino prærogatiuæ tribuit Pontifici Romano quod Chalcedonensis patriarchæ Constãtinopolitano. frustra igitur Græci, vt apparet, gloriantur, nullos canones, leges nullas id vnquam priuilegij concessisse cuiquam ex patriarchis, quod Chalcedonensis Synodus Constantinopolitano adiudicauit. Hoc idem sibi vindicare iure potest ex Niceno illo canone Papa Romanus si verus est. Tametsi verus ille non sit, hoc ius ille tamen semper sibi vindicauit. Atque hoc priuilegium est τῆς ἐκκλήτου quam ex toto orbe, & ab omnibus primatibus & patriarchis Papæ decreuit Synodus Sardicensis, vt cuiuis scilicet episcopo

metropolitanoque liceret, cuicunque ille patriarchæ ſubiectus eſſet, & ex quacunque diœceſi veniret, ad Romanam ſedem tanquam ad maius & excelſius tribunal appellare. Hinc ſub Michaele Palæologo τὸ ἑνωτικὸν Eccleſiæ Romanæ & Conſtantipolitanæ ſub his tribus conditionibus factum eſt: vt in hymnodiis Papæ cum reliquis patriarchis mentio fieret, vt Romam qui vellent prouocare poſſent, vt principatum in omnibus Papa haberet. Gregoras lib. v. pag. LIX. καὶ γέγονεν ἡ κοινωνία ἐφ' ᾧ τριῶν κεφαλαίων. ἑνὸς μὲν, τοῦ ἐν ταῖς ἱεραῖς ὑμνῳδίαις τὸν Πάπαν εἰς τὰ δίπτυχα μνημονεύεσθαι ὁμοῦ τοῖς ἑτέροις τέτρασι πατριάρχαις. δευτέρου δὲ, τοῦ ἐκκλήτου. τοῦτο δ' ἐστὶν ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ καθάπερ εἰς μεῖζον καὶ ἐντελέστερον ἀνατρέχειν δικαστήριον τὸ τῆς παλαιᾶς Ῥώμης. καὶ τρίτου, τοῦ πρωτεύειν ἐν ἅπασι. Hoc idem ius τῆς ἐκκλήτου Græci Conſtantinopolitano patriarchæ aſſertum iuerunt ex canone nono Concilij Chalcedonenſis. Scholion vetus quod paulo ante retulimus: ὁ ἀμφισβητῶν πρὸς τὸν ἴδιον μητροπολίτην ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς οἱασδήποτε διοικήσεως, ἢ τὸν αὐτῆς καταλαμβανέτω πατριάρχην, ἢ εἰ μὴ τοῦτο βούλοιτο, ἄδειαν ἔχει πρὸς τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἀνατρέχειν θρόνον. Eodem pertinent quæ de priuilegiis Conſtantinopolitanæ ſedis leguntur in Ecloga legum Leonis & Conſtantini, tit. III. περὶ πατριάρχου, & apud Matthæum Blaſtarem ſub eodem titulo, cap. VIII. ὁ Κωνσταντινουπόλεως θρόνος βασιλείᾳ ἐπικοσμηθεὶς, ταῖς συνοδικαῖς ψήφοις πρῶτος ἀνηγορεύθη, αἷς οἱ θεῖοι κατακολουθοῦντες νόμοι, καὶ τὰς ὑπὸ τοὺς ἑτέρους θρόνους γινομένας ἀμφισβητήσεις ὑπὸ τὴν ἐκείνου προστάττουσιν

ἀναφέρεσθαι διαγνῶσιν καὶ κρίσιν.

Ex his constat quid sit primas diœcesis, quid ἔξαρχος τῆς διοικήσεως. Nam cum diœcesis patriarcha quem Græci πατριάρχην διοικήσεως vocant, idem sit cum exarcho diœceseos, segreganda nunc a te procul ac spernenda illa opinio, qua exarchum diœceseos medium quid inter patriarcham diœceseos, & metropolitam esse, tu nouarum conditor ac creator in Ecclesia dignitatum & ordinum statuebas. Nunquam plures gradus quam tres nec ante Iustinianum nec sub Iustiniano, nec post Iustinianum numeratos in Græcia & Oriente toto fuisse, si nesciebas, iam nunc id scire te oportet. Patriarchæ vel exarchi diœceseon vocabantur omnes qui primi diœceseon metropolitani, qui & primates diœceseon, & eiusdem gradus & ordinis erant cum patriarchis illis qui suarum diœceseon non solum primi, sed etiam veri fuere metropolitani. Eumdem quoque gradum cum patriarchis constituebant qui sub postremis Græciæ imperatoribus archiepiscopi καθολικοὶ dicti sunt. præter nomen, omnia patriarchæ habuere. Nam & multis præsidebant prouinciis, & metropolitanos ordinabant, & alteri patriarchæ non suberant. immo etiam patriarchæ vocabantur vt erant reuera. Canones ex Arabico in Latinum versi cap. XXXIII. *Patriarcha sit in ciuitate regia, vt sit honori ipsi & regi, & alijs simul presbyteris. Honoretur etiã episcopus Heliæ quia ipse residet in sancta ciuitate vnde crux Dei Domini nostri cœpit, & vbi est locus iudicij. Honoretur quoque similiter sedes Seleuciæ*

quæ est ex ciuitatibus Orientalibus, qui debeat etiam appellari nomine Catholici, & possit is ordinare episcopos, sicut faciunt patriarchæ. Tres heic vides constitutos patriarchas, eiusdem ordinis & dignitatis, atque omnino ἰσοτίμους: patriarcham Constantinopolitanum, Hierosolymitanum & Seleuciensem, quem & Catholicum vocari debere dicit. Non tam vetustam esse versionem illam Arabicam quam nobis Turrianus persuadere conatur, vel hoc *Catholici* nomen indicio est, quod infima imperij ætate natum, archiepiscopis illis donatum est qui plures sibi subiectas prouincias haberent, & multis metropolitanis præessent. Hoc solum argumentum, vt alia nunc omittam, & recentiorem esse, nec Nicenorum esse canonum eam translationem euincit. qua de re nos alias plura. Horum Catholicorũ archiepiscoporum duo genera fuisse, & ordines animaduerto. Alij αὐτοκέφαλοι erant, nulli patriarchæ suberant, & eiusdem cum patriarchis gradus censebantur: atque hi reuera patriarchæ fuere. Tales Seleuciæ, Iberiæ, Bulgariæ Catholici. Alij patriarchis subiacebant, nihil sine consensu eius & auctoritate, sub quo erant patriarchæ, gerere aut administrare poterant, nec metropolitanorum ordinationes vllas facere consueuerant. Hi non patriarchæ, sed pro patriarchis, & metropolitani vere tantum erant. Huius generis duo Catholici fuere sub patriarcha Antiocheno, Catholicus Persidis, & Catholicus Æthiopiæ: de quibus videnda est eadem canonum Arabica versio, cap. xxxv. & xxxvi. inter hos & illos Ca-

tholicos idem prorsus discrimen fuit quod inter tres exarchos diœceseon qui patriarchæ Constantinopolitano parebant, & ceteros diœceseon exarchos siue patriarchas qui αὐτοκέφαλοι erant, & nulli patriarchæ suberant. Exarchi diœceseon qui superiorem alterum primatem siue patriarcham nullum agnoscebant, in ordine patriarcharum ponebantur, & patriarchæ etiam vocabantur: qui vero alteri patriarchæ subiacebant, vt Asianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceseon exarchi sub patriarcha Constantinopolitano, qui & inter metropolitanos recensebantur, nec quidquam amplius quam metropolitani censebantur esse. idem prorsus est de Catholicis archiepiscopis. Horum qui sibi ipsi caput erant, patriarchæ habebantur, & patriarcharum honore ac nomine censeri solebant. qui autem sub alterius erant patriarchæ potestate, intra metropolitanorum gradum subsistebant, & pro metropolitanis tantum habebantur. Hinc illa versio canonum Arabica, quæ Catholicorum vtriusque generis aliquot locis mentionem habet, nunquam tamen plures gradus quam tres numerat, patriarchas nimirum, metropolitas siue archiepiscopos, & episcopos. vt can. LXIV. *Sabbato autem & diebus festis quando sunt sancta super altare posita, diaconus memoriam faciat nominatim primum patriarchæ, deinde archiepiscopi, episcopi, chorepiscopi, archipresbyteri, archidiaconi, quia isti sunt gubernatores Ecclesiæ.* & cap. XL. & XLI. *vt episcopi bis singulis annis apud archiepiscopum suum conueniant: similiter statuimus vt omnes archiepiscopi semel per annum*

ad

ad patriarcham ſuum conueniant. & cap. XLIV. *vt archiepiſcopus nullum epiſcopum ex iis qui ſub poteſtate eius ſunt, cuius peccatum ſciat, iudicet, nec imponat ei pœnitentiam pro peccato niſi interueniente patriarcha, qui rem explorate cognitam habeat.* & alibi paſſim. ſic nec Græci recentiores qui καθολικοὺς iſtos nouerunt, plures gradus faciunt, quam πατριαρχῶν, μητροπολιτῶν & ἐπισκόπων. Nam Catholici illi archiepiſcopi vt iam diximus, patriarchæ cenſebantur, & in patriarcharum cenſum numerumque referebantur ſi αὐτοκέφαλοι eſſent: ſin minus, in ordine militabant metropolitarum. Vetus liber formularum quibus vtebatur patriarcha Conſtantinopolitanus in ſcribendo aut reſcribendo Pontifici Romano & ceteris patriarchis ac metropolitis, ciuilibuſque poteſtatibus, huiuſmodi archiepiſcopos Catholicos patriarchis adnumerat, & a metropolis ſeiungit. ita enim habetur in titulo: Ἔκθεσις ὅπως γράφει ὁ Κωνσταντινουπόλεως τῷ Πάπᾳ καὶ τοῖς λοιποῖς πατριάρχαις καὶ ἀρχιεπισκόποις, καὶ μὲν καὶ τοῖς μητροπολίταις, καὶ τοῖς κοσμικαῖς ἀρχαῖς διθυνούσι. vt videre potes, ſecernit archiepiſcopos a metropolitis, eoſque iungit cum patriarchis. Hoc ordine autem ibi recenſentur ſub vno eodemque titulo patriarchæ & archiepiſcopi, ad quos ſcribebat patriarcha Conſtantinopolitanus cum formula, qua ſingulis ſcribebat: Papa, patriarcha Alexandriæ, patriarcha Antiochiæ, patriarcha Hieroſolymorum, patriarcha Tornoui, archiepiſcopus Pecij & totius Seruiæ, archiepiſcopus Iuſtinianæ primæ & totius Bulgariæ, archiepiſcopus

Catholicus totius Iberiæ. Sequitur deinde alius titulus: αἱ ἐξαρχίαι τῶν μητροπολιτῶν. Inter eos metropolitas, & in ea exarchorum dinumeratione primum locum tenent Cæſarienſis, Epheſinus, & Heracleenſis metropolitæ diœceſeon exarchi, poſt quos ſequuntur ceteri ſingularum exarchi prouinciarum, deinde metropolitæ qui nullas habebant exarchias. Eodem porro prorſus modo ad illos archiepiſcopos ſcribebat patriarcha Conſtantinopolitanus, quo & ad ceteros patriarchas, niſi quod patriarchæ nomen litteris non præſcriberet, ſed archiepiſcopi tantum. id ex formulis ſubiectis apparebit:

Ἁγιώτατε πατριάρχα Τορνόβου καὶ πάσης Βουλγαρείας ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ τῆς ἡμῶν μετριότητος καὶ συλλειτουργὲ, εὔχομαι, &c.

Ἁγιώτατε ἀρχιεπίσκοπε Πεκίου καὶ πάσης Σερβίας ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, &c.

Ἁγιώτατε ἀρχιεπίσκοπε τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς Ἀχρίδων καὶ πάσης Βουλγαρείας ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ τῆς ἡμῶν μετριότητος.

Μακαριώτατε ἀρχιεπίσκοπε καθολικὲ πάσης Ἰβηρείας ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ τῆς ἡμῶν μετριότητος. καὶ ἐν τῷ τέλει, ἔρρωσο ἐν κυρίῳ ἁγιώτατε δέσποτα ἀγαπητὲ ἀδελφέ.

Pittaciis ac litteris patriarchæ Conſtantinopolitani quas ad metropolitas, & ſeculares poteſtates mittebat, ſigillum tantum e cera ſolebat apponi: in iis vero quæ ad imperatorem, ad imperatricem, ad Cæſares, ad deſpotas & reges omnes, & ad patriarchas & archiepiſcopos Catholicos dabantur eius nomine, de plumbo ſigillum imponebatur. idem

Formularium : ποῖα πιττάκια ἔχουσι μολιβδόβουλλα. μολιβδόβουλλα δὲ κεῖται εἴς τε τὰ βασιλικὰ πιττάκια καὶ δεσποτικά, καὶ τὰ πρὸς δεσπότας καὶ σεβαστοκράτορας καὶ Καίσαρας, ὁποῖοι εἰσὶ καὶ πρὸς ῥῆγας πάντας καὶ πρὸς τοὺς πατριάρχας καὶ τοὺς καθολικοὺς ἀρχιεπισκόπους. εἰς δὲ τοὺς ἄλλους πάντας μητροπολίτας τε καὶ ἄρχοντας κηρόβουλλα. εἰς μόνον δὲ τὸν Ρωσίας πέμπουσι μολιβδόβουλλον. Hæc cum ita ſint, non tamen omnino par fuit dignatio & auctoritas horum archiepiſcoporum, & quattuor antiquorum patriarcharum, qui primas præcipuaſque quattuor ſedes tenebant. non ego tantum inſanio, nec tam Sirmondus ſum vt hoc dicam, ſed dico, licet ſexcenti contradixerint Sirmondi, eiuſdem plane ordinis & gradus cum reliquis patriarchis eos fuiſſe. Nam quum nulli patriarcharum ſubiecti eſſent, ſed ipſi αὐτοκέφαλοι cenſerentur haud minus quam patriarchæ, diuerſum gradum a patriarchis conſtituere non poterant. maior quippe ſemper gradus, minorem inferioremque ſibi ſubiectum habebat. Epiſcoporum gradus a metropolitarum ordine diſtinctus erat; ideo epiſcopi metropolitanis ſuberant. metropolitani diuerſum a patriarcharum gradu conſtituebant ordinem: hinc illi patriarchis ſubiacebant. immo enimvero quia patriarchæ metropolitanos ſibi ſubditos, metropolitani vero ſub ſe epiſcopos habebant, idcirco tres epiſcoporum gradus & ordines in Eccleſia conſtituti, patriarcharum, metropolitarum & epiſcoporum. Archiepiſcopi vero Catholici, qui ſecundi gradus epiſcopos, hoc eſt metropolitas ſub ſua iu-

risdictione habuerunt, ſuper ſe autem primi gradus epiſcopos hoc eſt patriarchas nullos agnouerunt, nulli patriarchæ ſubditi fuerunt, quis dubitare poſſit, quin & ipſi de primo illo gradu fuerint, cuius & patriarchæ cenſebantur eſſe? qui ſecundum ordinem infra ſe videbant, primum ſupra ſe poſitum non agnoſcebant, quis primi neget eos ordinis fuiſſe? quibus erant ſubditi metropolitani, qui patriarchis ipſi ſubditi non erant, inter metropolitas & patriarchas medij quomodo poterant eſſe? Nam ſi quis eos metropolitarum inter gradum & patriarcharum interiicit, vt metropolitis ſuperponit, ita patriarchis vtique ſubiicit. At αὐτοκέφαλοι fuere, ſubiecti patriarchis nunquam fuere: in primo igitur gradu & eodem quo patriarchæ fuiſſe certum eſt. Balſamo ad can. XVIII. ſextæ Synodi in Trullo, id manifeſte oſtendit his verbis: εἴποι δέ τις ὡς εἰ μὲν ἐπίσκοπος τοιοῦτόν τι ποιήσῃ, παρὰ τοῦ μητροπολίτου ἀφορισθήσεται. ὡσαύτως καὶ ἐὰν μητροπολίτης καταφρονήσῃ τοῦ κανόνος, παρὰ τοῦ πατριάρχου καθαιρεθήσεται. εἰ δὲ αὐτοκέφαλος ἀρχιεπίσκοπος ἢ πατριάρχης χωρὶς τοῦ Κωνσταντινουπόλεως, οὗτος γὰρ ἔλαβεν ἐξουσίαν οἵαν εἴπομεν, παρὰ τίνος ἀφορισθήσεται; οἴομαι ὅτι παρὰ μείζονος ἀρχιερέως. Archiepiſcopos αὐτοκεφάλους eiuſdem ordinis plane facit cum patriarchis. Hi ſunt porro archiepiſcopi αὐτοκέφαλοι, qui & καθολικοὶ vocabantur. vt archiepiſcopus Iberiæ, archiepiſcopus Bulgariæ, archiepiſcopus Cypri, & alij nonnulli, qui & patriarchæ etiam dicti ſunt, quique cum patriarchis in Synodis ſubſcribebant, vt de archiepiſcopis Bulgariæ, & Cypri

nobis supra obseruatum est. Vide Balsalmonem ad can. 11. Concilij Constantinopolitani primi. Catholicus & patriarcha diuersa nomina sunt eiusdem in Ecclesia Orientali dignitatis & eiusdem episcoporum ordinis. Nilus de primatu Papæ lib. 11. καθολικοὺς ἐπισκόπους patriarchas appellat: εἰ μὲν τὰ κλίματα τῆς γῆς ἑκάστῳ τῶν καθολικῶν ἐπισκόπων διανενεμημένα, ἀφωρισμένως οὐδὲν ὑπὸ τὸν τῆς Ῥώμης θρόνον κατέστη, ἀλλὰ μόνον αὐτὸν τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι ἔλεγεν ὁ κανὼν, εἰκὸς ἦν δήπου λογίζεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ὑπ' αὐτὸν εἶναι. Catholicos vocat episcopos, quos alij patriarchas, quibus τὰ κλίματα τῆς γῆς attributa & assignata fuisse dicit. κλίμα & διοίκησις idem. hinc πατριάρχης ἑκάστου κλίματος & πατριάρχης ἑκάστης διοικήσεως pro eodem. Nouella VI. cap. 11. Τηνικαῦτα εἰ μὲν εἴη μητροπολίτης, πρὸς τὴν ἐκκλησιαστικὴν εὐταξίαν ἀφορῶν ὁ τοῦ κλίματος πατριάρχης, καλείτω μὲν αὐτὸν τοῖς νενομισμένοις κηρύγμασι, φυλάττων πανταχοῦ τὴν τῶν ἱερῶν κανόνων παρατήρησιν. Capite sequenti τὸν τῆς διοικήσεως πατριάρχην dicit: εἰ δέ τις μητροπολίτης εἴη, ὁ παραγίνεσθαι βουλόμενος γράμματα κομίσαιτο τοῦ τῆς διοικήσεως πατριάρχου. Syri hodieque discriminis inter patriarcham, & Cathocum nihil ponunt, & vtroque vocabulo indifferenter vtuntur. Epistola Nestorianorum ex Mozal, hoc est Seleucia Parthorum, ad Summum Pontificem missa anno CIↃ IↃ LII, quam ex Syriaco versam edidit Masius: *Obsecramus itaque te, & eum qui tibi concessit hoc donum altissimum, vt mox vbi ad te peruenerint, ordines eum nobis patriarcham, hoc est Catholicum, ne maneamus pupilli absque patre & gubernatore & pastore.* sic ar-

chiepiſcopus Catholicus & patriarcha & exarchus diœceſis, & primas diœceſis, ſolo ſono differentia vocabula, re ipſa eadem fuere, atque vnum eumdemque gradum epiſcoporum conſtituere, maiorem quam metropolitanorum, & quo nullum alium in Eccleſia maiorem conſtat extitiſſe. quemadmodum autem ſub patriarcha Conſtantinopolitano tres exarchi diœceſeon fuere, qui nudo nomine excepto, nihil quicquam amplius erant quam metropolitæ; nam nec metropolitas vllos ordinabant, & ipſi patriarchæ ſuberant & ab eo ordinabantur: ita & duo Catholicos ſub ſe habuit Antiochenus patriarcha, qui præter nomen, nihil patriarchæ habebant, ſed metropolitæ tantum erant; quippe qui patriarchæ ſubiacerent, nulliſque ipſi metropolitanis præeſſent. De exarchis diœceſeon Aſianæ, Ponticæ, Thracicæque ſupra docuimus; meros eos veroſque duntaxat fuiſſe metropolitas patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditos. Eodem prorſus modo patriarchæ Antiocheno ſubiecti erant Catholicus Perſidis, & Catholicus Babyloniæ. cap. xxxv. canonum Arabicorum de Perſidis Catholico: *non permittit magna Synodus vt congregentur in prouincia Perſidis ad diſponendum aliquid ad ordinem Eccleſiæ pertinens ſine conſenſu & auctoritate patriarchæ Antiocheni; quia quamuis prælatus patriarchæ ſit loco, & non quærat aliud præterquam quietem, & tranquillitatem ipſorum Perſarum, tamen non licet ei immittere ſe ad conſtituendum ordinem Eccleſiæ, ſed potius in omnibus ſint metropolitani patriarchæ obedientes, & qui*

contradixerit Synodus eum excommunicat. Ad hoc exemplum Æthiopiæ quoque Catholicus Alexandrinæ ſedi parebat olim, ἐν τάξει ſimplicis metropolitani: ius enim archiepiſcopos ſiue metropolitanos ordinandi non habebat. cap. XXXVI. canonum Arabicorum: *vt non poſſint Æthiopes creare nec eligere patriarcham: quin potius eorum prælatus ſub poteſtate eius ſit qui ſedem tenet Alexandriæ: ſit tamen apud eos loco patriarchæ, & appelletur Catholicus: non tamen ius habeat conſtituendi archiepiſcopos, vt habet patriarcha, ſiquidem non habet patriarchæ honorem, & poteſtatem.* Horum Catholicorum qui ſub patriarchis erant, non abſimilis conditio fuit, nec ordo diuerſus ab illorum exarchorum diœceſeon ordine, qui patriarchæ Conſtantinopolitano ſuberant. omnes vtique fuere metropolitani. quicunque metropolitanis multis præeſt, & metropolitanos ordinandi ius habet, patriarcha eſt: quicunque vero ſolos epiſcopos ordinare poteſt, is non eſt niſi metropolitanus, & quicunque patriarchæ alicui ſubeſt. At qui patriarcham nullum habet cui pareat, aut ſubiectus ſit, qui multis ipſe præſidet metropolitanis, is eiuſdem omnino gradus & ordinis cum patriarchis cenſendus eſt, is etiam patriarcha cenſeri debet. tales Catholici fuere archiepiſcopi qui & αὐτοκέφαλοι ipſi, multiſque metropolitanis erant κεφαλή. Hinc apud Græcos recentiores, quorum ætate præcipue Catholicorum nomen frequentatum ac celebratum eſt, non plures tamen epiſcoporum gradus quam tres agnoſci notarique paſſim reperias. de anti-

quioribus ſuperius oſtendimus, nec ab illis plures agnitos fuiſſe. Solus Theodoriti locus quem ante produximus, id ſatis probet. Iuſtiniani æuum non plures cognouiſſe Iuſtinianus ipſe ſexcentis Nouellarum locis poteſt dubitantem confirmare. tuam etiam confeſſionem pro magna huiuſce rei confirmatione habeo. poſt Iuſtinianum qui vixere ad infima vſque & vltima imperij tempora, tres tantum gradus faciunt. tu ſolus contra vniuerſæ Eccleſiæ morem, omnium temporum vſum, auctorum omnium teſtimonium quattuor eſſe contendes? Dicerem ſi dicere poſſem quod te dignum eſt, ſed ne quidem cogitare id poſſum: ita omnia quæcunque de homine imperito ac pertinace concipi dicive poſſunt, imperitia tua ac pertinacia tranſcendunt. Canones Arabici licet Catholicos illos nouerint qui ſub patriarchis erant, tres tamen tantum gradus agnoſcunt, vt iam ſupra notauimus, patriarchas nimirum, archiepiſcopos hoc eſt metropolitanos & epiſcopos. capite XXXIX. eorumdem canonum manifeſtiſſime id probatur, his verbis: *Conſideret patriarcha ea quæ archiepiſcopi & epiſcopi in prouinciis ſuis faciunt; & ſi quid ſecus reperiat quam oportet factum, mutet & diſponat prout ſibi videatur; ſiquidem eſt ipſe pater omnium & illi filij eius; & quamuis ſit archiepiſcopus inter epiſcopos tanquam frater maior, qui curam habeat fratrum ſuorum, & ei debeant obedientiam quia præeſt; eſt tamen patriarcha iis omnibus qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut ille qui tenet ſedem Romæ, caput eſt & princeps omnium patriarcharum.* Iuſtinianus

Nouella

Nouella ſexta: ὥστε τούτου παρατηρήσονται οἱ ἁγιώτατοι πατριάρχαι καὶ οἱ μητροπολῖται καὶ οἱ λοιποὶ θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι. atque ita paſſim. canon xv. primæ & ſecundæ Synodi: τὰ ὁρισθέντα ἐπὶ πρεσβυτέρων καὶ ἐπισκόπων καὶ μητροπολιτῶν πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ πατριαρχῶν ἁρμόζει. Matthæus Blaſtares cap. ix. περὶ δικαστηρίων καὶ τῶν δίκας ἐχόντων κληρικῶν τε καὶ λαϊκῶν. Αλλὰ καὶ ἡ βασιλέων Ηρακλείου καὶ Κωνσταντίνου νεαρὰ μήτε ἐπίσκοπον διορίζεται μήτε κληρικὸν μήτε μοναχὸν χρηματικῆς ἢ ἐγκληματικῆς χάριν αἰτίας παρὰ πολιτικῶν ἢ στρατιωτικῶν ἐνάγεσθαι ἀρχόντων, ἀλλὰ παρὰ μόνοις τοῖς ἰδίοις ἐπισκόποις ἢ μητροπολίταις ἢ πατριάρχαις. Clericos ſcilicet apud epiſcopum, epiſcopos apud metropolitam, metropolitas apud patriarcham. idem eod. cap. Επισκόπων δὲ ἐπί τινι κρίσει ψηφισαμένων, καὶ ἔκκλητον κατ' αὐτῶν γίνεσθαι δέησαν εἴτις ἐπὶ μείζονας κριτὰς εἴωθε γίνεσθαι, μητροπολίτας τυχὸν ἢ πατριάρχας. Sexcenta talia nullo negotio colligi poſſent, ſi vſus eſſet. Sed hæc ipſa nimium multa ſunt. parcam itaque plura adſcribere. Tot gradus igitur apud Græcos ſemper numerati ſunt, nec plures tribus vnquam apud Latinos numeratos fuiſſe, caput ſequens docebit.

CAPVT IV.

Sedes & θρόνους κατ' ἐξοχὴν quidem dictos esse quinque patriarcharum, sed non proprie: nec enim minus proprie episcoporum, metropolitarumque sedes appellatas. Episcopum Romanum primatem fuisse suæ prouinciæ metropolitanæ. Eodem sensu primatem etiam dici potuisse episcopum Mediolanensem, prouinciæ quippe suæ metropolitam. Episcopum Romanum nullius diœceseos, quæ plures Ecclesiasticas prouincias complectatur, primatem extitisse, vel patriarcham dictum esse. Diœcesim interdum pro metropolitæ prouincia tam apud Græcos quam Latinos dici. Primates non eos solum qui multas prouincias Ecclesiasticas regerent, sed & qui singulas, fuisse dictos. Primum & primatem eumdem esse. Metropolitam qui suæ prouinciæ primus est episcopus, eiusdem prouinciæ recte primatem dici. Græci πρώτους metropolitanos vocant, hoc est primates. Primam sedem prouinciæ de metropolitano, & primam sedem diœceseos de patriarcha dictam. Primates siue primæ sedis episcopos tam patriarchas, quam metropolitas appellatos. In Africa sex prouincias fuisse, & singularum metropolitas primates vocatos esse. Primates in Gallia non qui singulis prouinciis præessent, sed qui primas quasque singularum diœceseon prouincias regerent, fuisse, & patriarchas eosdem esse nuncupatos. Tres gradus in Occidente semper numeratos, primates diœceseon, qui & patriarchæ, primates prouinciarum, qui metropolitæ, & episcopos ciuitatum.



QVID hominis esses antea me fateor ignorasse. Errabam cum vulgo, famamque tam veri plerumque nesciam, quam nunciam falsi, temere vt fit sequebar. Hanc Aduentoriæ tuæ habeo gratiam, quæ sola fecit, vt interius penitiusque te nosse possem. Illa mihi αὐθσίρμοιωδον ὅλον quasi in tabula graphice depictum exhibuit, & quum alium esse censerem, ipsum qui esset ostendit, atque errorem meum cor-

rexit. Acutum hominem te olim credidi: Nunc & crediidiſſe pœnitet, & profiteor non amplius crediturum. quam falſum hoc fuerit, & quam ipſe fuerim falſus, ſatis ſuperque me docuit Aduentoria. Doctum etiam te aliquando eſſe duxi: Hanc opinionem vt exuerem, quam perperam indueram, eadem Aduentoria præſtitit. Sed quod te eſſe neſciebam, pertinacem, imperitum, impudentem, parum ingenuum, parum ingenioſum, hæc omnia ex ea didici, & plura quam ſcire vellem, quamque adeo de te ſciri poſſe putabam. Bene eſt quod ego iam te noui. Nunquam me poſthac decipies, nec quiſquam mihi tuo nomine in poſterum imponet. ſatis ſit ſemel deceptum fuiſſe, quum ea de te opinatus ſum quæ falſa penitus eſſe non alius quam tu mihi fidem fecit. Miratus porro in Epiſtola fueram, qui tibi libuiſſet dicere patriarchas ab exarchis diœceſeon ea re diſtingui, quod patriarchæ ſedes proprie dictas regerent, exarchi vero diœceſeon, diœceſes. Admirationis meæ cauſas ibi reddidi. mirum hoc mihi viſum eſſe non mirari te dicis, qui mirer omnia quæ neſciam; nihil autem eorum ſciam, quæ vel pueri ſciunt. Tu ſolus igitur ſapiens qui nihil mireris: tu ſolus doctus es, quia nihil ignoras.

οἶος πέπνυσαι, πάντες σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Non prohibebis tamen etiam nunc me, quin ſapientiam iſtam tuam excellentem, atque admirabilem ſcientiam mirer. Vt ex tribus gradibus epiſcoporum, quattuor tu conſtitueres, vt differentiam

inter patriarchas & exarchos diœceſeon, quæ nulla erat, aliquam ſtatueres, eam ſic concinnabas & adſtruebas, vt patriarchæ ſedes tantum ac θρόνους ſic proprie dictos gubernarint, exarchi diœceſeon diœceſes. Sed ne quæras, vt verſutus es & Vertumnis omnibus propitiis natus, mutare quæ dixiſti, aut a me ea queraris immutata, volo tibi ipſiſſima tua verba ex Cenſura exhibere, & in os oculoſque ingerere vt agnoſcas. cap. v. ſecundæ diſſertationis in Cenſura ita ſcripſiſti: *etenim cum epiſcoporum in Eccleſia quattuor præcipui ſint gradus, qui Synodi Chalcedonenſis can.* IX. *&* XVII. *deſignantur, epiſcopi ſingularum ciuitatum, metropolitæ prouinciarum, primates ſeu exarchi diœceſeon, & qui* θρόνους *ſiue ſedes proprie dictas regunt patriarchæ.* Hæc tua eſſe, nulla plus vel minus ſyllaba tuum eſt fateri, quia negare non potes: abſurda & ridicula eſſe quia tua ſunt, meum eſt pluribus iterum heic aperire, quod paucis ac velut in tranſitu in Epiſtola oſtenderam. quid illud eſt, obſecro, quo patriarchas ab exarchis diœceſeon facis differre? an diœceſes ſunt? quod exarchi ſcilicet diœceſeon diœceſes regant, patriarchæ vero nullas regant? Atqui rectores etiam diœceſeon patriarchæ fuere, nam & diœceſes ſub ſe habuere, & patriarchæ diœceſeon dicti ſunt. hinc πατριάρχαι ἑκάστης διοικήσεως in geſtis Concilij Chalcedonenſis, & apud Iuſtinianum paſſim appellati leguntur. quinimmo & patriarchas ipſos, exarchos quoque diœceſeon vocatos legere eſt. Nam & in iiſdem actis Concilij Chalcedonenſis actione ni fallor XIV. Antioche-

nus patriarcha, ἔξαρχος τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως dictus reperitur. nulla iam hac in parte patriarchas inter & exarchos diœceſeon differentia. vbi igitur erit, aut qua in re poſitum diſcrimen illud quo patriarchas diſcernis ab exarchis? nempe in ſedibus. quod ſedibus proprie dictis præſiderent patriarchæ. Hoc vis? hoc tibi ſedet? o cautum corculum! hæc ſunt τὰ κρύφια τῆς μεγάλης σοφίας. ergo aut nullas ſedes habuere exarchi diœceſeon, quibus præeſſent, aut improprie dictas habuere. ſi proprie ſedes dicebantur patriarcharum, ſiue θρόνοι, non niſi improprie, & per abuſum dictos fuiſſe oportet, cum exarchorum θρόνους tum metropolitarum epiſcoporumque. Vnde igitur ſolitum Græcis θρόνον dicere pro epiſcopatu vel epiſcopali dignitate? canon XV. Antiochenæ Synodi: εἴ τις ἐπίσκοπος σχολάζων ἐπὶ σχολάζουσαν ἐκκλησίαν ἑαυτὸν ἐπιρρίψας ὑφαρπάζοι τὸν θρόνον δίχα συνόδου τελείας. Theodoritus titulo XII. συναγωγῆς canonum: περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπίσκοπον ἀφιέναι τὴν ἑαυτοῦ πόλιν καὶ θρόνοις ἀλλοτρίοις ἢ καὶ τοῖς αὐτοϊερεῦσιν ἐπιπηδᾶν. Leo Philoſophus in diatypoſi Eccleſiarum ſedi Conſtantinopolitanæ ſubiectarum, θρόνους paſſim vocat epiſcopatus metropolitanis ſubditos. De his enim metropolitanis qui nullos ſub ſe haberent epiſcopos, θρόνους illis nullos ſubeſſe dicit. τῷ Χαλκηδόνος Βιθυνίας θρόνος ὑποκείμενος οὐκ ἔστι. τῷ Σελευκίας θρόνος ὑποκείμενος οὐκ ἔστι. τῷ Κατάνης θρόνος ὑποκείμενος οὐκ ἔστιν. an improprie loquutos, & iſta voce θρόνου abuſos eſſe putas, aut temere eam de epiſcopis vſurpaſſe, quæ ſolis deberetur patriar-

chis? nescio quid proprium appelles nisi proprij æque sint θρόνοι episcoporum & patriarcharum, immo etiam magis: nam proprie cum θρόνος dicitur, semper de episcopali sede intelligitur. θρόνοι quoque non minus proprij metropolitarum, nec minus proprie dicti. atque ita sane necesse est. nam & ipsi etiam, vt puto, fuere episcopi. Canon IV. Concilij in Trullo: *μὴ ἐξέστω τινὶ πάντων μητροπολιτῶν τελευτῶντος ἐπισκόπου τελειοῦντος ὑπὸ τὸν κατ' αὐτὸν θρόνον, τὰ αὐτοῦ πράγματα ἢ τῆς κατ' αὐτὸν ἐκκλησίας ἀφαιρεῖσθαι.* Titulus dispositionis Leonis Philosophi de sedibus patriarchæ C.P. subiectis: *ἡ γεγονυῖα διατύπωσις παρὰ τοῦ βασιλέως Λέοντος τοῦ σοφοῦ, ὅπως ἔχουσι τάξεως οἱ θρόνοι τῶν ἐκκλησιῶν τῶν ὑποκειμένων τῷ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως.* Per θρόνους τῶν ἐκκλησιῶν intelligit sedes metropolitanas quæ Constantinopolitanæ patriarchali sedi subiacebant. aut æque proprie θρόνοι metropolitarum ibi appellantur ac θρόνος patriarchæ Constantinopolitani: aut valde improprie Leonem loquutum esse oportet, qui sedes tribuerit metropolitis quas soli sibi vindicant patriarchæ. improprie quoque & καταχρηστικῶς Codinus in Notitia metropoleon quibus præerat patriarcha regiæ vrbis: *περὶ τάξεως τῶν θρόνων τῶν μητροπολιτῶν.* sic primæ sedis episcopos cum metropolitas dixere veteres, improprie hac voce vsos esse debemus existimare, si Sirmondo credimus. nam proprie tantum de patriarchis debuit vsurpari. cum de episcopo Carthaginensi loquentes patres in Concilio Carthaginensi congregati, dicunt can. LV. *semper licentia fuit*

huic sedi vt vnde vellet, & de cuius nomine fuisset conuentus pro desiderio cuiusque Ecclesiæ ordinare episcopum, improprie vtique eos loqui credendum est: nam episcopus Carthaginensis patriarcha non fuit Sirmondo, ergo sedem non rexit, aut si habuit, improprie dictam habuit: sedes quippe proprie non erat, quia patriarchalis non erat. Iohannes Scholasticus in Nomocanone abusiue etiam loquutus est, cum de eodem Carthaginensi episcopo dixit, τὸ ἀρχιερατικὸν δίκαιον τῷ θρόνῳ τῆς Καρχηδόνος φυλαττέσθω. Quid dicemus de exarchis diœceseon, quos propterea diuersos facis, & diuersi ordinis a patriarchis quod diœceses nudas merasque regerent? scilicet nullas illi sedes iuxta sententiam tuam habuere, aut si quis sedes illis assignauit, non signanter nec proprio suo nomine rem designauit. Male igitur & improprie vetus versio Concilij Chalcedonensis quæ pro exarcho diœcesis, vt habetur IX. & XVII. canonibus eiusdem Synodi, *primam sedem diœceseos* reddidit. si exarchus diœceseos, primam sedem diœceseos tenuit, ergo & ille sedem cum diœcesi habuit; & sic a patriarcha nec diœcesis nec sedis ratione distingui debuit. Nam & patriarcha diœceseos exarchus fuit, & exarchus diœceseos, primæ sedis in diœcesi episcopus, hoc est patriarcha reuera extitit. Ἐνορίαν Græci & παροικίαν dixere proprie, territorium illud vel regionem vniuersam, quæ sub episcopo ciuitatis erat: ἐπαρχίαν vero hoc est prouinciam quæ sub metropolitano: διοίκησιν autem, multarum scilicet prouinciarum

complexionem, quæ patriarchæ ſubeſt. Theodoritus Cyrreſtes epiſcopus in συναγωγῇ κανόνων hæc tria ita aperte diſtinguit, & ἐνορίας epiſcopis adſcribit, ἐπαρχίαν metropolitis, διοίκησιν patriarchis. vt διοίκησις multas ἐπαρχίας complectebatur, ſic ἐπαρχία multas cum ſuis ciuitatibus ἐνορίας comprehendebat. ἐνορίαι τῶν πόλεων erant: ἐπαρχίαι τῶν μητροπόλεων· διοικήσεις τῶν πατριαρχῶν. ipſæ quinetiam diœceſes *patriarchiæ* dicebantur. Horum omnium θρόνοι ſiue ſedes communes fuere, θρόνοι τῶν πόλεων, θρόνοι τῶν μητροπόλεων, & θρόνοι πατριαρχικοί. æque de epiſcopis, æque de metropolitis ac de patriarchis proprie θρόνους dictos fuiſſe conſtat. Nunc ſi te Sirmonde ſequamur, dicemus epiſcopos ciuitatibus præfuiſſe, metropolitanos prouinciis, exarchos diœceſibus, & patriarchas thronis ſiue ſedibus. Imperite ergo fecit, & improprie in primis loquutus eſt Iuſtinianus, qui in Nouellis plus centum locis πατριάρχας ἑκάστης διοικήσεως, & πατριάρχας ἐκείνης διοικήσεως, & πατριάρχας τῆς διοικήσεως vocauit. ſi te conſuluiſſet, ſine dubio ſemper πατριάρχας ἑκάστου θρόνου dixiſſet. Magnum damnum eſt quod non illo tempore vixiſti: tam improprius ac καταχρηστικὸς loquendi modus tanto imperatori nunquam excidiſſet. Profecto ſi θρόνοι proprie dicti ſunt patriarcharũ, eaque re ſola diſtincti patriarchæ ab exarchis diœceſeon, inde ſequitur, vt quoties θρόνος abſolute poſitus apud Græcos occurrerit, de patriarchæ throno dictum accipiamus. Quoties igitur legemus Chalcedonenſi epiſcopo, Bithyniæ metropolitæ vel exarcho

exarcho θεόνον ἀποκείμενον nullum fuiſſe, ſtatim vtique intelligemus, nullum ſub illo patriarcham extitiſſe. nam θεόνος proprie de patriarcha. At ſi θεόνος ibi non de patriarchæ, ſed de ſimplicis epiſcopi ſede debet accipi, non proprie tantum, ſed etiam propriiſſime θεόνοι quoque ſiue ſedes epiſcoporum ſunt appellatæ. Per omnes igitur Muſas dic nobis, o magiſter & Muſageta noſter, quid tibi volueris, cum patriarcharum proprias ſedes eſſe voluiſti, ab aliis vero exarchis, metropolitis, epiſcopis omnibus omnino alienas? Hoc captaſſe certe videris, hoc cupiuiſſe, vt ridiculus eſſes, atque ὅλῳ τῷ μυκτῆρι omnibus deridendum te propinares.

Huiuſce porro tantæ abſurditatis, quam in Epiſtola quaſi digito tantum oſtenderam, quum te ſuppuduiſſet, videreſque nullo modo defendi poſſe, vt leuiorem ſaltem faceres, correxiſti te, & quum in Cenſura ſedes patriarcharum proprie dictas eſſe dixiſſes, heic in Aduentoria addidiſti κατ' ἐξοχήν. Hoc nunc aliquid eſt, & aliquantulo plus quam nihil. At futile illud, & nihili prorſus fuit quod in Cenſura effutiueras. Vide vt paulo additamento res praue ac perperam' enunciatæ ad meliorem rectioremque redeant formam. Haud parum ſane intereſt vtrum proprie quid dicatur an κατ' ἐξοχήν. aliud eſt proprium ſimpliciter, aliud proprium κατ' ἐξοχήν. omnium qui verſus faciunt proprium eſt, vt poetæ appellentur. illius vero qui in pangendis verſibus ceteros omnes antecellit proprium eſt κατ' ἐξοχήν poetam appellari. non minus proprie poeta dictus

est Ouidius quam Virgilius, Hesiodus quam Homerus. Sed quum poeta absolute dicitur, κατ' ἐξοχὴν apud Latinos Virgilius intelligitur, apud Græcos Homerus. Capua licet vrbs minor vrbe Roma non minus tamen vrbs fuit quam Roma, nec minus proprie vrbs appellata est. sed quum *vrbs* sine cauda, vt vulgo loquimur, hoc est sine adiuncto vocabatur, tum certum erat non de alia vrbe quam de Roma intelligi debere. propter excellentem eius supra ceteras omnes vrbes dignitatem hoc nomine proprie κατ' ἐξοχὴν donabatur, quoties *vrbis* nomini nihil esset adiunctum. sic apud Ægyptum, Alexandria πόλις κατ' ἐξοχὴν dicebatur, & Athenæ in Græcia ἄστυ. Stephanus περὶ τῶν ἐθνικῶν in voce Ἀλεξάνδρεια· ἐλέγετο δὲ κατ' ἐξοχὴν πόλις. καὶ πολῖται ἐξ αὐτῆς. ὡς ἄστυ αἱ Ἀθῆναι, καὶ ἀστοὶ καὶ ἀστικοὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται ὕρβ. Proprium hoc vrbs Roma simpliciter non habuit, vt sola vrbis nomine appellaretur, nam commune istud multis cum aliis vrbibus illi fuit, quæ pariter ita sunt appellatæ: sed κατ' ἐξοχὴν hoc ἴδιον καὶ ἐξαίρετον habuit, vt quoties absolute, vox vrbis enunciaretur, de ipsa sola intelligeretur. qui dicit vrbem, nec addit quam vrbem, de Roma vtique intelligit κατ' ἐξοχήν. qui vrbem Romam nominat, non amplius κατ' ἐξοχὴν loquitur, sed sic vrbem Romam dicit, vt diceret vrbem Rauennam, vrbem Capuam, atque ita de ceteris, quæ vrbes non minus & ipsæ fuere, nec minus proprie ita dictæ sunt quam Roma. De patriarcharum sedibus nunc hoc videndum an obtinuerit, vt θρόνοι absolute &

κατ' ἐξοχὴν dicerentur. Hoc ſcire inde facile poterimus: nam ſi ſic vſus fuit & mos, oportet vt quemadmodum quum vrbs dicebatur, de Roma intelligendum erat, quum πόλις de Alexandria, quum ἄστυ de Athenis, quum poeta de Virgilio apud Latinos, ita & quoties θρόνους abſolute poſitos reperiemus, de patriarcharum ſedibus ac thronis κατ' ἐξοχὴν accipiamus. Iſtud a vero tam procul abeſt apud Græcos, vt θρόνους ſimpliciter & ſine adiuncto de epiſcoporum ſimplicium ſedibus, & thronis frequentius dicant. cum in Antiocheno Concilio legimus epiſcopum non debere τὸν ἀλλότριον θρόνον ὑφαρπάζειν, aut apud Theodoritum τοῖς ἀλλοτρίοις ἢ ἐκκλησιῶν θρόνοις ἐπιπηδᾷν, de patriarchalibus intelligendum eſſet ſedibus, ſi θρόνοι κατ' ἐξοχὴν proprie patriarcharum ſedes nuncupatæ fuiſſent. Græci itaque vt plurimum θρόνους de epiſcoporum ſedibus ponunt. at contra de metropolitarum & patriarcharum ſedibus vbi loquuntur, nunquam eas fere ſine adiuncto pronunciant; vt ſcilicet diſtinguantur ab epiſcoporum thronis quos ſimpliciter θρόνους vocant. Quare cum dicunt, τῆς Καλχηδόνος ἐξάρχου θρόνος ὑποκείμενος οὐκ ἔστι, per θρόνον epiſcopum aut ſedem epiſcopalem proprie ſignificant. at θρόνους metropolitarum, μητροπολιτικοὺς, vt patriarcharum πατριαρχικοὺς vocant. Patriarcharum etiam ſedes hac nota plerúque ab inferioribus & minoribus diſtinguunt ſedibus, dum ἀποστολικοὺς θρόνους eos indigetant: θρόνους abſolute & ſimpliciter appellatos nuſquam legere eſt. Tuum erat, qui tam multa legiſti, vel vnum au-

Xxx ij

ctorem Græcum ad testimonium vocare qui θρόνον κατ' ἐξοχὴν de patriarchali sede dixerit. Nam testimonium illud vnicum ex Græcis quod attulisti, quale sit, & quantum ad huius rei probationem faciat, paulo post tibi ostendemus. Ita Græci: Latini quid? sedes & ipsi de episcopis, de metropolitis, de patriarchis passim vsurpant, de patriarchis proprie & κατ' ἐξοχὴν nusquam. primas præcipuasque sedes patriarcharum vbique vocant, vt & ipsos primos præcipuosque patriarchas, qui quinque tantum numero fuere. Harum quinque sedium prima fuit Romana, quæ sedes κατ' ἐξοχὴν merebatur appellari. an ita dictam vnquam potes ipse docere? *Vrbs* κατ' ἐξοχὴν de vrbe Romana dicebatur, an ad id exemplum *sedes* de Romana sede? quis vnquam *sedem* absolute nominauit, vt de Romana sede intelligi vellet? *prima* semper *sedes*, *Apostolica sedes*, *Romana sedes* appellatur. an hæc appellatio, quæ cum adiuncto est, κατ' ἐξοχὴν accipi debet? qui Virgilium primum poetam præcipuumque appellauerit, non κατ' ἐξοχὴν eum appellat, sed qui eum poetam simpliciter & absolute nuncupauerit. quod omnium sediũ facile princeps & prima non habuit vt absolute sedes vocaretur, quo merito id reliquæ habeant tanto inferiores & minores? Quinque, vt iam dixi, primariorum patriarcharum sedes, primariæ & ipsæ præcipuæque sunt appellatæ, sed absolute ac simpliciter sedes nunquam. Vnus Gelasius Papa est, ex quo contrarium probari posse videatur. Hoc ille quod tu vis verum esse euinceret, tuque

per eum vinceres, nisi aliter intelligendus esset. Verba eius ex epistola ad Dardanos xi. de Ecclesia Constantinopolitana ista sunt: *Si de dignitate agitur ciuitatum, secundæ sedis ac tertiæ maior est dignitas sacerdotum, quam eius quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum iura censetur.* Ex alia eiusdem Epistola ad Orientales episcopos quæ nondum edita est, hæc producis: *De suis vrbibus Catholicus pellebatur episcopus, non solum metropolitanus, sed etiam secundæ & tertiæ sedis antistes.* Ex his duobus locis certo statui putas quinque patriarcharum sedes κατ' ἐξοχὴν appellatas esse. Si recte Gelasij mentem cepisses, nunquam ita putasses. fateris ipse idcirco sedes κατ' ἐξοχὴν appellatas, quia plurimorum aliæ sedes cum essent, hæ omnium primariæ ac principes erant. Gelasij tui verba vide an hoc quod contendis concedant, & an patiantur metropolitanorum quidem sedes passim & communiter dici, patriarcharum vero primarias illas ita κατ' ἐξοχὴν appellari. immo ille metropolitanorum iura, plane a sedibus distinguit. sedes itaque proprias patriarcharum fecit; solis patriarchis sedes assignauit: De his tantummodo sedes dici voluit: de aliis omnibus qua metropolitis qua episcopis vsurpari hoc nomen negauit. Nam eodem plane modo quo patriarchæ distinguuntur a metropolitis tam re quam nomine, ita ille iura metropolitanorum a sedibus patriarcharum aperte separauit. Hanc Gelasij mentem fuisse multo apertius altero eiusdem ad Dardanos Epistolæ loco demonstratur qui sic habet:

Quapropter cum ſatis conſtet Acacium nullum habuiſſe pontificium ſententia Apoſtolicæ ſedis damnatum ſine eius notione ſoluendi; dicant certe qua Synodo hoc ille præſumpſit, quod nec ſic quidem abſque Apoſtolica ſede fas haberet efficere, cuius ſedis epiſcopus? cuius metropolitanæ ciuitatis antiſtes? nonne parœciæ Heraclienſis Eccleſiæ? quid his verbis manifeſtius? an non clare clamant Gelaſium ſedes ſolis vindicaſſe patriarchis, metropolitanis & epiſcopis ademiſſe? Acacium ideo negauit vllius ſedis epiſcopum eſſe, quia patriarcham eum negat fuiſſe. ne pro metropolita quidem eum haberi vult, ſed epiſcopum tantum agnoſcit ciuitatis Conſtantinopolitanæ, quæ ſuffraganea fuit Heracleenſis parœciæ. ſic per ſedis epiſcopum, patriarchã deſignauit; per antiſtitem metropolitanæ ciuitatis, metropolitam; per Eccleſiæ antiſtitem, ſimplicem ciuitatis epiſcopum. non igitur κατ' ἐξοχὴν ſedes de patriarchis dixit Gelaſius, ſed de ſolis patriarchis dici voluit. At ſi præter patriarcharum ſedes, nullæ aliæ ſic eſſent dictæ, tum profecto non κατ' ἐξοχὴν dicerentur, quibus ſolis hoc nominis competeret. qui ſolus eſt, ἔξοχος non eſt, nec κατ' ἐξοχὴν id quod eſt dicitur. alios multos oportet eſſe eiuſdem ordinis ac nominis, quos inter excellat, quorum ἔξοχος ſit & πρόκριτος, vt in comparatione eorum, commune omnium nomen, quaſi ſibi proprium κατ' ἐξοχὴν vindicare poſſit. cum omnes epiſcopi vocabantur Papæ, Romæ vrbis epiſcopus, quia primus epiſcoporum, iure meritoque κατ' ἐξοχὴν Papa vocari potuit. poſtquam ita ſolus vocatus eſt,

ac nemo præter eum hoc nominis vſurpauit & ad ſe rapuit, non amplius κατ' ἐξοχὴν ita dictus cenſeri debeat, quia ſolus. atque ita de ceteris. Quod autem Gelaſius Papa ſolorum tantum patriarcharum ſedes appellandas cenſuit, hoc non magis tibi mirum videri æquum eſt, quam quod Felix II. Epiſt. 1. ſolos primates cenſendos aut appellandos ſancit, trium primarum ſedium patriarchas, quorum nominatim fit mentio in ſexto Niceno canone, Romanum nempe, Alexandrinum & Antiochenum. *Primates*, inquit, *illi & non alij ſint, quam qui in Nicena Synodo ſunt conſtituti. reliqui vero qui metropoles tenent ſedes, archiepiſcopi vocentur & non primates, ſalua in omnibus Apoſtolicæ ſedis dignitate, quæ & ab ipſo Domino conceſſa & poſtea a ſanctis patribus roborata.* Sed hoc Felicis decretum nunquam receptum eſſe nec obſeruatum, plus quam certum eſt. Nam paſſim in Europa primates ſemper appellati ſunt quicunque primas ſedes tenerent, tam in diœceſibus quam in prouinciis, hoc eſt tam exarchi diœceſeon quam prouinciarum, tam patriarchæ quam metropolitani. Per Gallias ſoli primarum in vnaquaque diœceſi ſedium rectores, vocabantur primates. In Africa vero quotquot erant metropolitani, ita vocari mos fuit, vt paulo poſt apertis pignoribus oſtendam. Sic quod Gelaſius Papa voluiſſe videtur, nullo in tempore effectum videtur habuiſſe. nunquam enim factum vt ſolorum quinque qui primarij erant patriarcharum, ſedes dicerentur, aliorum epiſcoporum non dicerentur. quinimmo ad diſtinctionem

aliarum ſedium primarias illas præcipuaſque ſedes dictas fuiſſe legimus, non abſolute ſimpliciterque ſedes, niſi apud vnum tantum Gelaſium. Patriarchales etiam ſedes paſſiuitus apud Latinos vocantur, vt apud Græcos πατριαρχικοὶ θρόνοι. At ſi locum haberet, quod voluit Gelaſius, *ſedes* vbique tantum dicendæ eſſent, quas nemo vtique poſſet niſi de patriarchalibus intelligere. Innocentius tertius in Concilio Lateranenſi cap. v. *antiqua patriarchalium ſedium priuilegia renouantes*, &c. Cur *patriarchalium* addidit? ſatis erat dixiſſe *ſedium*. Gregorius in Epiſtola ad Secundinum incluſum, *quattuor primas & præcipuas ſedes* vocauit: dicere tantum debuit *quattuor ſedes*; ſatis hoc fuiſſet. ſed nunquam, vt multis iam docui, Græci Latinique ſcriptores, vetuſti ac recentiores, ſedes illas primorum quinque patriarcharum aliter vocant, quin adiunctum aliquod huiuſmodi addant aut *primarum*, aut *præcipuarum*, aut *patriarchalium*. Sexcenta huiuſce loquutionis exempla produci poſſent ſi opus eſſet. Gelaſius igitur vt vides pro te non facit: nec enim κατ' ἐξοχὴν ſedes vocauit patriarcharum, ſed ſolas ita ſanxit appellandas, nec nomen ſedium præterquam patriarchis, vlli metropolitano tribuendum cenſuit. eodem prorſus exemplo quo Felix Papa nullum metropolitanum appellari primatem voluit, ſolis primarum ſedium patriarchis hoc nomine quaſi præcipuo proprioque reſeruato. Nunc alia porro loca expendamus quanti ſint, & quantum ad rem faciant, quæ attuliſti vt probares ſedes κατ' ἐξοχὴν dici patriarcha-

triarcha-

triarcharum. Liberatus diaconus de Iohanne Alexandrino patriarcha loquens ita ſcribit in Breuiario capite XVIII. *qui & ipſe ſequutus Petrum & Athanaſium prædeceſſores, in edicto vnitiuo communicauit cum aliis ſedibus, id eſt Conſtantinopolitana, & Antiochena & Hieroſolymitana.* Heic tu dicis Liberatum alias ſedes abſolute dixiſſe, alias patriarchales, vt non ſine cauſa interpretationem ipſemet, ne ambigeremus, adiecerit. quid hoc eſt? quid hæc tua verba ſibi volunt? Alias ſedes abſolute dixit Liberatus, alias patriarchales. vbi hoc Liberatus? quid tale in eius verbis? ſatiſne ſanus eras cum hæc ſcriberes, an nos non putabas ſanos? Profecto aut fungus, es mi homo, aut pro fungis nos habes; quibus adeo aperte cupias illudere. ſed omnem operam luſiſti, niſi quam vt nobis ipſe ludus & iocus eſſes, poſuiſti. ea ſola tibi non fruſtra locata eſt. verum verba tua videamus vt rideamus. *aliæ ſedes abſolute Liberato, aliæ patriarchales.* Ergo patriarchales ſedes diſtinctæ a ſedibus abſolute dictis. quæ ſunt illæ ſedes patriarchales quas intellexit Liberatus? Conſtantinopolitana, Antiochena & Hieroſolymitana. ergo diuerſæ hæ ſedes tres ab illis ſedibus quas abſolute idem dixit. atqui ſedes illæ quas abſolute dixit, de aliis ſedibus accipi non poſſunt, quam de illis tribus patriarchalibus ſupra dictis, etiam ſi eas nominatim non adieciſſet. Non igitur aliæ ſedes abſolute dictæ Liberato, aliæ patriarchales, quum de iſtis patriarchalibus neceſſario illæ quas abſolute dixit intelligendæ ſint ſedes. Vide ipſe, hominum ineptiſſime,

& ride mecum tuam ineptiam. ſedes ibi nullas abſolute poſuit Liberatus: quod feciſſet ſi nominatis ſimpliciter ſedibus, nominatim quænam illæ ſedes eſſent, non adiecisset. quum vero nomina ſedium illarum expreſſerit, de quibus intelligebat, an quiſquam adeo ſenſus communis & rationis eſt expers, vt putet eum quum ſedes dixit, abſolute aut κατ' ἐξοχὴν loquutum eſſe? Ait Liberatus Alexandrinæ ſedis epiſcopum Iohannem cum aliis ſedibus communicaſſe, hoc eſt Conſtantinopolitana, Antiochena & Hieroſolymitana. idem eſt ac ſi dixiſſet, patriarcham Alexandrinum cum aliis patriarchis, hoc eſt Conſtantinopolitano, Antiocheno & Hieroſolymitano communicaſſe. quid iſtic κατ' ἐξοχὴν aut abſolute dictum? qui dicit, *in vrbem veni, id eſt Romam*, an κατ' ἐξοχὴν vrbem eum vocare cenſes? idem plane eſt ac ſi diceret, *in vrbem Romam veni*. qui dicit, *vrbis epiſcopus*, per exochen vrbis Romæ epiſcopum intelligit. ſi quis autem dicat, *vrbis id eſt Romæ epiſcopus*, eo ipſo quod explicat de qua vrbe intellexerit, faſtigium illud ἐξοχῆς non ſolum diminuit, ſed plane totum adimit. Qui vrbem abſolute dicit, non opus habet addere Romam. Nam cum certum ſit Romam κατ' ἐξοχὴν vrbem appellari, de Roma facile intelligit, qui vrbem audit nominari. At ſi quis ad vocem *vrbis*, adderet *Romæ*, aut explicandi gratia ſubiungeret *id eſt Roma*, eo ipſo fateretur vrbem de Roma κατ' ἐξοχὴν dici non poſſe, nec etiam intelligi de Roma dictum, niſi hoc explicaſſet. Igitur ſi Liberatus ita loquutus eſſet, vt

diceret Alexandrinæ ſedis patriarcham cum aliis ſedibus communicaſſe, nec ſedes illas quænam eſſent, de quibus loquebatur, nominatim expreſſiſſet, tum profecto κατ' ἐξοχὴν & abſolute ſedes, vt vis, dixiſſet, & de ſolis illis patriarchalibus, quas nominauit, intellexiſſet. ſed quum earum nomina ſedium ſubiunxerit, non abſolute vtique dixit. quinimmo vel ideo ſignificanter & nominatim quænam illæ ſedes eſſent edidit, quia de aliis ſedibus quam patriarchalibus quilibet intelligere potuiſſet, ſi abſolute ſedes nominaſſet. Et ex hoc maxime Liberati loco probatur ſedes κατ' ἐξοχὴν non dici patriarcharum. nec enim ſi hoc eſſet, opus habuiſſet adiicere Liberatus interpretationem, ne ambigeremus de ſedium quas intelligebat ſignificatione. Idem omnino pronunciandum eſt & de Syncello illo Hieroſolymitani patriarchæ legato, cuius hæc verba ſic a te producta heic ſunt: ὑπαρχείου τοῦ προκαθημένου Ῥώμης μηδαμῶς ἀποδεξαμένου τὸν Φώτιον, μηδὲ μὴν τῶν τῆς ἀνατολικῆς τριῶν θρόνων, τοῦ Ἀλεξανδρείας, τοῦ Ἀντιοχείας, τοῦ Ἱεροσολύμων, οὐκ ἦν χρεία μετακαλεῖσθαι αὐτὸν εἰς ἐξέτασιν καὶ ἀνάκρισιν. Quid? an ex iſtis tu probare intendis θρόνους κατ' ἐξοχὴν de patriarchalibus vſurpari ſedibus? video quid velis, ſed fruſtra hoc quoque te velle video. θρόνους patriarcharum dici hinc ſatis liquet. ſed θρόνους κατ' ἐξοχὴν heic appellatos eſſe, hoc eſt quod nemo niſi Sirmondus, aut Sirmondinus poſſit dicere. *tres Orientis throni* ſi dicantur abſolute, tum de tribus præcipuis Orientis ſedibus accipi debere κατ' ἐξοχὴν haud

abnuam. At si nominet quis illos thronos ac dicat, *tres Orientis sedes, Alexandrina, Antiochena & Hierosolymitana*, nemo inde mihi persuadere postulet per excellentiam sedes appellari quarum sedium nomina statim ibidem subiuncta sint. vt ita censerem, Sirmondum me esse oporteret. qui vult aliquem κατ᾽ ἐξοχὴν designare, solo nomine dignitatis, non proprio personæ debet eum appellare. quis hæc nescit? tu tamen tantus magister, tot annorum, tot palmarum veteranus, id ætatis, hac doctrina, hoc docendus fuisti.

Nunc interrogo te, magister, si quis quod tantopere contendis, tibi concederet, quid efficeres inde? sane vt hinc scias te satis egisse vt nihil ageres, & multa mouisse, vt nihil proficeres, animi gratia lubet iam tuæ sententiæ accedere, tibique assentiri, quinque nimirum primariorum patriarcharum κατ᾽ ἐξοχὴν sedes appellatas fuisse. totum hoc tibi de meo largior ac liberaliter dono. Sit illud verum quod tu vis esse. quid tum postea? quo procedes deinde? An per hæc effecturum te putas quod petis, vt scilicet patriarchæ sedium, proprie & κατ᾽ ἐξοχὴν dicendarum, diuersum gradum & ordinem constituant ab illis exarchis diœceseon, qui patriarchæ & ipsi dicebantur, & sedium pariter rectores erant? quam longe abes ab eo quod habere vis! quod tu sectaris, per hanc viam nunquam assequi certus es. Nam contrarium plane inde efficitur, eiusdem nempe ordinis & gradus omnes fuisse, qui patriarchæ dicti sunt, qui sedes habuere patriarchales, qui

diœceſes rexere, licet inter eos quidam extiterint, quorum ſedes κατ' ἐξοχὴν dicerentur, quique ipſi propter præcellentem dignitatem proprie patriarchæ vocarentur. Atque illi fuere quinque ſummi & primarij patriarchæ, qui primas ſedes tenebant, atque etiam ſi vis, proprie & κατ' ἐξοχὴν dictas; qui denique inter alios omnes eiuſdem ordinis & gradus patriarchas excellebant. quod enim ἔξοχοι τῶν ἁγίων πάντων eſſent, quod ceteris ſui ordinis patriarchis antiſtarent, ideo ſedes eorum κατ' ἐξοχὴν dictæ, ideo ipſi etiam, vt tibi dem omnia quæ vis, patriarchæ κατ' ἐξοχὴν appellati. Hoc ἔξοχον, hoc ἐξαίρετον ὄνομα, non inter diuerſi ordinis & inferioris epiſcopos proprie illis & ſpecialiter attributum eſt. ſi quid præcellentiæ, ſi quid prærogatiuæ habuerunt, id eos omne in ſui gradus & ordinis epiſcopos habuiſſe cenſendum eſt, ex quo omnium quod erat commune nomen dignitatis, ipſi ſibi quaſi proprium κατ' ἐξοχὴν vindicarint. vt Virgilius poeta κατ' ἐξοχὴν dictus eſt quod inter poetas, non quod inter oratores emineret; vt vrbs Roma quod inter vrbes, non quod inter oppida: ſic patriarchas illos quinque κατ' ἐξοχὴν dictos fuiſſe oportet, non quod inter metropolitanos, aut diuerſi gradus primates excellerent, ſed quod inter eiuſdem ordinis patriarchas primas ferrent. ita eorum quoque ſedes κατ' ἐξοχὴν appellatas eſſe, ſi modo appellatæ ſunt, æquum eſt, non quod inter metropolitanas ſedes, ſed quod inter patriarchales primæ eſſent. ſi quiſquam hodie regum, rex κατ' ἐξοχὴν appellari mere-

tur, is Franciæ rex eſt. an ſecus tibi videtur? ſi igitur κατ' ἐξοχὴν eum regem appellauero, ideo ſic a me appellatum colligere debes & intelligere, quod ceteros omnes huius ætatis longo interuallo ſuperet reges, non quod duces aut comites. quæcunque res, quæcunque perſona, generis inter & ordinis eiuſdem res & perſonas aliquid eximij habet, & excelſi, propter illud excellentiæ ſuæ meritum, quod omnium eiuſdem generis & ordinis commune nomen eſt, quaſi ἴδιον ſibique peculiare ἀντωνυμικῶς fere ſemper vindicare conſueuit. Ceterum hæc ἐξοχὴ, hæc nominis κατ' ἐξοχὴν vſurpatio quæ alicui rei vel perſonæ ex prærogatiua, & merito dignitatis conceditur, locum habet tantum inter eiuſdem generis, vt diximus, & ordinis res & perſonas, & quæ idem quoque nomen gerunt. Ex his liquet ac liquido conſtat, quod aliqui primarij fuerint patriarchæ, & dignitate priores potioreſque, non propterea ſolos ſeorſim vnum gradum conſtituiſſe, qui ſedes proprie dictas regerent, ſed inter ceteros eiuſdem gradus ac nominis patriarchas & exarchos diœceſeon primatum habuiſſe: hinc ſedes eorum primas dictas eſſe, & κατ' ἐξοχὴν etiam, quoniam ita vis, ſedes, vt ipſi primi præcipuique dicti ſunt patriarchæ, & κατ' ἐξοχὴν etiam patriarchæ, cum tamen & aliorum patriarcharum ſedes nihilominus dicerentur, & patriarchæ multi præter eos vocarentur. Hoc alius præter me faceret nemo, certo ſcio, nec ita tibi in omnibus indulgeret & aſſentiretur. Verum nihil periculi eſt, om-

nia quæ tibi dari poſtulas concedere, quando conceſſa plane in contrarium cedunt, & quæ pro te putas eſſe, iugulum tibi petunt.

In diſſertatione porro illa de primatibus quam in Epiſtola ad Amicum pag. LIV. legere eſt, δοκησισοφίας meam dum improbe carpis, ἀσοφίας tuam probe prodis. nec hoc tantum, ſed pertinaciæ cuiuſdam inexpugnabilis, pari cum imperitia iunctæ egregium ſpecimen edis. quantus ſis præterea cauillator, ſycophanta & impoſtor, ἀπηχῶς oſtendis. Clara in luce nudum & apertum te, qualis es, omnibus videndum iam inde ſtatuam, & ad intima vſque viſcera totus vt pateſcas faciam. ſic qui te non norant, nunc intus & in cute opera mea te cognoſcent. verba tua primum ponam, mea deinde ſubiiciam: ita optime poterit ab omnibus intelligi non ſolum quis noſtrum δοκησισοφώτερος, ſed etiam vter ſit ἀσοφώτερος. ſic igitur garrire incipis: *primum enim quis epiſcopum Romanum primatem ante me dixerit cur rogas, cum Mediolanenſem ipſe primatem voces, quem præter te nullus vnquam appellauit?* Primum ſciendum eſt quæ res anſam cauſamque præbuerit illi noſtræ de primatibus diſſertationi, priuſquam ad ſingula tibi reſpondeam. Tu in Cenſuræ ſecunda parte Romæ vrbis epiſcopum ideo primatem Italiæ dixeras fuiſſe, quia nullus in Italia primas fuiſſet; ideo autem patriarcham Occidentis, quia plures quidem in Occidente primates fuerint, in Gallia, Africa, Hiſpania; nullus vero patriarcha. Ego tibi oſtendi quo ſenſu primates in Africa dicebantur,

multos in Italia primates extitisse: singulos enim prouinciarum metropolitas per Africanam diœcesin primates appellatos esse. in ea significatione porro qua primatis nomen per Gallicanas regiones vsitatum vulgo esset, primatem Italiæ dici non posse episcopum Romanum, nisi etiam patriarcha diceretur: nam primates in Galliis non singulos metropolitanos qui prouinciæ alicui præessent, sed diœceseon singularum antistites, qui & patriarchæ dicebantur, passim appellari consueuisse. ad hæc quid respondes? nihil omnino, nec sane poteras. Conuitiis & cauillationibus rem totam voluisti transigere, & quæstionem offuciis tuis φαντάζειν, vt alia esset, alia appareret. Ego fucum istum quem sincero illius corio illinere sategisti, totum abstergam, & vmbras quas insperseras, illato lumine discutiam. Rogas cur Mediolanensem primatem vocem, cum episcopum Romanum primatem dictum fuisse negem. Ludis in voce primatis, & more tuo cauillaris. Primatem Mediolanensem episcopum voco, qua notione primates suos Africana vocauit Ecclesia, qua notione metropolitanos omnes tota vocauit antiquitas, qui suarum scilicet prouinciarum primates essent. quod autem primatem episcopum Romanum appellatum esse negaui, non eo sensu negaui, quo metropolitæ omnes vocantur primates, nam certe ille quoque suæ prouinciæ primas & metropolitanus fuit, sed ea notione qua primatem eum dici volebas, Italiæ nempe diœceseos. Nam si Italiæ primas fuisset, vtique etiam

etiam patriarcha Italiæ dictus esset, quum certum sit omnes diœceseon primates, patriarchas fuisse appellatos, & omnes vice versa patriarchas, diœceseon primates extitisse. at si primas & patriarcha Italiæ, Papa Romanus est, non erit Occidentis patriarcha specialis, vt eum volebas esse. Quæsiui igitur & etiam nunc quæro, quis primatem Italiæ hoc est patriarcham appellarit Romanum Pontificem? & sane quis eum id potuit appellare quod nunquam fuit? At de Mediolanensi episcopo non quærendum est an primas dictus fuerit, quem certum est fuisse suæ prouinciæ primatem. omnis enim metropolitanus suæ prouinciæ primas est. frustra igitur dicis primatem eum præter me nullum vnquam appellasse. Pergis, & hæc verba perdis: *Nam si Mediolanensem episcopum, quia multis olim ciuilibus prouinciis præerat, primatem ingratiis vis esse: Romanum qui tua & coniectoris tui opinione suburbicarias omnes regebat, si non Italiæ, at suburbicariarum certe primatem fuisse cur negas?* egone id negem? quis tibi hoc dixit? an tibi semper sic mentiri libebit? sed libenter quisque semper quod solitus est facere, facit. Ego primatem prouinciæ, & metropolitanum cum idem esse contendam, qui possem negare episcopum Romanum suburbicariarum regionum fuisse primatem, si metropolitanus earumdem fuit? tam igitur mihi primas est suburbicariarum Ecclesiarum quam metropolitanus, Romæ vrbis episcopus: quippe qui primatem prouinciæ & metropolitam eumdem esse censeam. si tuum mentiri est, non est meum

mihimet ipsi contradicere ac tam manifesta infi-ciari. Eodem modo ergo primas suarum prouinciarum hoc est suburbicariarum episcopus Romanus fuit, vt Mediolanensis earum quibus præerat. vterque enim metropolitanus suæ prouinciæ extitit, vterque etiam primas. Primatem porro fuisse prouinciæ suæ metropolitanæ episcopum Romanum si non aliunde scissem, vel Notitia Vaticana poterat me docere, quam ex Baronio in Epistola ad Amicum citaui quæ de suffraganeis episcopis Romani Pontificis ita scribit: *Episcopi qui dicuntur suffraganei Romani Pontificis, nulli alij primati vel archiepiscopo subiecti, qui frequenter ad Synodos vocabantur.* enumerantur deinde ibidem Romanæ prouinciæ, quæ Romani Pontificis metropolitana fuit, omnes episcopi, qui nulli alij primati quam Romano subiecti erant. Ergo Romano Pontifici tanquam suo primati & metropolitano & archiepiscopo subiecti fuerunt: Ergo suæ prouinciæ metropolitanæ, & eorum episcoporum primas & archiepiscopus fuit Romanus Pontifex. sed cur ipse negas Mediolanensem episcopum primatem fuisse? si alicui prouinciæ tanquam metropolitanus præfuit, si primus episcopus, hoc est archiepiscopus alicuius prouinciæ fuit, primas vtique fuerit eius prouinciæ cui præfuit, necesse est. qui enim minus quam Romanus? atqui non vni tantum, sed pluribus olim prouinciis ciuilibus agnoscis & fateris præfuisse. Earum igitur omnium sic dici potuit, sic esse debuit prouinciarum primas, vt Romanus dictus est,

vt reuera etiam fuit, prouinciarum primas, quibus metropolitæ iure præsidebat. At negas primates alios in Ecclesia dici posse, quam qui Ecclesiasticas multas sibi subditas prouincias haberent. Vel hoc etiam modo tibi ostendam, primatem fuisse episcopum Mediolanensem. Tu septem prouincias quæ vicario Italiæ parebant, ex duabus Italiæ diœcesibus alteram esse vis, ac totam Mediolanensi episcopo qui metropolita Italiæ dicebatur, subiectam olim fuisse: atqui constat illam diœcesin, vt vocas, tres metropoles habuisse, Rauennensem, Mediolanensem, & Aquileiensem, ac proinde tres prouincias Ecclesiasticas. illarũ septem ciuiliũ prouinciarum, & harum trium Ecclesiasticarum si caput & antistes fuit, sicut fuisse vis, archiepiscopus Mediolanensis, quin primas etiam vel ex tua primatis definitione ac notione fuerit, inficias ire non possis. falsum illud quidem est, nec enim tot prouincias sub se habuit archiepiscopus Mediolanensis, vt supra ostẽdimus. sed quum tibi verum sit, quominus illo vero, quod tuum est, constringaris, haud poteris euitare. Nos vnicam tantum prouinciam Ecclesiasticam sicut habuit reuera, archiepiscopo Mediolanensi assignamus & illius prouinciæ primatem fuisse constanter affirmamus. ita enim & ad eumdem modum prouinciæ suæ primas fuit, vt Romanus suæ, vt Aquileiensis suæ, vt Rauennensis, & reliqui Italiæ metropolitani suarum. Leo certe Papa nonus Gradensi episcopo Venetiam & Istriam subiectas debere esse sancit, tanquam primati suo & patriar-

chæ. verba eius hæc ſunt ex Epiſtola II. ad epiſcopos Venetiæ & Iſtriæ: *vnde monendo mandamus, vt præfato Gradenſi patriarchæ ſucceſſorique eius in omnibus ſecundum iura canonica, obedientes ſitis ſicut primati veſtro & patriarchæ eſſe debetis, & ſicut anteceſſoribus eius noſtri perpetuo confirmarunt.* Vides non ſolum primates, quod negabas, ſed etiam patriarchas in Italia fuiſſe. ſed quare ille patriarcha dictus ſit, alibi dictum eſt. Primas ſane non minus ſuæ prouinciæ fuit Mediolanenſis, quam Aquileienſis vel Gradenſis ſuarum. Vix tibi vnum detextum mendacium eſt, quam aliud porro texere incipis. Ego vno detecto ad alia detegenda, quæ tu adtexis procedam. ſic igitur, vt calidus es mendaciorum ſutor, ne tempus perdas, reliquum ὕφασμα continuas & concinnas: *Deinde quum primates a patriarchis non diſtinguas, & primates diœceſeon rectores dictos velis; qui conuenit vt epiſcopo Romano, & diœceſim intra centeſimum, & patriarchæ nomen tribuas, primatis non concedas?* hinc apparet quantus impoſtor ſis, καὶ ψευδῶν ἀγύρτης. Contrarium huius quod heic ſcripſiſti veriſſimum eſt. nam & primatis nomen epiſcopo Romano concedo, & patriarchæ non tribuo. Primatem agnoſco fuiſſe ſuæ prouinciæ metropolitanæ, vllius diœceſeos primatem extitiſſe nego & pernego: Ergo & patriarcham. patriarcha enim & primas diœceſeos apud me idem eſt. quomodo igitur patriarchæ nomen illi tribuerem, quem diœceſeos primatem negaui eſſe, cum præſertim patriarcham & primatem diœceſeos vnum idemque velim fuiſſe? in vo-

cibus primatis & diœcesis, quæ vario sensu accipiuntur, cauillaris semper, & præstigias facis. primatem prouinciæ Romanæ hoc est metropolitam Romanum Pontificem fuisse fateor, vllius diœceseos primatem siue patriarcham nego. non igitur illi diœcesim intra centesimum, sed prouinciam tribuo, cuius fuit metropolita siue primas. quod illam vero prouinciam, diœcesim interdum appello, more veterum multorum loquor, qui diœcesin etiam appellarunt, prouinciam vnam alicui metropolitæ subiectam. ita apud Hincmarum sumitur Epist. v. *Dilectis fratribus & venerabilibus episcopis Rhemorum diœceseos.* ibi Rhemorum diœcesis est prouincia Rhemensis. idem ad Nicolaum Papam: *non solum diœcesis, verum etiam parochia mea inter duo regna sub duobus regibus habetur diuisa.* diœcesis non tantum de prouincia, sed etiam de territorio vnius ciuitatis, quam Græci ἐνορίαν vocant, dicta est. ita accipitur multis locis apud Sidonium, & passim in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ. Græci quoque διοίκησιν ita aliquando vsurparunt. Theodoritus in συναγωγῇ canonum tit. III. περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπίσκοπον τὴν διοίκησιν ἄκλητον περιέρχεσθαι, πλὴν εἰ μὴ δι' ἐπιτροπίαν κτήσεως αὐτῷ διαφερούσης, μήτε χειροτονεῖν ὑπερορία. Hoc sensu diœcesim etiam hodieque vocamus proprie territorium episcopi. *diœcesis* etiam interdum pro parœcia, apud auctores accipitur, quales multæ sunt, intra vnum territorium siue ἐνορίαν: vt contra *parochiam* plerumque pro vnius episcopi diœcesi Græci ponunt, qui τὴν ἐνορίαν καὶ τὴν παροικίαν sæpe-

numero confundunt. quod igitur ex his variis diœceseos notionibus lectori facere fucum apparas, o præstigiator, & nobis tentas illudere, frustra est. diœcesis intra centesimum, quam vocamus episcopi Romani, & quæ suburbicarias prouincias complexa erat, ea prouincia fuit Romana metropolitana, cuius primatem & archiepiscopum fuisse Pontificem Romanum asserimus. eodem plane modo, & prouinciam suam iure metropolitani regebat archiepiscopus Mediolanensis. eam prouinciam diœcesin quoque vocauit Gregorius Magnus lib. III. Epist. III. ad Constantium episcopum Mediolanensem: *Peruenit ad nos quod quidam episcopi vestræ diœcesis, exquirentes occasionem potius quam inuenientes, sese scindere a fraternitatis vestræ vnitate tentauerint.* Diœceseos hoc sensu acceptæ primatem haud minus episcopum Romanum quam episcopum Mediolanensem fuisse dicimus. suæ quippe vterque prouinciæ primas & metropolitanus fuit. Diœceseos vero quæ plures prouincias metropolitanas complectitur, non magis primas extitit episcopus Romanus quam Mediolanensis. neuter enim illorum talem diœcesin sub sua potestate habuit. Nicolaus Papa primus *primatem diœceseos* in canone nono Synodi Chalcedonensis de Romano Pontifice interpretatur. si vllius huiusmodi diœceseos, Italiæ vt puta vel Occidentis specialem primatem fuisse agnouisset Summum Pontificem, non *diœceseos* ibi, pro *diœceseon* positum esse dixisset. Etenim reuera non vnius alicuius diœceseos, sed omnium

fuit totius orbis diœceseon primas Papa. At Nicolaus idem qui *primatem diœceseos* pro *primatem diœceseon* in Synodo Chalcedonensi dici putauit de Romano Pontifice, non cogitarat, quod posterioribus interpretibus, qui expositionem eius sequuntur, venit in mentem, diœceseos nempe nomine vniuersam Christianam diœcesin designari, hoc est vniuersum orbem. sed mirum est hanc diœcesim ignoratam fuisse Nicolao: non enim tam multis exemplis sategisset probare, tantundem ibi valere *primatem diœceseos*, ac si dictum esset, *primatem diœceseon*. ita autem scribit: *Ne vero moueat quia singulari numero, diœceseos, dictum est; quia tantumdem valet dixisse, primatem diœceseos, quantum si perhibuisset, diœceseon. plenæ enim sanctæ scripturæ tali forma loquutionis. Denique scriptum est, Fons ascendebat e terra irrigans vniuersam superficiem terræ. qui non ait, Vnus fons ascendebat e terra, sed ait, Fons autem ascendebat e terra: pro numero plurali posuit singularem, vt sic intelligamus fontes multos per vniuersam terram loca vel regiones proprias irrigantes: sicut dicitur miles, & multi intelliguntur; sicut dicta est locusta & rana in plagis quibus Ægyptij percussi sunt, cum esset innumerabilis locustarum numerus & ranarum: ita & heic diœcesin singulariter dixit: sed hanc propter vnitatem pacis & fidei, pluraliter intelligi voluit*. si diœcesim illam vniuersam & vnicam sciuisset Nicolaus, tam multa verba non perdidisset. & sane vniuersus orbis plures habuit diœceses, non vna fuit diœcesis. Vides ex illa Nicolai Papæ primi interpretatione nullius diœcesis primatem specialiter constitui Pontificem Ro-

manum, ſed generaliter omnium. Si diœcoſeos alicuius ſpeciatim primas fuiſſet, etiam patriarcha illius diœceſeos dictus eſſet. Nam *primatem diœceſeos* & πατριάρχην τῆς διοικήσεως eumdem fuiſſe ſupra vidimus. Negat Nicolaus Papa, primatem vnius diœceſeos eſſe Pontificem Romanum, cum fuerit omnium; idem quoque nego quod ille. tu propter id me reprehendis. at ego malim cum Papa errare, quam tecum recte ſentire: ſed ille nunquam errat; nec ego dum illum ſequor. Tu vero non ſolum grauiſſime erras, qui Papam vnius diœceſeos primatem facis, ſed etiam mentiris impudentiſſime qui ſcribis me Pontifici Romano patriarchæ nomen tribuere, primatis non concedere. Iam tibi dixi me primatem eum ſuæ diœceſeos intra centeſimum, hoc eſt prouinciæ Romanæ metropolitam agnoſcere. at huius diœceſeos ſiue prouinciæ cuius erat metropolita, non poterat eſſe patriarcha. nemo enim patriarcha, niſi diœceſeos quæ plures prouincias ſacras ſiue metropoles complectitur, dictus eſt. Talem nullam vnquam habuit diœceſim epiſcopus Romanus. nec igitur patriarcha nec primas diœceſeos vnquam fuit, nec a me dicendus fuit. at idem fuit omnium totius orbis diœceſeon ſecundum Nicolaum primas, aut vniuerſalis quæ omnes complectebatur diœceſes diœceſeos. ergo & patriarcha quoque omnium extitit diœceſeon. Hoc ſenſu ſi patriarcha mihi dictus eſt, me patriarcham eum voluiſſe dicere profiteor. Nam cum primus fuerit patriarcha, ac primam ſedem habue-

rit

rit inter omnes, primatem etiam ac patriarcham fuiſſe patriarcharum, cenſendum credendumque eſt. an non ſimiliter hunc eundem titulum vſurpauit patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in omnibus pari paſſu cum Romano Papa voluit ambulare? quid enim aliud ſonat πατριάρχης οἰκουμενικός? cum ille tres ſibi diœceſes ſubiectas haberet, nunquam illarum tamen ſe diœceſeon πατριάρχην inſcribit, ſed οἰκουμενικὸν πατριάρχην.

Hæc cum ita ſe habeant, quaſi ego falſus ſim, & non tu falſa ſcripſeris, ita ſcribis: *Nos enim ne ad ſcopulos iſtos tecum hæreamus, facile prouidemus, qui primates in Eccleſia eos eſſe, & dici poſſe cenſemus, qui multas ſibi, non ciuiles, ſed Eccleſiaſticas prouincias ſubditas habeant.* Bene iſtuc a te recteque prouiſum eſſe nemo negat. ſed idem feciſti, quod inſanus quidam olim gubernator, qui ne ad ſcopulum nauem frangeret, quem a longe præuiderat, in medium mare ſe iecit, periturus ipſe, & nauim relinquens perituram: atque ita ne periret, vltro ſe perdidit. ſimile plane ac geminum tuum factum: De ſcopulo ſponte præcipitem te dediſti ne ad eum hæreres. ita non hæſiſti, ſed vna te abſoluiſti plaga. & bona ſane hæc ratio eſt, vt qui mori non vult, ipſemet ſe occidat. alia etiam ratione ne hæreres, cauiſti. compedes quibus tenebaris, quum nec ſoluere nec ſcindere poſſes, crus ipſum tibi præcidiſti. an ſic ſolutus tibi videris? ſi amicus tibi eſſem, mallem ſemper hæſiſſes. Cenſes igitur, hæc tua methodus non hæſitandi, non alios in Eccleſia primates eſſe, nec alios dici

poſſe, quam qui multos ſibi ſubiectos habent metropolitanos, multiſque præſident prouinciis Eccleſiaſticis. Hoc quod falſiſſimum eſt ideo tibi adſtruendum viſum eſt, ne multa vera poſſes negare quæ tibi officere videbas. Pontificem Romanum negas ſuæ prouinciæ primatem eſſe, quem primatem vocat Notitia Vaticana a Baronio in Annalibus producta. negas Mediolanenſem, qui tamen vel tua ſententia primas eſſe debuit, cum tribus præeſſet prouinciis Eccleſiaſticis, & ſeptem ciuilibus. negas metropolitanos earum quibus præerant ac præſidebant prouinciarum primates fuiſſe. Nec ſolum metropolitani prouinciarum tibi primates non ſunt, ſed etiam diœceſeon patriarchas non putas eſſe diœceſeon quas regunt primates. quinam ergo ſunt illi quos pro primatibus habes, quibus hoc nominis impertiris? qui nimirum nec rectores ſunt prouinciarum, vt metropolitæ, nec ſedium vt patriarchæ, ſed qui diœceſes gubernant. Hos ſolos fuiſſe vis, dictos eſſe vis, diœceſeon primates. Ideo modeſte heic me geram, quia non poſſum pro tuo merito immodeſtus eſſe, nec ea in te dicere quæ mereris: cum tua imperitia modum non habeat, nulloſque fines non tranſcendat impudentia, quidquid in vtramque dicerem minus eſſet. Cum idem ſit ἔξαρχος Græcis quod *primas* Latinis, & de exarchis idem ſuperius aſſertum iueris, quod heic de primatibus aſſeris, ſimiliter hoc refellendum vt illud a me refutatum eſt. negas ſingularum prouinciarum metropolitas primates dici poſſe, aut vnquam

dictos esse : atque inde negas Mediolanensem episcopum quem in primatum numero collocaui, primatem fuisse : quia licet multarum ciuilium episcopis præesset, omnes tamen hæ prouinciæ vnicam eius Ecclesiasticam prouinciam constituebant. quid Sirmonde, homo societatis doctissime, & Claromontanæ cymbalum iuuentutis, hoccine tibi potuit vel dormitanti excidere, vt diceres eum episcopum qui archiepiscopus est, qui primus est suæ prouinciæ episcopus, qui primam sedem in prouincia sua tenet, qui primæ sedis episcopus dicitur, qui prouinciæ suæ præest ac præsidet, primatem suæ prouinciæ non fuisse? quid aliud primas quam primus? quid aliud metropolitanus, quam primus episcopus? quis primus episcopus nisi qui primæ sedis? quis primæ sedis, nisi primas prouinciæ? quis primas prouinciæ nisi metropolitanus, quem & Græci ἔξαρχον τῆς ἐπαρχίας vocant? cum in Synodo Sardicensi can.VI. ἔξαρχος ἐπαρχίας pro metropolitano ponitur, quomodo aliter Latine reddi potest, quam *primas prouinciæ?* & quum Euagrius lib. IV. Hist. Eccles. cap. XI. metropolitanos vocat τῶν ἐπισκόπων ἐξάρχους, an non *episcoporum primates* liceat vertere? immo aliter non liceat. Et bene est quod fateris ipse Græcorum ἔξαρχοι idem esse quod Latinorum *primatem.* ἔξαρχος enim Græce is est, vt *primas* Latine, qui quaque in re præest, & principem locum tenet. idem nempe quod *primus*, idem quod *princeps*. hinc & *principem locum*, & *primum locum*, & *primatem* etiam *locum*, Latini passim de primatu

dicunt, quod Græci πρωτεῖον, & προεδρίας & προεστασίας & ἐξαρχίας etiam appellant. Glossæ veteres: *Primatus*, πρωτεῖον. *principatus*, προέδρα, προεδρία. Et *princeps* πρόεδρος, idem qui & primus siue primas. eædem Glossæ: *Primores*, πρωτοστάται καὶ πρόεδροι. *Primores*, ἔξαρχοι, πρωτοστάται. *princeps*, πρωτοστάτης, προεστώς. *Princeps*, πρωτοπολίτης, ἔξαρχος. *proceres*, ἔξαρχοι, πρωτοπολῖται. *primus*, πρῶτος, in Glossis Græcolatinis: πρῶτοι, *primores*, *primates*. sic primi, primores, primates, principes, proceres, iidem qui Græcis, πρόεδροι & ἔξαρχοι, & πρωτοστάται, & προεστῶτες. illius igitur est negare metropolitam suæ prouinciæ primatem dici posse, qui potest negare πρόεδρον illum esse, & προεστῶτα & ἔξαρχον, & πρῶτον ἐπίσκοπον & ἀρχιεπίσκοπον prouinciæ illius cui præest, & quam iure primi episcopi regit. Nunc vide Sirmonde an tuum sit, an in te sit hoc inficiari? Tu primatem dioeceseos dici concedis illum episcopum qui dioecesi præsidet: cur eum qui prouinciæ præest, primatem prouinciæ appellari non posse contendis? quæ res, quæ ratio potest efficere, vt dioeceseon rectores, dicantur dioeceseon primates; & primates prouinciarum non dicantur, qui prouinciarum sunt rectores? sed cum ratione insanire est, rationem ab illis exigere qui nullam habent. desipiant qui sapere non possunt, & decipiantur qui decipi volunt. Ἔξαρχος apud Græcos, vt primas apud Latinos, tam ἐν κοσμικοῖς quam ἐν πνευματικοῖς, nunquam peculiare certæ cuiusdam dignitatis aut præfecturæ nomen fuit, sed omnibus commune, qui quacun-

que in re primi, cuicunque rei vel officio præfecti præpositique fuere. Principes & primores ciuitatis, quos πρωτοπολίτας Græci vocant, Latini *primates vrbium* dicunt, vt Græci ipsi ἐξάρχους. *Primates & principes officiorum* in Codice Theodosiano, οἱ τῶν τάξεων ἔξαρχοι. Primates vicorum, castellorum, vrbium in eodem Codice, qui vrbium, castellorum & vicorum præfecti erant, quos Græci etiam ἐξάρχους dicerent. in militia ἔξαρχοι ταγμάτων, agminum aut ordinum præfecti, vel magistri. Constantinus de Thematibus lib. I. ὥσπερ ἐπὶ τῶν κάτω χρόνων, καὶ ἕως Ἰουστινιανοῦ μάγιστρος ἐπέμπετο τοῖς τάγμασιν ἔξαρχος. male mutant ibi viri docti ἔξαρχος in ἔπαρχος. *Exarchi* etiam meminit vetus inscriptio quæ ita habet: *Aurelio Ianuario signifero ex numero Dalmatarum fortium, & Aurelio Valentiano exarcho posuit Aurelius iustus pater Ianuarius.* præfectus numeri Dalmatarum fortium, *exarchus* ibi appellatur. sic ἔξαρχος τῶν ἱερῶν apud eosdem Græcos dicitur, quem Latine præpositum vel magistrum sacrorum liceat dicere. atque ita appellantur præfecti & hierophantæ sacrorum, hoc est ἔξαρχοι καὶ ἱεροφάνται τῶν ἱερῶν, leg. XIV. Cod. Theod. *de paganis sacrificiis.* vbi perperam hodie scribitur, *hierophantæ agrorum.* Hi sacrorum præfecti & magistri, aliud atque aliud nomen habebant in diuersorum sacris deorum. in sacris Mithræ, sacerdotes omnes vocabantur *patres sacrorum.* apud Eunapium nescio quis philosophus dicitur πατὴρ τῆς Μιθριακῆς τελετῆς fuisse. omnium horum patrum siue totius ordinis Mithræ sacerdo-

tum summus erat vnus & magister, qui *pater patrum* dicebatur, hoc est primus patrum. in sacris Liberi patris, *Archibucolus*, præfectus & magister sacrorum sacerdotumque indigetabatur: in sacris Hecates, *Hierophanta:* in sacris Serapidis, ἀρχιεπιπρέτης: in aliis eorum Deorum sacris qui oracula reddere existimabantur, ἀρχιερεὺς καὶ προφήτης. de quibus nos alibi plura. ἔξαρχος igitur τῶν ἱερῶν, & τῶν ἱερέων, generalis appellatio est omnium qui sacris præsident, & sacerdotibus præsunt, quos ἀρχιερεῖς Græci appellant, & ἱερέων ἀρχηγούς. Nam ἀρχιερεὺς & πρῶτος ἱερεὺς, & ἱερέων ἀρχηγὸς & ἱερέων ἔξαρχος eadem sunt. ἔξαρχος τῶν ἱερῶν legitur apud Plutarchum in vita Numæ: ἀρχηγὸς τῶν ἱερέων in veteri inscriptione ante aliquot annos Diuione effossa in vinea quadam suburbicaria. ita autem habet: Μίθρης ἐν ὀργάσι σῶμα τὸ χῶμα καλύπτει Χινδώνακτος ἱερέων ἀρχηγοῦ. δυσσεβὴς ἀπέχου. Λύσιοι κῶιν ὁρῶσι. qua de inscriptione nos fusius in editione Græcarum inscriptionum. Non aliter aut alio sensu hanc vocem ἔξαρχος vsurparunt sacri scriptores quam exotici. ἔξαρχον τῆς συνόδου dixere, qui concilio præsidebat, qui *concilij primas* dicitur in canonibus Ecclesiæ Africanæ. ἔξαρχοι τῶν μοναστηρίων, caput & primatem monasteriorum qui multis monasteriis præerat & archimandritis. sic ἔξαρχον τῶν ἐπισκόπων metropolitam, qui multos episcopos sub se habebat, & ἀρχιεπίσκοπον appellarunt. nam πρῶτος ἐπίσκοπος, & ἀρχιεπίσκοπος & ἔξαρχος τῶν ἐπισκόπων de metropolita res eadem prorsus erat. in Epistola Ibæ Edesseni episcopi quæ Chalcedonen-

ſis Synodi geſtis inſerta legitur, ἔξαρχοι τῶν ἐπισκόπων metropolitæ vocantur: διὰ ταύτην τὴν φιλοτιμίαν οἱ νικηταὶ καὶ εὐσεβεῖς βασιλεῖς ἐκέλευσαν τοὺς ἐξάρχους τῶν ἐπισκόπων εἰς τὴν Ἐφεσίων πόλιν συναχθῆναι. iidem etiam ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν appellantur, hoc eſt prouinciarum primates, quia multi epiſcopi in ſingulis prouinciis. Matthæus Blaſtares de epiſcopis accuſatis ex can. xx. Synodi Carthaginenſis: μήτε δὲ πρὸς τὸν τῆς ἐπαρχίας ἔξαρχον, μήτε μὴν πρὸς τὴν ἐτησίως γινομένην σύνοδον ἀφίκεσθαι φροντίσας αὐτὸς καθ' ἑαυτοῦ τὴν δίκην ἐξενήνοχεν. ἔξαρχον τῆς ἐπαρχίας metropolitanum vocauit, qui *primas prouinciæ* appellatur canone ix. Concilij Carthaginenſis, vbi hæc eadem ferme verba leguntur. eodem modo ἔξαρχον τῶν μητροπολιτῶν & ἔξαρχον τῆς διοικήσεως dixere, qui multis non ſolum epiſcopis, ſed metropolitanis præſidet, nec prouinciam tantum ſingularem regit, ſed ſolidam integramque diœceſim, multas prouincias complexam. Atque is eſt patriarcha diœceſeos vel primas. Nec dubitandum etiam quin ſingularum ciuitatum epiſcopi, ἔξαρχοι ſimiliter τῶν ἱερέων dici queant, qui multos ſub ſe ſacerdotes ſiue preſbyteros habebant. vt enim patriarcha ἔξαρχος eſt τῶν μητροπολιτῶν, & metropolita ἔξαρχος τῶν ἐπισκόπων, vnde & archiepiſcopus dicebatur: ſic epiſcopus ἔξαρχος τῶν ἱερέων, atque etiam ἀρχιερεὺς, ſacerdotum nempe primus & princeps. nec aliter quam de epiſcopo ſumitur hæc vox ἀρχιερεὺς in conſtitutionibus Clementis. poſtea de ſolis metropolitis & patriarchis vſurpari cœpit, & κατ' ἐξοχὴν quidem de

patriarchis. hinc ἀρχιερατικὸν δίκαιον, τὸ πατριαρχικόν, vt ſupra notauimus.

Quemadmodum autem tres præcipui gradus erãt epiſcoporum, patriarchæ nempe, metropolitæ, & epiſcopi: ſic tres etiam præcipui gradus & ordines fuere τοῦ ἱερατικοῦ καταλόγου, epiſcopi, preſbyteri, & diaconi. qui primus & ſummus gradus erat ſacerdotum, is vltimus & infimus fuit epiſcoporum. primus preſbyter dicebatur epiſcopus: primus epiſcopus, metropolita: primus metropolita, patriarcha. Epiſcopus primi ordinis erat ſacerdos, reliqui preſbyteri ſecundi: metropolita, primæ ſedis erat epiſcopus, ceteri epiſcopi ſecundæ ſedis: patriarcha, primæ ſedis erat metropolita, ceteri metropolitani ſecundi. vt primatum epiſcopus inter ſacerdotes tenebat, ſic inter epiſcopos metropolitanus, inter metropolitanos patriarcha. Auguſtinus: *quid eſt epiſcopus niſi primus preſbyter, hoc eſt ſummus ſacerdos?* Ambroſius comment. in Epiſt. ad Epheſios: *Nam in epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus ſacerdos eſt, hoc eſt princeps ſacerdotum, & Propheta & Euangeliſta*, &c. Hinc *ſecundi ordinis ſacerdos*, & *antiſtes ordine in ſecundo* apud Sidonium Apollinarem de preſbytero qui ſecundi ordinis ſacerdos, & proximus poſt epiſcopum, qui primus & primi ordinis preſbyter, vt recte a te animaduerſum. quod ſi ſic omnia obſeruaſſes, non ὑπόδρομον Græce dici pro tecta porticu ſcripſiſſes, nec *hypodromum* apud eumdem Sidonium pro *hippodromo* correxiſſes. ſed hæc non ſunt huius loci. vt *primi* autem *ordinis preſbyter*, & *primus ſacerdos*, dicebatur

dicebatur episcopus, reliqui vero presbyteri, *secundi ordinis sacerdotes:* ita & *primæ sedis episcopum*, & *primum episcopum* mos erat appellari qui metropoli hoc est primæ ciuitati præsidebat, cum ceteri comprouinciales episcopi, *secundæ sedis episcopi* dicerentur. Constantinus Magnus in Epistola ad episcopum Syracusanum qui Siciliæ metropolita fuit: ἵνα λαβὼν παρὰ τοῦ λαμπροτάτου Λατρωνιανοῦ τοῦ κοῤῥήκτορος Σικελίας δημόσιον ὄχημα συζεύξας ἑαυτῷ καὶ δύο γε τινὰς τῶν ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου οὓς ἂν σὺ καὶ αὐτὸς ἐπιλέξασθαι κρίνῃς. episcopi τοῦ δευτέρου θρόνου, sunt singularum ciuitatium episcopi qui primæ sedis episcopo, hoc est primati siue metropolitano suberant. *prima sedes* & *primatus*, & *principatus* idem est. προεδρίαν Græci vocant, & πρωτεῖον. qui primatum igitur habebat in prouincia, qui primam sedem tenebat, an non is prouinciæ primas erat? ὦ κωμῳδῆτα, an poteris nunc negare Mediolanensem episcopum qui primatum & primam sedem in sua prouincia habebat, qui primus episcopus erat, suæ prouinciæ primatem fuisse? vt prima autem sedes in prouincia metropolitani, ita prima sedes in tota diœcesi primi metropolitani dicebatur qui & patriarcha. hinc *primates diœceseon* dicti sunt patriarchæ, vt *primates prouinciarum*, metropolitæ. sed de primatibus diœceseon paulo post, nunc de primatibus prouinciarum hoc est metropolitanis absoluamus.

Metropolitanum prouinciæ Græci simpliciter πρῶτον appellare consueuerunt. is enim primus episcopus est qui primam & maximam prouinciæ

ciuitatem metropolitani iure administrat, totique adeo prouinciæ præest, & omnes sub se habet episcopos, tanquam omnium caput & primas. Canones Apostolorum can. XXXIII. τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης. de metropolitano intelligit. titulus huius canonis in libris veteribus Latinis *de primatu episcoporum*. qui primatum habet episcoporum totius prouinciæ, qui & archiepiscopus dictus est, an non est primas episcoporum & prouinciæ totius? an non ita recte dici potest? Aristenus in Synopsi canonum Nicenorum, τὸν πρῶτον vocat, qui in sexto Niceno canone dicitur μητροπολίτης. ita enim illum canonem concepit: Εἴ τις ἢ ἐπίσκοπος τῆς τοῦ πρώτου δίχα γένηται γνώμης, μὴ ἔστω ἐπίσκοπος. pro eo quod est in ipso canone, Εἴ τις χωρὶς γνώμης μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον. ὁ πρῶτος igitur est ὁ μητροπολίτης. Balsamo ad can. XII. Synodi Chalcedonensis τὸν πρῶτον vocat & interpretatur metropolitam: τὰ μὲν τῇ ὀφείλοντα εἶναι δίκαια παρὰ τοῦ πρώτου, ἤγουν μητροπολίτου κατὰ τῆς ἐκκλησίας τῆς τιμηθείσης ἀπὸ ἐπισκοπῆς εἰς μητρόπολιν, ἐζήτησάν τινες. Si πρῶτον Græci absolute dixerunt pro metropolitano, cur non liceat Latinis pro eodem *primatem* dicere? immo quid est aliud *primas* Latine quam Græce ὁ πρῶτος? & quis porro *primas* apud eosdem Latinos nisi *primus?* sane idem summus & summas. optimus & optimas: supernus & supernas. in gentilibus quoque vrbium & prouinciarum hac

forma Latini vsi sunt, vt Rauennatem dicerent pro Rauennensi: Misenatem pro Miseno vel Misenensi, Thessalatem pro Thessalo vel Thessalico. In nominibus etiam propriis hac terminatione non abstinuerunt: nam & *Trophimatem* dixere pro Trophimo, & *Geminatem* pro Gemino, & *Decimatem* pro Decimo, & alia sexcenta. primus igitur & primas idem. Glossæ: *πρώτοι, primi, primates.*

Argumentis probauimus metropolitanos singularum prouinciarum dici posse primates; nunc testimoniis etiam comprobemus ita dictos esse. Vtrumque tu negasti. Notitia prouinciarum Ecclesiasticarum, quæ prouincias omnes totius orbis metropolitarum recenset, & metropolitanam episcopi Romani primo loco ponit, episcopos per eam prouinciam constitutos solius Romani Pontificis suffraganeos supra sexagenos enumerat, qui *nulli alij primati vel archiepiscopo subiecti fuere.* hæc enim ibi verba leguntur. Ergo suffraganei illi episcopi, Pontificis Romani, & in prouincia Romana positi, episcopo Romano tanquam primati suo & archiepiscopo siue metropolitano subiecti erant: ergo primas ibi idem est quod archiepiscopus vel metropolitanus: Ergo prouinciæ suæ metropolitanæ primas & archiepiscopus fuit episcopus Romanus. Siricius Epist. IV. ad episcopos Africanos: *primum vt extra conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est primatis, nemo audeat ordinare. integrum enim iudicium est quod plurimorum sententia confirmatur.* nemo existimet *sedem Apostolicam* ibi esse Romanam, aut primatem

a Siricio intelligi Romanum Pontificem. per *primatem* quemlibet metropolitanum ſiue primæ ſedis epiſcopum ſignificauit Siricius. Hæc enim regula ex Niceno Concilio eſt, *vt extra conſcientiam metropolitani nemo epiſcopum ordinaret*, χωρὶς τοῦ μητροπολίτου γνώμης. quod Ariſtenus & Symeon magiſter in ſuis canonum compilationibus dixere, δίχα τῆς τοῦ πρώτου γνώμης: *ſine ſententia primatis*. Scribit hæc Siricius ad Africanos epiſcopos: in Africa autem omnes metropolitani ſingularum prouinciarum, dicebantur *primates*. præterea quem Siricius *primatem* dixit, Innocentius in Epiſtola ad Victricium Rothomagenſem, in eodem canone Nicenæ Synodi referendo *metropolitanum* appellat. Hæc eius verba ſunt eadem plane cum Siricij verbis: *primum vt extra conſcientiam metropolitani epiſcopi nullus audeat ordinare epiſcopum. integrum enim eſt iudicium quod plurimorum ſententiis confirmatur. Primas* igitur Siricio eſt qui metropolitanus apud Innocentium. Apoſtolicam autem ſedem pro qualibet metropolitana ſede dixit idem Siricius. omnes enim *primæ ſedes* quales erant metropolitanorum, Apoſtolicæ olim dicebantur. Baſilius Epiſt. LV. ad Ambroſium Mediolanenſem, gratulatur ei quod a iudicibus ſæculi tranſlatus ſit ad ſedem primam Apoſtolorum: ἀλλ' αὖθίς σε ὁ κύριος ἀπὸ τῶν κριτῶν τῆς γῆς, ἐπὶ τὴν προεδρείαν τῶν ἀποστόλων μετέθηκεν. ἡ προεδρεία τῶν ἀποστόλων, prima ſedes Apoſtolica. quare Apoſtolicæ ſedis & primæ ſedis epiſcopus, & primas idem eſt, prouinciæ nempe metropolitanus. Nec metropo-

litani tantum Apoſtolici, ſed omnes etiam olim ſingularum ciuitatium epiſcopi ita vocabantur, & Apoſtolicæ eorum ſedes. id iam a doctis obſeruatum eſt. Sidonius lib. vi. Epiſt. i. ad Papam Lupum Tricaſſium epiſcopum: *Cum poſt deſudatas militiæ Lirinenſis excubias, & in Apoſtolica ſede nouem iam decurſa quinquennia, vtriuſque ſanctorum ordinis te conclamatiſſimum primipilarem ſpiritalia caſtra venerentur.* Ad rem redeamus. primas prouinciæ eſt metropolitanus. Cæleſtinus apud Hincmarum *primatem metropoleos* vocat τὸν μητροπολίτην: *ſic ab omnibus prouinciæ coepiſcopis, qui a primate ſuæ metropolis ordinantur, conuenit ſecundum ſacras regulas obediri, & pro eo Dominum ſupplicari, quoniam incolumitas præſidentis, ſalus eſt ſubditorum.* Idem Hincmarus primatem Rhemorum prouinciæ ſe vocat, cap. xvi. *Et ſi aliis primas fortaſſe non eſſem, tibi tamen apud te primas eſſe debueram: nam ſignaculum primatus mei tu es, quem ſine interrogatione primatis alterius, cum conſenſu coepiſcoporum Rhemenſis prouinciæ potui ordinare epiſcopum.* eod. cap. paulo ſuperius: *attamen velis nolis, ſanctus Hormiſda tibi oſtendet primatem eſſe huius prouinciæ illum qui in ſede beati Remigij apud Rhemorum metropolim eſt ordinatus epiſcopus.* Idem cap. xvii. *quibus & aliÿs ſacrorum canonum & decretis ſedis Romanæ claret ſententiis, eoſdem metropolitanos primates eſſe ſingulos ſingularum prouinciarum, qui ex antiqua vt præmiſimus conſuetudine, & Apoſtolica traditione ſecundum ſacros Nicenos canones, & conuocare Synodos & ordinare epiſcopos, & ordinari a prouincialibus ſine cuiuſquam alterius primatis interrogatione poſſunt, &*

disponere regulariter quæque per suas prouincias queant. quorum etiam priuilegium Antiocheni canones manifestant dicentes, ad metropolitanum episcopum sollicitudinem totius prouinciæ pertinere. sequitur apud eumdem: *illi autem archiepiscopi vel metropolitani qui hæc sine consultu primatis non possunt exequi, archiepiscopi tantum vel metropolitani habentur.* ἔξαρχοι quoque τῶν ἐπαρχιῶν apud Græcos, hoc est prouinciarum primates, soli illi dicebantur metropolitani, qui episcopos ordinare poterant sine cuiusquam patriarchæ permissu, vt metropolitani omnes sub patriarcha Constantinopolitano, qui ἔξαρχοι sunt dicti, episcopos suos ordinandi potestatem habebant inconsulto ipso patriarcha; reliqui quibus nulli suberant episcopi, metropolitani tantum & archiepiscopi vocabantur, non etiam exarchi, vt superiori capite pluribus ostendimus. Idem Hincmarus cap. XXXVI. *quicunque igitur primates prouinciarum a Domino constituti, & Apostolica auctoritate confirmati, sed & quique Catholici episcopi, de certis & manifestis rebus inconuulse seruandas habemus sententias.* & paulo post: *non ergo ea quæ per me qualemcunque metropolitanum & primatem Rhemorum prouinciæ, ad cuius curam secundum sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum sollicitudo pertinet totius prouinciæ.* Metropolitanus igitur ille ad quem totius prouinciæ pertinet sollicitudo, Latine *primas prouinciæ* dicitur, vt Græce ἔξαρχος ἐπαρχίας: ceteri qui metropolitarum nomine honorati fuerant, metropolitani duntaxat & archiepiscopi, non etiam *primates* vel ἔξαρχοι vocabantur. itaque non solum qui

diœceſes Eccleſiaſticas integras regerent, diœce-ſeon primates aut exarchi dicti ſunt, ſed & qui prouincias adminiſtrabant, earum nuncupati ſunt, quibus præerant prouinciarum, primates & ἔξαρχοι. quid hæc contra nunc dicere poſſis aut hiſcere? errare me vehementer ſcribis, ſi nullum inter ciuiles & Eccleſiaſticas, vel prouincias, vel diœceſes diſcrimen facio. Fateor hoc tibi Sirmonde, vehementer erro ſi non facio: ſed ſi facio non erro. oſtende primum me nullum facere diſcrimen inter ciuiles & Eccleſiaſticas prouincias, tum deinde me argues erroris. *Erras*, inquis, *ſi hoc putas*. o bipedum lepidiſſime, ego tibi dico me non hoc putare, quod illi qui putant errant; cur igitur me dicis errare? diſcrimen ſcio fuiſſe prouincias inter Eccleſiaſticas & ciuiles; & diœceſes inter ciuiles & Eccleſiaſticas. quos prouinciarum primates dictos eſſe aio, non aliarum quam Eccleſiaſticarum fuiſſe prouinciarum metropolitanos intelligo: quos vero diœceſeon primates vocari dico, non alias diœceſes quam Eccleſiaſticas rexiſſe ſentio. an hoc errare eſt, & nullum diſcrimen inter ciuiles & Eccleſiaſticas prouincias diœceſeſque agnoſcere? Tu ſolos eos in Eccleſia primates eſſe ac dici poſſe aſſeris, qui multas ſibi non ciuiles, ſed Eccleſiaſticas prouincias ſubditas habebant. Ego ſingularum etiam prouinciarum metropolitanos, non ſolum dici poſſe, ſed etiam dictos eſſe earum quas ſibi ſubditas habebant prouinciarum primates, & heic & in Epiſtola tibi oſtendi. Primates in Galliis vulgo non

eosdem, nec eodem sensu dictos esse demonstraui, quo in Africanis regionibus dicerentur: & cum primates Africanos & Gallicanos in Censura tua eosdem fecisses, & eiusdem ordinis, notum omnibus feci, diuersos fuisse, ac primates per Africam singularum prouinciarum metropolitanos appellatos esse: per Gallicanas vero regiones, non alios vulgo primates vocari consueuisse, quam diœceseon Ecclesiasticarum primates, qui primas scilicet sedes in vnaquaque diœcesi tenerent, quique pluribus prouinciis præessent. Quorsum igitur hoc loco a te iniecta mentio de prouinciarum ac diœceseon ciuilium & Ecclesiasticarum discrimine? quam ad rem istud? non heic agitur an ciuiles tam diœceses quam prouinciæ semper eædem fuerint cum Ecclesiasticis, sed an prouinciarum primates dici possint aut dicti sint, qui prouinciis singulis præsunt, quemadmodũ diœceseon primates dictos fuisse fateris qui prouincias regebant. Hic cardo quæstionis est. ad hanc quæstionem nihil pertinet distinctio ciuilium & Ecclesiasticarum administrationum. quis nunc non tecum fatetur omnium canonum sententia illos confutari qui eas non distinguunt? *etenim,* inquis, *si pro ciuilium administrationum modo ac numero Ecclesiasticæ censendæ sunt, qui factum vt in Gallia, vbi diœcesis olim vnica fuit, primates sint multi?* Demus hoc tibi, nec litigemus, vnicam ciuilem fuisse in Gallia diœcesim, multas Ecclesiasticas, atque inde primates esse multos. Concedamus istud etiam, ne rixandum habeamus, in Britannia

tannia insula quum prouinciæ quinque ciuiles fuerint, Ecclesiasticas quinque neminem numerare. Donemus hoc quoque tuo magisterio, vt ignorari non oporteat in Africa Cypriani æuo vnicam fuisse prouinciam, quæ Numidiam etiam & Mauritanias duas complecteretur. quodcunque voles tuo arbitratu sume & aufer: vna Ecclesiæ Africanæ prouincia tum fuerit, cum ciuiles essent iam multæ. Ad rem qua de agitur quid hoc facit? an non plures postea etiam Ecclesiasticæ fuere? fateris hoc ipse: non igitur fidiculis torqueberis. Ergo post Constantinum Africana vna non solum ciuilis fuit diœcesis, verum etiam Ecclesiastica, quæ ex pluribus prouinciis non solum ciuilibus, sed etiam Ecclesiasticis constabat. Heic nunc illud quærimus, hoc ad rem solum pertinet vt sciamus, harum prouinciarum singulis qui præerant metropolitani quo nomine sint appellati. Super hoc cardine, vt iam diximus, quæstio vertitur tota. Si singularum Africanæ diœceseos prouinciarum metropolitæ, primates aliquando sunt vocati, nos vicimus, qui metropolitas omnes, primates prouinciarum fuisse, & per Africam ita passim dictos esse contendimus. si vero primates nunquam fuere nuncupati qui singulis prouinciis Africanis præsidebant, tum tu viceris, atque ego tibi libens ac merito herbam porrexero. quid est? an conditionem hanc quam tibi fero, recusabis? Tu cui persuasum esset, aut qui persuasum nobis velles, non aliud esse primatem quam multarum prouinciarum caput, excepto episcopo Car-

thaginensi qui totius Africæ prouinciarum primas fuit, nullum alium per Africam metropolitam primatis nomen habuisse affirmabas. quid igitur? quomodo alij vocabantur singularum Africæ prouinciarum metropolitæ? *Primæ,* inquis, *sedis episcopi.* Sed ne quis me tibi imponere censeat, aut tanto miraculo attonitus parum mihi fidei habeat, verba ipsa tua heic referam quibus credat, si quis posset dubitare: *Vna ergo Ecclesiæ Africanæ prouincia tum erat, quum ciuiles essent multæ. postea Ecclesiasticæ etiam plures fuerunt: quarum singulis qui præerant, primæ sedis episcopi vocabantur, id est metropolitani. Horum autem omnium caput, hoc est totius Africæ prouinciarum primas, tua etiam confessione, episcopus Carthaginensis, idem videlicet qui prouinciæ vniuersæ præfuerat cum vnica tantum esset. Hæc enim primatum est origo. Nam primas quid aliud est quam multarum prouinciarum caput?* nihil in his sani. primas diœceseos, multarum prouinciarum est caput. hoc verum: sed primas etiam prouinciæ, siue metropolita dicitur, qui vnius est prouinciæ duntaxat antistes. Episcopus Carthaginensis Africæ proconsularis quæ vna fuit ex Africanæ diœceseos prouinciis, primas fuit, hoc est metropolitanus. idem quoque, quia prima illa, cui præerat, totius erat diœceseos prouincia, primus Africæ primas fuit, atque etiam vniuersæ diœceseos primas. quod autem scribis ceteris Africanis prouinciis qui præerant, primæ sedis episcopos vocatos esse, primatem vero totius Africanæ diœceseos solum dictum esse episcopum Carthaginensem, an non aut

iocularis inscitia est, aut mirabilis impudentia? quod enim in vniuersum negaueras, alios dici posse vel dictos esse primates, quam diœceseon rectores, tu propterea solum episcopum Carthaginensem in Africa primatem fuisse vis, reliquos metropolitas non primates, sed primæ sedis episcopos appellatos. nam si primates & illi vocati essent, sequebatur verum esse, quod dixeramus, primates aliter in Africa appellari, aliter in Gallia: nec primates eos tantum esse qui diœcesibus præessent, verum etiam prouinciarum primates vere dictos fuisse qui singulas prouincias regebant. Hoc telum vt exires, non minima tantum veri declinatione opus fuit, sed etiam veritati vis prorsus fuit facienda, vel maxima. aperte enim negari debuit, quod aperte verum esse sciri oportuit. At negarem te Sirmondum esse, nisi aut negares quæ confitenda sunt, aut fatereris quæ neganda. Ego dixeram in Epistola, primates in Africa vocari singularum prouinciarum metropolitas: vt negares primates vocatos, quia tibi istud nocebat, & contra te prorsus faciebat, primæ sedis episcopos appellatos duntaxat asseuerasti, primatem vero totius esse Africæ episcopum Carthaginensem. o versutum, o doctum, o acutum sinciput! nulla sphæra, nullus orbis est, nulla pila, nullus globus est acutior isto Sirmondino acumine. vt doctus docte repperit, vt astute excogitauit rationem qua negaret primates dici metropolitanos! primæ sedis eos episcopos appellari affirmauit. Bone vir, bona fide dic, primæ sedis illos

per Africanam diœceſim epiſcopos, hoc eſt metropolitas, an non etiam primates dici potuerunt? an non etiam ita dicti ſunt? primæ ſedis epiſcopus quis alius eſt quam primas? quis porro primas eſt, niſi primæ ſedis aut primus epiſcopus? ſi primas primus eſt, & primus primæ ſedis epiſcopus, primatem quoque & primæ ſedis epiſcopum eumdem oportet eſſe. At tu pro tua iſta inſigni doctrina, in qua parem & ſecundum neminem habes, primæ ſedis epiſcopum de ſolo metropolitano vnius prouinciæ antiſtite, primatem vero de rectore diœceſeos, qui multarum prouinciarum caput eſt, dici & accipi pronuntias. in ſingulis prouinciis prima ſedes erat, metropolitana ciuitas: ideo primæ ſedis epiſcopus dicebatur metropolitanus. quid? in vnaquaque diœceſi an nulla prima ſedes fuit? immo fuit. nam prima ciuitas in prouincia, hoc eſt metropolis, prima ſedes prouinciæ cenſebatur. ſic prima prouincia in diœceſi, hoc eſt prima metropolis, totius diœceſeos prima ſedes fuiſſe cenſeri debet. Lugdunum prima ſedes olim Galliarum dicta eſt, vt infra oſtendam. Lugdunenſis itaque antiſtes non ſolum primas quinque Lugdunenſium, ſed etiam primæ ſedis per totam diœceſim fuit epiſcopus. vetus verſio Concilij Chalcedonenſis in veteri Canonum compilatione quæ habetur in membranis Bibliothecæ Thuanæ, ἔξαρχοι τῆς διοικήσεως, *primam ſedem diœceſeos* vere & eleganter reddit. ita enim canonem nonum ſupradictæ Synodi interpretatus eſt, qui verſionis illius auctor

fuit: *Si quis clericus cum clerico cauſam habeat, & ad iudicia ſæcularia currat, epiſcopum ſuum non deſerat, ſed prius apud epiſcopum ſuum examinet cauſam, aut certe cum voluntate ipſius cauſa dicatur. apud quos vtræque partes voluerint iudicium continebunt. Si quis autem contra hæc venire tentauerit, canonicis interdictis ſubiaceat. Si vero clericus habeat cauſam cum extraneo epiſcopo vel cum ſuo, apud Synodum prouinciæ cauſam dicat. Si autem epiſcopus aut clericus diſceptationem habeat cum metropolitano epiſcopo, aut ad diœceſeos primam ſedem recurrat, aut ad ſedem Conſtantinopolitanam apud quam cauſa dicatur, & apud ipſum iudicetur.* Et canonem XVII. eiuſdem Synodi idem interpres ita reddidit: *ſi quis autem a metropolitano ſuo epiſcopo male tractetur, apud primam ſedem ſuæ diœceſis, vel apud Conſtantinopolitanam, cauſam dicat, ſicut ſuperius comprehenſum eſt.* qui in Græcis canonibus dicitur ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, in ea verſione *prima ſedes diœceſeos* appellatur. ſic non ſolum primæ ſedes metropolitanorum dictæ ſunt, ſed etiam exarchorum diœceſeon. ſed & primates non tantum appellati ſunt diœceſeon exarchi ſiue patriarchæ, verum etiam prouinciarum exarchi id eſt metropolitani. primas enim, & exarchus, & primæ ſedis epiſcopus, communes appellationes fuerunt tam patriarchis quam metropolitis. nam vt patriarchæ, exarchi & primates diœceſeon fuere, & primas ſedes in ſuis ſinguli diœceſibus habuere: ſic metropolitas, & prouinciarum ſuarum exarchos ſiue primates fuiſſe credendum eſt, & primas ſedes, in illis quibus præerant prouinciis habuiſſe. Hoc

tam sæpe dictum, quam sæpe redicendum fuit, vt verum id esse docerem te! nunquam tamen disces, nunquam didicisse fateberis: ita contumax & rebellis spiritus ille qui te regit, insanum in modum veritati repugnat.

Sed licet temet in omnia vertas, omnia quamuis facias vt hoc ne facias, velis nolis illud omnino tamen tibi fatendum erit, metropolitanos singularum Africanæ diœceseos prouinciarum, non primæ tantum sedis episcopos, verum etiam primates appellatos esse. rem adeo notam, adeo confessam quam nec pueri nesciunt, te tantum antiquarium vel ignorasse, vel negare potuisse, mirum fortasse aliis videatur quibus notus non es: Ego mirarer, qui te noui, si adeo manifestum quum sit & verum, fateri semel hoc in animum induxisses. Vetus tibi cum pelle pilus exuendus esset. Ceterum quo magis id neges, atque insignitius porro impudens sis, lubet in re cognitissima, atque indubitatissima, nihil aduersus te profuturam testium turbam excitare, & multa heic testimonia congerere quibus constet, non solum archiepiscopum Carthaginensem, quod ais, sed omnes Africæ metropolitanos, quod negas, primates fuisse dictos. Et quid facilius factu quam hoc probare, cum singulæ paginæ Codicis Africanorum canonum plenæ sint huiuscemodi primatibus? canon XVI. ita habet: *Ab vniuersis episcopis dictum est: a nobis veterum statuta debere seruari, sicuti & inconsulto primate cuiuslibet prouinciæ tam facile non præsumant multi congregati episcopi episcopum ordi-*

nare. an primas cuiuslibet prouinciæ, ibi de solo Carthaginensi intelligendus? an quælibet prouincia de solo proconsulari, in qua Carthago? canon XVII. *Placuit vt Mauritania Sitifensis, vt postulauit, primatem prouinciæ Numidiæ ex cuius cætu separatur, vt suum habeat primatem: quem consentientibus omnibus primatibus prouinciarum Africanarum, vel omnibus episcopis propter longinquitatem habere permissa est.* singulæ, vt vides, prouinciæ Africanæ primatem suum habebant. quo igitur ore, qua fronte dicis solum prouinciæ proconsularis metropolitam, episcopum Carthaginensem, primatem fuisse Africæ, atque ita appellatum esse? *Primas Numidiæ* in suprascripto canone vocatur, qui can. x. eiusdem Codicis, *primæ sedis prouinciæ Numidiæ* dicitur: *Valentinus primæ sedis prouinciæ Numidiæ dixit*. can. XIX. *quisquis episcoporum accusatur, ad primatem prouinciæ ipsius causam deferat accusator, nec a communione suspendatur cui crimen intenditur.* primatem prouinciæ, ἔξαρχον τῆς ἐπαρχίας in hoc canone citando vertit Blastares. quis primas ibi prouinciæ, nisi metropolitanus? an de solo Carthaginensi accipiendum contendas? canon XXIII. primæ sedis episcopum cuiusque prouinciæ vocat, quem alij canones primatem cuiusque prouinciæ appellant: *vt episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis episcopo suæ cuiusque prouinciæ*. can. XXVIII. *quod si & ab episcopis prouocandum putauerint, non prouocent ad transmarina iudicia, sed ad primates suarum prouinciarum, aut ad vniuersale Concilium.* Da Sirmonde qui sunt illi prouinciarum primates? an

qui plures prouincias hoc est diœcesin regunt? tales tu solos debere dici primates affirmabas. Canon LXXIII. *Et scribendum ad singularum quarumque prouinciarum primates, vt quando apud se concilium congregant, istum diem non impediant.* Velim mihi dicas, an primates heic putes non secundi, sed tertij ordinis episcopos esse? Canon LXXVI. de episcopis qui ad concilia non occurrunt: *nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderint, Ecclesiæ suæ communione debere esse contentos.* quis est primas episcoporum, nisi metropolitanus? an in eo canone tu primatem censebis esse qui multos sub se habet metropolitanos? Canone sequenti primatis Numidiæ fit mentio: *De Cresconio Villaregiensi hoc omnibus visum est vt hinc quoque primati Numidiæ intimetur,* &c. Primas Numidiæ an ibi ponitur pro Carthaginensi primate? solum enim hunc in Africa primatem dici volebas. Ergo primas Numidiæ, primas est Carthaginensis, si vera est tua sententia. Nam solus hic primas per Africanas regiones dictus. Canone XXCVI. sub finem ita decernitur: *deinde placuit omnibus episcopis qui in hoc concilio subscripserunt, vt matricula & archiuus Numidiæ, & apud primam sedem sit, & in metropoli, id est Constantina.* Constantina metropolis erat Numidiæ. prima sedes & metropolis idem. sic *Numidiæ primas*, & *Numidiæ primæ sedis episcopus*, & *Numidiæ metropolitanus* pro eodem. Hoc negabas: nunc quid facies? D. Augustinus Epist. CLXII. *an forte non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades episcopus cum collegis transmarinis episcopis, illud sibi vsurpare*
iudicium

iudicium quod ab Afris LXX. *vbi primas Tigisitanus præsedit, fuerit terminatum.* Si nullus ex tua sententia in Africa primas præter Carthaginensem, cur primas ille Tingitanus apud Augustinum dicitur? idem Augustinus Epist. CCXVII. *Tractoria ad me* V. *Idus Nouembris venit iam finito die, & me valde indispositum inuenit, vt occurrere omnino non possem. Lego in eadem tractoria etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas prouincias scimus suos habere primates.* errauit beatus Augustinus, quod Mauritaniarum duarum metropolitanos primates vocauit, quia vt Sirmondo placet, primæ sedis episcopi, non primates fuere. Gregorius lib. I. indict. IX. Epist. LXXII. ad patricium & exarchum Africæ: *Concilium vero episcoporum Catholicorum admoneri præcipite, vt primatem non ex ordine loci, postpositis vitæ meritis faciat.* Et eod. lib. Epist. LXXV. ad vniuersos episcopos Numidiæ: *Et nos quidem iuxta seriem relationis vestræ, consuetudinem quæ tamen contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, siue de primatibus constituendis, ceterisque capitulis.* quinam erant illi qui primates in Numidia constituebantur? an diœceseon primates, & qui plures prouincias regerent? Age Sirmonde audacter hoc dicito, nihil est homo impudens nisi gnauiter impudens sit. Idem Gregorius lib. II. indict. XI. Epist. XLVIII. ad Columbum episcopum Numidiæ: *Itaque erga primatem Synodi tuæ esto sollicitus vt pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur.* Primas Synodi est ἔξαρχος τῆς συνόδου: Synodum intelligit prouincialem, cui præsidebat semper

impetitur, nobis modo talia loquatur. De isto Byzaceno primate quid tibi videtur? an præter Byzacenam prouinciam, alias habuit sibi prouincias subditas? ita debuit vt ex tuo præscripto primas esset, aliter non futurus. quod si vnius tantum prouinciæ, hoc est Byzacenæ primas fuit, væ tibi κωμοπρέσβυτε, qui tam confidenter asseris præter vnum Carthaginensem, nemini per Africanam diœcesim metropolitano primatis tributum fuisse nomen. De his primatibus siue metropolitis Africanarum prouinciarum corrigendum est apud Photium in Nomocanone capitulum v. tit. I. quod ita vulgo inscribitur: Περὶ πατριαρχῶν, καὶ μητροπολιτῶν, καὶ τῶν ἐν Ἀφρικῇ λεγομένων πριβάτων. vbi ridicule Latinus interpres ita vertit: *de patriarchis, & metropolitanis, & iis qui dicuntur in Africa priuati.* sed magis mirere vitiosam illam lectionem Balsamoni ipsi imposuisse, qui πρίβατα etiam legit, & τὰ προνόμια interpretatus est: Διὰ τοῦτο γὰρ, inquit, μέμνηται τὸ παρὸν κεφάλαιον εἰς τὴν ἐπιγραφὴν καὶ τῶν πριβάτων τῆς ἐν Ἀφρικῇ Καρχηδόνος. πρίβατον γὰρ λέγεται κατὰ Λατίνους τὸ ἰδικόν. nugatur more suo Balsamo. vera lectio illius tituli apud Photium hæc est: περὶ πατριαρχῶν καὶ μητροπολιτῶν, καὶ τῶν ἐν Ἀφρικῇ λεγομένων πριμάτων. *de patriarchis & metropolitis, & ijs qui in Africa dicuntur primates.* De primatibus Africæ, ita enim metropolitæ in Africa vocabantur, eo capite agere Photium testes sunt Concilij Carthaginensis canones XVII. & XIX. quos ibidem subiicit. nam canonis XVII. titulus in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ ita conceptus est: *vt vna-*

quæque prouincia propter longinquitatem primatem habeat proprium. & xix. hoc modo: *vt si quis episcopus accusatur, ad primatem ipsius prouinciæ causa deferatur.* Hi sunt canones quos citauit Photius, qui τῶν πριμάτων meminere. legi tamen etiam posset apud Photium κθʹ. pro λθʹ. nam & vigesimus nonus canon in Græcis mentionem facit primatum. Hos prouinciarum in Africa primates Græcus canonum Africanorum interpres, τοὺς πρώτους ἢ πρωτεύοντας τῶν ἐπαρχιῶν semper vertit, & Balsamo metropolitas interpretatur. idem ad can. xxi. Synodi Carthaginensis: ταῦτα τοῦ κανόνος διεξιζομένου, ἐπεὶ εἰκὸς ἐστὶν εἰπεῖν τινάς· ὡς ἐὰν οἱ μητροπολῖται, οἵτινες λέγονται καὶ πρῶτοι τῶν ἐπαρχιῶν. *metropolitæ, qui etiam dicuntur primates prouinciarum.* & ad canonem xxii. in Græca collectione numeratur: ὥστε ἐπισκόπου κατηγορουμένου πρὸς τὸν πρωτεύοντα τῆς αὐτοῦ ἐπαρχίας τὸ πρᾶγμα ἀνενεχθῆναι: *vt si quis episcopus accusatur, ad primatem ipsius prouinciæ causa deferatur.* ita scribit Balsamo: ἐπεὶ πρόσφορον ἐστὶ δικαστήριον τοῖς ἐπισκόποις τὸ τοῦ μητροπολίτου, φησὶν ὁ κανών, ὅτι ἐὰν κατηγορῆται ἐπίσκοπος παρά τινι, ὀφείλει δικάζεσθαι παρὰ τῷ πρώτῳ αὐτοῦ, ἤγουν τῷ μητροπολίτῃ. *apud primamatem ipsius hoc est metropolitam.* can. xxvi. τὴν πρώτην καθέδραν, & τὸν πρωτεύοντα, hoc est primam sedem, & primatem pro eodem posuit interpres. Et Balsamo ad eumdem canonem: ἀκούων δὲ τοῦ κανόνος λέγοντος μετὰ ψηφίσματος ἤτοι διαγνώσεως τοῦ πρώτου, δηλονότι τοῦ μητροπολίτου, ὀφείλειν ἀποδημεῖν τὸν ἐπίσκοπον. sexcentis aliis apud eumdem locis ὁ πρῶτος τῆς χώρας, ὁ πρῶτος τῆς ἐπαρχίας, ὁ κατὰ χώραν πρῶτος, ὁ πρωτεύων, est pri-

mas prouinciæ ſiue metropolita.

Cum πρῶτος autem & ἔξαρχος ſit idem, & Græcis metropolitæ paſſim ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν vocentur, vt Latinis primates prouinciarum, operæ pretium eſt quærere cur Græcus Africanorum canonum interpres, *primates prouinciarum* quorum in illis canonibus adeo frequens occurrit mentio, nunquam ἐξάρχους τῶν ἐπαρχιῶν Græce verterit, ſed ſemper reddiderit, τοὺς πρωτεύοντας, aut τοὺς πρώτους τῶν ἐπαρχιῶν. Sciendum eſt canone xxxix. Synodi Carthaginenſis decretum fuiſſe, ne quis primæ ſedis epiſcopus hoc eſt primas, princeps ſacerdotum, aut ſummus ſacerdos appellaretur: *vt primæ ſedis epiſcopus non appelletur princeps ſacerdotum, aut ſummus ſacerdos, aut aliquid huiuſmodi: ſed tantum primæ ſedis epiſcopus.* Græci *principem ſacerdotum* ibi tranſtulerunt ἔξαρχον τῶν ἱερέων· περὶ τοῦ τὸν πρῶτον ἐπίσκοπον μὴ προσαγορεύεσθαι ἔξαρχον τῶν ἱερέων. Ὥστε τὸν τῆς πρώτης καθέδρας ἐπίσκοπον μὴ λέγεσθαι ἔξαρχον τῶν ἱερέων, ἢ ἄκρον ἱερέα, ἢ τοιουτότροπόν τί ποτε, ἀλλὰ μόνον ἐπίσκοπον τῆς πρώτης καθέδρας. hinc primæ ſedis epiſcopos, & primates, hoc eſt τοὺς πρώτους ἢ πρωτεύοντας nuſquam in verſione ſua canonum Africanorum ἐξάρχους vocauere Græci. Et propter id etiam Græci commentatores eorumdem canonum Zonaras & Balſamo, canonem ſupraſcriptum Synodi Carthaginenſis ab Eccleſia receptum non fuiſſe notauerunt, quod in Synodo Sardicenſi ἔξαρχος ἐπαρχίας de metropolita reperiatur: & in Chalcedonenſi ἔξαρχος τῆς διοικήσεως de patriarcha, vel vt ipſi volunt de metropolitano. Bal-

ſamo ad eum canonem qui in Græcis XLII. habetur. ὁ ἔννατος κανὼν τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου καὶ ὁ ἕκτος τῆς ἐν Σαρδικῇ ἐξάρχους ἐπαρχιῶν τοὺς ἐπισκόπους τῶν μητροπόλεων καλοῦσι. καὶ προέχες τοῖς κανόσι τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου ὡς μεταγενεστέρας οὔσης. eadem habet & Zonaras, qui etiam ſcribit Concilij Chalcedonenſis patres, Sardicenſem potius Synodum ſequutos eſſe quæ metropolitas ἐξάρχους τῶν ἐπαρχιῶν vocat, quam Carthaginenſem quæ ita appellari vetat. ἐπεὶ δὲ, inquit, ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος, οἰκουμενικὴ δὲ οὖσα καὶ μεταγενεστέρα, ἐξάρχους τῶν ἐπαρχιῶν εὑρίσκεται ὀνομάσασα, ἔοικεν ὡς οὐκ ἰσονομοῦσι τῷ κανόνι τούτῳ ἀλλὰ μᾶλλον τῷ τῆς ἐν Σαρδικῇ. Strenue nugantur iſti Græculi. primum Synodus Chalcedonenſis non metropolitam, ἔξαρχον τῆς διοικήσεως vocat, ſed primatem diœceſeos, qui & πατριάρχης dicebatur, & multos ſub ſe habebat metropolitanos. Deinde Synodus Sardicenſis non Græce, ſed Latine primum edita eſt. ea cum *primatem prouinciæ* de metropolita dixiſſet, qui illam in Græcum ſermonem tranſtulere, ἔξαρχον τῆς ἐπαρχίας reddiderunt. Demus Græce quoque eam editam fuiſſe: ἔξαρχος ἐπαρχίας nihil aliud ſignificat, quam primatem prouinciæ, nec aliter Latine poſſis vertere. At Synodus Carthaginenſis primæ ſedis epiſcopum, hoc eſt metropolitam, *primatem prouinciæ*, non prohibuit appellari, ſed *principem ſacerdotum, aut ſummum ſacerdotem.* hoc eſt ἀρχιερέα ἢ ἀρχιεπίσκοπον, aut ἄκρον ἱερέα. ita enim melius Græce Latina illa reddideris, quam per ἔξαρχον τῶν ἱερέων: licet ἀρχιερεὺς, & ἔξαρχος τῶν ἱερέων idem ſit. ἔξαρχος τῶν ἱερέων eſt pri-

mus ſacerdotum : vel primus ſacerdos, vel primas. nam ἔξαρχος eſt πρῶτος. ἐξάρχειν eſt incipere vel præire. vnde ἐξάρχειν ᾠδῆς, ἐξάρχειν θρήνου, & ſimilia. at ἀρχιερεὺς, ὁ ἄρχων τῶν ἱερέων, eſt princeps ſacerdotum. Principem autem ſacerdotum Synodi Carthaginenſis patres quos Latine ſcripſiſſe conſtat, pro primæ ſedis epiſcopo dici noluerunt, propter homonymiam vocis *princeps*, quæ non ſolum primum vel primatem ſignificat, ſed etiam pro eo ſumitur qui regio more imperat, qui ἀρχικῶς καὶ δεσποτικῶς κατακυριεύει τῶν ὑποχειμένων αὐτῷ. *Princeps locus* & de primo loco dicitur, & de loco eius ſiue dignitate, qui dominatur. hinc *principem locum*, & *Auguſtum locum* ſæpe legere eſt apud Auguſtæ Hiſtoriæ ſcriptores, Tacitum & alios, pro eodem poſitum, de regno nimirum & imperio, vel imperiali maieſtate, vt loquutus eſt Vopiſcus, aut Trebellius, niſi fallor. Carthaginenſes itaque patres ad typhum coercendum, merito hunc titulum damnarunt *principis ſacerdotum*, propter ancipitem huius dictionis ſignificationem, quæ τὸν ἄρχοντα deſignat, & τὸν πρῶτον. at vox Græca ἔξαρχος, τὸν πρῶτον ſignificat tantum, καὶ τὸν κορυφαῖον. *principem* etiam Latine liceat dixiſſe, ſed ea notione qua princeps pro eo qui primus eſt accipitur. ſic ἔξαρχοι τῆς πόλεως principes ciuitatis, & primates, vel primi ciues, οἱ πρωτοπολῖται. & *principatus*, ἡ προεδρία vel πρωτοκαθεδρία in Gloſſis. & *principales cathedræ* in Synodo Carthaginenſi pro primis vel primatum ſedibus. can. LIII. *Verum & de propria Eccleſia, quæ illis male fauerit, omnino adnitendum,*

vt etiam auctoritate publica reiiciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris remoueantur. Græce: καὶ αὐτῇ τῇ τῶν πρωτευόντων καθέδρᾳ ἀποκινοῦνται. & can. LXXI. *rursum placuit, vt nemini sit facultas relicta principali cathedra ad aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre.* apud Cyprianum in Epistolis *principalis cathedra & Ecclesia*, de Romana dicitur, quæ & prima sedes. quem Græci igitur ἔξαρχον τῆς ἐπαρχίας dixerunt, Africani primatem prouinciæ vocauerunt, atque hoc nomine metropolitam cuiusque prouinciæ siue primæ sedis episcopum designarunt. Matthæus Blastares etiam ἔξαρχον τῆς ἐπαρχίας Græce dixit, qui in canonibus Africanæ Ecclesiæ, primas prouinciæ appellatur. Notandum est porro nusquam in Africa archiepiscopum de metropolitano dictum fuisse vt in reliquo Occidente. ἀρχιεπίσκοπος vel ἀρχιερεὺς proprie est princeps sacerdotum & episcoporum: ὁ ἄρχων τῶν ἱερέων, ἢ τῶν ἐπισκόπων. quem titulum ne metropolitani siue primæ sedis episcopi vsurparent, decreto suo sanxerunt Carthaginenses patres, suprascripto can. XXXIX. primates igitur in Ecclesiis Africanis, non archiepiscopi, nuncupati sunt singularum prouinciarum metropolitani. in reliquis contra prouinciis Occidentis, vt metropolitani omnes archiepiscopi vocarentur, mos inualuit; primates autem non alij ferme dicerentur, quam diœceseon primates, qui pluribus scilicet prouinciis præessent, quos Græci διοικήσεων ἐξάρχους & πατριάρχας διοικήσεων nuncupant. in Græcia vero, & per totum fere Orientem soli honorarij metropolitæ, & quibus

bus nulla prouincia ſuberat, nulli epiſcopi, vocabantur archiepiſcopi. veri enim metropolitæ qui metropolitanæ ex antiquo ciuitati præſidebant, qui prouinciam, & prouinciæ epiſcopos ſub ſe habebant, ſeſe metropolitas ciuitatum ſuarum & prouinciarum ἐξάρχους inſcribebant, in hunc ſcilicet modum: ὁ δεῖνα μητροπολίτης Ἀγκύρας, καὶ ἔξαρχος πάσης Γαλατίας. ὁ δεῖνα μητροπολίτης Νικομηδείας, καὶ ἔξαρχος πάσης Βιθυνίας. *ille metropolita Ancyræ, & primas totius Galatiæ. ille metropolita Nicomediæ, & primas totius Bithyniæ.* ſic de ceteris. Nicomedia enim metropolis, & prima ciuitas erat prouinciæ Bithyniæ. hinc eius epiſcopus, metropolitanus dicebatur Nicomediæ, & primas Bithyniæ. Huiuſmodi igitur metropolitæ qui reuera ius metropolitarum habebant, archiepiſcopi nunquam dicti ſunt, ſed metropolitæ & exarchi. Archiepiſcopi illi dicebantur ſoli, quorum ciuitates imperator per pragmaticam metropoleos nomine honorauerat. hi honorem ac nomen, non ius nec rem metropolitarum habebant, & archiepiſcopi vocabantur. Antiqua editio canonum Concilij Chalcedonenſis ex vetuſtiſſimo libro Thuanæ Bibliothecæ, can. XII. *Quæcunque vero ciuitates iam per ſacras litteras nomine metropolitano funguntur, ipſæ ſolum honorem conſequantur, & is qui huic Eccleſiæ præeſt epiſcopus, vocetur archiepiſcopus, ſaluo vtique proprio iure quod reuera metropolitanæ conuenit ciuitati.* In omnibus horum canonum Latinis & antiquis editionibus quæ vulgatæ ſunt, nuſquam illa verba comparent, *vocetur archiepiſcopus*, ſed nec

in Græcis vllum eorum apparet vestigium, quæ ita concepta sunt: ὅσαι δὲ ἤδη πόλεις διὰ γραμμάτων βασιλικῶν τῷ τῆς μητροπόλεως ἐτιμήθησαν ὀνόματι, μόνης ἀπολαυέτωσαν τῆς τιμῆς, καὶ ὁ τὴν ἐκκλησίαν αὐτῆς διοικῶν ἐπίσκοπος, δηλονότι σωζομένων τῇ κατ' ἀλήθειαν μητροπόλει τῶν οἰκείων δικαίων. mihi tamen dubium non est quin ea verba in suo exemplari repererit illius editionis auctor. nec etiam ambigendum quin desiderentur ac desint in Græco. Nam sine his non satis integram esse sententiam quilibet videre potest. legendum igitur, ac reponendum: καὶ ὁ τὴν ἐκκλησίαν αὐτῆς διοικῶν ἐπίσκοπος καλείσθω ἀρχιεπίσκοπος, δηλονότι σωζομένων τῇ κατ' ἀλήθειαν μητροπόλει τῶν οἰκείων δικαίων. Ex huius canonis decreto certum est, morem illum per Græciam & totum Orientem dimanasse, vt archiepiscopi vocarentur, qui veri non erant metropolitani, cum ciuitates, quibus præsidebant, id honoris ab imperatore per pragmaticam adeptæ essent. Balsamo in responsis de patriarchis: ὁ δὲ Γοτθίας οὐ καλεῖται ἀρχιεπίσκοπος ὡς ἄρχων ἐπισκόπων καὶ προβολάς, ἀλλ' ὡς ἀρχὴ ἐπισκόπων. ὡρίσθη γὰρ παρὰ τῶν ἁγίων κανόνων, τὰς μὲν ἐχούσας διοικήσεις πολλὰς πόλεις ὑπὸ ἐπισκόπων κυβερνωμένας παρὰ μητροπολιτῶν διεξάγεσθαι, οὓς καὶ πρώτους οἱ κανόνες ὀνομάζουσι. τὰς δὲ μὴ ἐχούσας ὑφ' ἑαυτὰς πόλεις τινὰς ὑπὸ ἐπισκόπων ἰθυνομένας, παρ' ἀρχιεπισκόπων ἱερατεύεσθαι· ὥστε μειονεκτεῖν μὲν αὐτὰς τῶν μητροπόλεων, ὑπερτέρας δὲ τῶν ἐπισκόπων. Hi archiepiscopi, qui nullos sibi subditos habebant episcopos, olim a metropolita & exarcho prouinciæ ordinabantur, eique suberant, id tantum honoris habentes, quod

primi post metropolitā prouinciæ essent episcopi. postea eorum ordinatio ad patriarcham diœceseos translata est. Hinc αὐτοκέφαλοι etiam dicti sunt, non respectu patriarchæ, cui subiacebant, & a quo ordinabantur, sed metropolitæ, quem superiorem non agnoscebant. caput episcoporum metropolitanus erat, vt metropolitanorum patriarcha. vnde illi episcopi qui nulli metropolitano subiecti erant, αὐτοκέφαλοι censebantur, & ἀρχιεπίσκοποι vocabantur. sic metropolitæ αὐτοκέφαλοι vocati sunt, qui nulli parebant patriarchæ. De illis episcopis autocephalis siue archiepiscopis qui episcopos sibi subditos non habebant, nec ipsi metropolitis vllis subiacebant, sed immediate a patriarcha ordinabantur, cui & subditi erant, supra multa diximus. αὐτοκεφάλους porro etiam vocatos esse docet vetus Notitia prouinciarum Græca Leonis Philosophi & Photij patriarchæ temporibus edita, quæ nondum lucem vidit. Hæc de metropolitis & archiepiscopis sedi Constantinopolitanæ subiectis ita habet: τάξις προκαθεδρίας μητροπολιτῶν καὶ αὐτοκεφάλων καὶ ἐπισκόπων τελουμένων ὑπὸ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον τοῦ τῆς βασιλίδος πόλεως. enumeratis quattuor & triginta metropolitis, quorum primus Cæsariensis, vltimus Hierapolitanus, subiicit: μέχρι τούτων εἰσὶν οἱ μητροπολῖται, καὶ λοιποὶ ἐντεῦθεν ἄρχονται αὐτοκέφαλοι. & triginta sex ibi recensentur, quorum primus Odyssi ex prouincia Mysiæ, vltimus episcopus Selgæ ex prouincia Pamphylia. hi sunt qui in vulgata Leonis διατυπώσει ἀρχιεπίσκοποι vocantur. ita enim habet in fine vetus

illa Notitia: ὁ Δέλκων ἀπὸ τῆς παρακειμένης λίμνης τῆς Δέλκου· οὕτω γὰρ αὐτὴν καλεῖ, Διονυσιακὸς κατονομάζει Δέλκον. ἀμαθῶς οὖν τὴν ἀρχιεπισκοπὴν φασὶ Δέρκους τὸ ρ ἀντὶ τοῦ λ παραλαμβάνοντες. Hæc igitur ἀρχιεπισκοπὰς vulgatæ Leonis diatyposeos vigesima numeratur, & vocatur κ΄ Δέρκων. Sed de his alibi plura. Veri vt iam diximus metropolitæ in Græcia, non archiepiscopi, sed metropolitæ & primates, hoc est ἔξαρχοι dicebantur. In Africa quoque metropolitanos singularum prouinciarum appellari solitos esse testimonia quæ ante retulimus, prorsus euincunt. Ex his omnibus, cuiuis perspicuum est, quod neminem fortasse latuit; verissimum esse quod in Epistola scripsimus pag. LVI. & LVII. primatem apud Afros eumdem cum metropolitano fuisse, & primates secundum hanc notionem, quam solam Africa nouerat, non tertium Ecclesiasticæ dignitatis gradum, sed secundum constituisse. Vna res tunc me falsum habuit: Persuaseram mihi id te non esse negaturum, ideoque ita scripseram pag. LVI. *Primas apud Afros idem qui & metropolita: prima sedes prouinciæ, metropolis erat: primæ sedis & metropoleos episcopus, primas & metropolita dicebatur. Quod verum esse adeo cuiuis ex Codice canonum Ecclesiæ Africanæ patere potest: vt ne Sirmondus quidem qui omnia quæ omnibus in confesso sunt, negare consueuit, id negare ausit.* Vide quam præclare de te sentiebam priusquam mihi notus esses! Sed spes hæc quam de probitate & candore tuo conceperam, cito me delusit. Ecce enim falsum id etiam asserere ausus es, quod quin verum esset, ne-

minem eo impudentiæ vel audaciæ processurum speraui, vt negare posset. voces tuas tantæ siue inscitiæ, siue impudentiæ testes heic ponam. cum sine auctore, sine teste dixisses, primæ sedis episcopos in Africa dictos esse singularum prouinciarum metropolitanos, solum vero Carthaginensem archiepiscopum primatem fuisse appellatum, hæc verba addidisti: *quæ cum ita sint, an non falsum est, quod scripsisti, primates apud Afros secundi tantum ordinis episcoporum gradum fuisse, non etiam tertij?* Hæc cum ita sint Sirmonde, an non verum est, te id esse quod sentio, sed nolo dicere? ὦ καλὲ θεὲ, tantane quemquam veritatis inficiandæ κακοδαιμονία tenere potest, vt cum dies est, noctem esse; cum nox est, lucere solem affirmare velit? Solus hoc tu posses facere: nam quæ vera negas, vera non minus, nec minus clara sunt.

Primates prouinciarum, metropolitanos omnes fuisse, atque ita in Africa etiam appellatos esse, satis probatum est. Primates diœceseon patriarchas quoque nuncupatos nunc probandum est. Quod vbi probauerimus, non facile constabit inter metropolitanos prouinciarum primates; & patriarchas, diœceseon primates, nullum medium dari primatum gradum posse, qui nec metropolitani fuerint, nec patriarchæ. Heic dicis nec de exarchis antea te inficiatum esse, nec de primatibus nunc abnuere, quin patriarcharum etiam nomen illis aliquando tributum sit. de exarchis nocere amplius non potes. satis iam ab hac parte retusus es. in primatibus non minus hebes & obtusum tuum acumen. nam

primates Latine iidem ſunt plane qui ἔξαρχοι Græce. quod autem primates & exarchos abſolute dici tibi perſuades genus quoddam epiſcoporum, qui proprium gradum obtinerent inter metropolitas, & patriarchas, quam falſo hæc te inuaſerit perſuaſio, iam oſtendimus. nulli enim primates aut exarchi dicti, niſi qui vel prouinciarum primates eſſent, vt metropolitani; vel diœceſeon, vt patriarchæ. At enimuero quod primatibus illis tuis imaginariis, patriarcharum nomen aliquando tributum eſſe fateris, id non ſatis eſt: primates quippe diœceſeon illi de quibus intelligis, non ſolum patriarchæ paſſim appellati leguntur, ſed etiam veri illi legitimique patriarchæ quibus ſolis patriarcharum nomen conceſſum fuiſſe vis, primates nuncupati ſunt. & ſane primates reuera fuere ſuarum diœceſeon. Hæc enim omnino conuertuntur: primas diœceſis, quilibet, etiam patriarcha dicebatur: & quicunque patriarcha dictus eſt, etiam primas fuit diœceſeos. idem erat & de exarcho diœceſeos apud Græcos. omnes ἔξαρχοι διοικήσεων etiam πατριάρχου nomen vſurpabant; omnes vero πατριάρχαι, etiam ἔξαρχοι διοικήσεων erant ac dicebantur. Hinc ἔξαρχος τῆς διοικήσεως & πατριάρχης τῆς διοικήσεως pro eodem. ſic apud Latinos *primas diœceſis, & patriarcha diœceſeos* idem. Sed inter omnes illos exarchos ac primates ſiue patriarchas diœceſeon, quinque numero primarij ac præcipui fuere, qui primatum principatumque obtinebant, ac ceteris dignitate antiſtabant, primaſque ſedes tenebant. Hinc patriarchæ

κατ' ἐξοχὴν dicti sunt, quod inter plures eiusdem nominis & ordinis patriarchas eminerent & excellerent. Hos primarum porro sedium primarios patriarchas, primates etiam appellatos esse, & primates reuera suarum singulos diœceseon fuisse adeo certum est, vt nullos alios primates dici velit Felix II. in Epistola nobis paulo ante citata, quam qui primas illas sedes regerent, patriarchas. Clemens in Epist. I. ad Iacobum fratrem Domini & episcopum Hierosolymitanum, primates & patriarchas eosdem facit: *In illis ciuitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis doctores erant, episcoporum primates poni vel patriarchas, qui reliquorum episcoporum iudicia, & maiora quotiens necesse foret, negotia in fide agitarent.* & paulo post: *in illis autem ciuitatibus in quibus dudum apud prædictos erant Ethnicos eorum archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos primates, archiepiscopos institui præcepit, qui non tamen primatum, sed archiepiscoporum fruerentur nomine.* Heic vides patriarchas & primates eosdem esse, archiepiscopos vero, hoc est metropolitas ab illis diuersos. sequitur in eadem Epistola: *Episcoporum quoque iudicia, vt superius memoratum est, & maiora Ecclesiarum negotia si ipsi reclamauerint, aut aliquem timorem, aut istos vel alios suspectos habuerint, ad iam dictos primates vel patriarchas, ne aliquis innocenter periret, transferri perdocuit.* Anacletus successor Clementis Epist. I. ad omnes episcopos & ceteros fideles: *Si autem negotium fuerit Ecclesiasticum, apud episcopos interueniente primate, si maior causa fuerit; si vero minor,*

metropolitano. Primatem eumdem cum patriarcha facit, ac diuersum a metropolitano. Idem Epist. II. ad vniuersos episcopos in Italia constitutos: *& in capite prouinciarum vbi dudum primates legis erant sæculi, ac prima iudiciaria potestas, &c. ipsis quoque in ciuitatibus vel locis, patriarchas vel primates qui vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ & Ecclesiasticæ, poni & esse iusserunt, ad quos episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent, & ipsi nomine primatum fruerentur, & non alij. reliquæ vero metropolitanæ ciuitates, quæ minores iudices habebant, licet maiores comitibus essent, haberent metropolitanos suos, qui prædictis iuste obedirent primatibus.* Idem Epist. III. *Episcoporum ordo vnus est, licet sint primates illi qui primas ciuitates tenent, qui & in quibusdam locis patriarchæ a nonnullis vocantur.* Hincmarus cap. XVII. *rebellantes quoque episcopi aduersus metropolitanos siue archiepiscopos suos, his enim duobus nominibus huius excellentiæ dignitas designatur: itemque metropolitani vel archiepiscopi aduersus primates vel patriarchas qui in his duobus nominibus vno prioratu funguntur.* Idem eodem cap. *Patriarchas quoque vel primates qui duobus his nominibus in vnius prioratus funguntur officio, non solum aduersus tertiam & secundam sedem, verum & contra primam & Apostolicam legimus se extulisse, adeo vt episcopus Constantinopolitanæ ciuitatis olim Heracleotis suffraganeæ contra regulas tertiæ sedis episcopum ordinare præsumpserit, & secundæ sedi se a Synodo, & ab imperiali potestate præferri contra regulas obtinuerit.* Innocentius tertius in Epist. ad archiepiscopum Bulgariæ: *te quoque in regno Bulgarorum &*

Blancorum

Blancorum primatem ſtatuimus, & Eccleſiæ Trinouitanæ præſenti priuilegio auctoritatem concedimus primatiæ, ſtatuentes vt tu & ſucceſſores tui, qui tibi in Apoſtolicæ ſedis deuotione ſucceſſuri ſunt, ceteros metropolitanos Bulgariæ & Blanciæ præcellatis ratione primatis, & ipſi tibi & eis iuxta formam canonicam reuerentiam primati debitam exhibeant, & honorem: fraternitatem tuam ſcire volentes, quod apud nos hæc duo nomina, primas & patriarcha pene penitus idem ſonant, cum primates & patriarchæ teneant vnam formam, licet nomina ſint diuerſa. Leo nonus in Epiſtola ad Venetiæ & Hiſtriæ epiſcopos, Gradenſem Antiſtitem *primatem & patriarcham* vocat. primas igitur idem qui & patriarcha, qui plures ſcilicet prouincias ſub ſe habet Eccleſiaſticas, & multis caput eſt metropolitanis. Anonymus de ſubcæleſti Hierarchia lib. I. cap. XVII. *attende tamen quod epiſcopus ſenatum habet vnicum, videlicet preſbyterorum ſiue Eccleſiæ. metropolitanus autem eumdem habet pro ſua diœceſi, & cum hoc ſuffraganeorum ſuorum in ſua prouincia. Primas vero cum his duobus & tertium habet metropolitanorum omnium ſuæ primatiæ.* Hic ſupremus gradus Eccleſiaſticarum dignitatum, & primas idem qui patriarcha. idem auctor lib. I. cap. X. *primatiales Eccleſias* vocat, præcipuas & primarias illas quinque quarum antiſtites *patriarchæ* dicebantur κατ' ἐξοχὴν, velut ἐξαίρετοι καὶ ἔξοχοι patriarchæ. Leo in Epiſtola ad Theodorum epiſcopum Forojulienſem primates in ſupremo ac primo ordine collocat, nec plures tribus gradus ſtatuit: *Sollicitudinis quidem tuæ iſte ordo eſſe debuerat, vt cum metropolitano*

tuo primitus de eo quod quærendum esse videbatur conferres; ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis; quia in causis quæ ad generalem obseruantiam pertinent, nihil sine primatibus oportet inquiri.

Hoc sensu in Galliis primates dici moris erat, non qui singulis prouinciis præerant metropolitanos, sed qui ex duabus aut pluribus prouinciis primam quamque regebant, ac pluribus metropolitanis præsidebant. In Africa primas dicebatur qui primam in vnaquaque prouincia ciuitatem hoc est metropolim curabat: in Galliis primas ille solus solitus appellari qui primam cuiuslibet diœceseos Ecclesiasticæ prouinciam administraret. Ex quinque Lugdunensibus, qui primæ Lugdunensis metropolitanus antistes fuit, idem quoque reliquis Lugdunensibus iure ac nomine primatis præfuit, atque etiam patriarcha dictus est: nam primas hac notione, etiam patriarcha dicebatur. vt apud Græcos ἔξαρχος τῆς διοικήσεως & πατριάρχης iidem esse censebantur: primas diœceseos, & patriarcha. In Concilio Matisconensi secundo Priscus episcopus Lugdunensis qui Concilio præsidebat, patriarcha nominatur his verbis: *Priscus episcopus patriarcha dixit: Gratias agimus Domino Deo nostro, fratres & consacerdotes mei, qui nos in hac die congregans alterna nos fecit sospitate gaudere. Ceteri episcopi metropolitani responderunt: Gaudemus frater sanctissime, quod omnes episcopi qui in regno Guntramni regis episcopali honore funguntur, in vno se conspiciunt coadunati concilio. Vniuersi episcopi*

dixerunt: Gratulamur & nos patres sanctissimi, qui per interualla temporum separati, hodie noscimur post tot temporum curricula fraterna dilectione corporaliter iungi. Habes heic episcopos, metropolitanos, patriarcham, hoc est primatem siue primum metropolitanum. sic ex duabus Aquitaniis, primæ Aquitaniæ præsul, Bituricensis episcopus primas & patriarcha olim dictus est, atque ita etiam hodieque dicitur. & sic de ceteris. nam ex pluribus vnius diœceseos metropolitanis, qui primus inter eos erat, is primatum habebat, & primas dicebatur, cum ceteri metropolitani tantum & archiepiscopi nuncuparentur. Lugdunensis prouincia omnium quondam Galliæ prouinciarum prima fuit. hinc Lugdunensis episcopus primas quoque Gallicanorum episcoporum, quia Lugdunum prima sedes esset Galliarum. Gulielmus Britto in Philippeide:

Et Lugdunensis quo Gallia tota solebat,
Vt fama est, primate regi.

Temporibus Victoris Romanæ sedis episcopi, qui sub Commodo sedit, cum de Paschatis celebratione quæstio Ecclesias per vniuersum orbem agitaret, multa concilia ad eam conciliandam controuersiam congregata fuere, tam in Orientis quam Occidentis prouinciis. Concilio quod in Gallia ad eam rem celebratum est, præfuisse Eirenæum Lugdunensem episcopum legimus apud Eusebium Hist. Eccles. cap. XXIII. καὶ τῶν ἐπὶ Ῥώμης δ' ὁμοίως ἄλλη περὶ τοῦ αὐτοῦ ζητήματος, ἐπίσκοπον Βίκτορα δηλοῦσα. τῶν τε κατὰ Πόντον ἐπισκόπων ὧν Πάλμας ὡς ἀρχαιότατος

προὐτέτακτο. καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει. & cap. XXVI. ἐν οἷς καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστείλας, παρίσταται μὲν τὸ δεῖν ἐν μόνῃ τῇ τῆς κυριακῆς ἡμέρᾳ τὸ τῆς κυρίου ἀναστάσεως ἐπιτελεῖσθαι μυστήριον. Vetus Notitia manuſcripta quæ totius imperij Romani diœceſes recenſet, & quæ in quibuſque diœceſibus primæ prouinciæ eſſent adnotat: *in Gallia prouinciæ* XVII. *prima Lugdunenſis.* Hinc in veteribus nummis Lugduni cuſis LVGDVNVM PRIMA SEDES GALLIARVM viſitur appellata. in veteri tamen Notitia vtriuſque imperij quæ tempore filiorum Theodoſij ſcripta videtur, non Lugdunenſis prouincia in dinumeratione Galliarum prima ponitur, ſed Viennenſis: Nam ſecundo loco Lugdunenſis poſt Viennenſem ibi numeratur hoc modo: *Prouinciæ Galliarum decem & ſeptem: Viennenſis, Lugdunenſis prima, Germania prima, Germania ſecunda,* &c. & alio loco: *ſub diſpoſitione viri ſpectabilis vicarij ſeptem prouinciarum: Conſulares Viennenſis, Lugdunenſis primæ, Germaniæ primæ, Germaniæ ſecundæ, Belgicæ primæ, Belgicæ ſecundæ.* Et ſane ſciendum eſt prouinciam Viennenſem illo tempore primam extitiſſe, & primatum habuiſſe omnium Galliæ prouinciarum. In prouincia porro Viennenſi de primatu duæ ciuitates contenderunt, Vienna & Arelate. Quin prima antiquitus fuerit totius prouinciæ metropolis & prima ciuitas Vienna, nullum dubium eſt, vt pote quæ & prouinciæ dederit nomen. Hæc *maxima Galliarum* appellatur in vetuſtis nummis quos vidit

v. cl. Nic. Peyresius Aquensis senator: S. M. VIENNA MAXIMA GALLIARVM. maiores ciuitates dicebantur in singulis prouinciis αἱ μητροπόλεις. Maxima vero totius diœcesis ciuitas, illa metropolis erat quæ ceteras metropoles dignitate antecedebat, & primatum super omnes habebat. Vt Viennensis prima tunc temporis fuit prouincia Galliarum diœceseos, sic Vienna prima & maxima totius Galliæ ciuitatum ac metropoleon. Hinc Viennensis Antistes *primas primatum* vocatus est, quod inter Galliæ primates primus esset. nam *primas primatum* idem est quod primus primas, vt episcopus episcoporum, primus episcopus: pater patrum, primus pater: consul consulum, primus consul: ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων, ὁ πρῶτος ὑπέρτιμος. Ceterum aduersus Viennam antiquam & veram prouinciæ Viennensis metropolim & caput, τὰ πρωτεῖα sibi vindicauit Arelate, ac de iure etiam metropolitano, & episcoporum per vniuersam prouinciam ordinatione controuersiam Viennensi mouit Arelatensis antistes; non aliam puto ob causam, nec alio subnixus priuilegio, quam quod præfectus prætorio Galliarum sedem in Arelatensi ciuitate haberet. sub vmbra igitur præfecturæ hanc sibi prærogatiuam adrogauit. quando autem & sub quibus imperatoribus Arelate facta sit metropolis septem per Gallias prouinciarum & præfecturæ sedes esse cœperit, incertum est: nisi quod certissimum post Constantini Magni tempora, aut Theodosij, si forte ab aliquo filiorum eius id ei honoris ac

priuilegij conlatum fuiſſe. A Conſtantino Tyranno *Conſtantinam* eam appellatam, & hoc illi priuilegium metropoleos attributum quidam volunt, ſed falluntur. in Conſtitutione Honorij & Theodoſij ad Agricolam præfectum prætorio Galliarum metropolis ſeptem prouinciarum appellatur, ac decernitur, vt quotannis in metropolitana vrbe, hoc eſt in Arelatenſi ciuitate, ſeptem prouinciæ incipiant habere concilium. In eadem pragmatica teſtantur iidem imperatores non tam id de nouo ſe conſtituere, quam incuria temporum omiſſum & deſidia Tyrannorum interruptum reparari decernere: *ſi quidem*, inquiunt, *hoc rationabili plane probatoque conſilio vir illuſtris præfectus Petronius obſeruari debere præceperit, quod interpolatum vel incuria temporum vel deſidia Tyrannorum reparari ſolita prudentiæ noſtræ auctoritate decernimus.* Petronius ille ſub Arcadio & Honorio vicarius primo Hiſpaniarum, mox & præfectus prætorio Galliarum fuit, vt ex hoc loco apparet. iam tum igitur non Viennenſis tantum prouinciæ, ſed ſex etiam reliquarum metropolis habebatur Arelate in ciuilibus, & in ea vrbe præfectus prætorio Galliarum ſedem habebat. Atqui circa eadem tempora etiam de primatu ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, cum Viennenſi certare cœpit in Concilio Taurinenſi quod celebratum eſt anno Chriſti CCCXCVII. & hanc contentionem ita Synodus diremit, vt primatus dignitatem illa ciuitas ſibi vindicaret, quæ ſe eius prouinciæ metropolim oſtenderet: adeo tunc certum non erat, quænam

ex illis duabus Ecclesiis, metropolis esset. Vienna, vt apparet, antiquitate se tuebatur; Arelate noua dignitate, & præfecturæ sede. Liber sane vetus Arelatensis cuius mihi copiam fecit clarissimus Peyresius qui auctoritates continet tam Augustorum quam Paparum de priuilegiis Ecclesiæ Arelatensi concessis, antiquiores Augustos non exhibet eorum priuilegiorum auctores Theodosio Honorioque; nec anteriorem Papam Zosimo. In fronte libri posita est constitutio illa Theodosij & Honorij cuius ante fecimus mentionem, quam sub nomine Fl. Constantini Tyranni edidit Scaliger in Ausonianis lectionibus. ea data est ad Agricolam præfectum prætorio Galliarum, Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. coss. hoc est anno Domini CCCCXVIII. Vt vt sit, siue a Constantino Magno, a quo Constantina appellata est, siue ab alio quolibet, certe post Constantinum imperatorem hoc honoris & priuilegij adepta est Arelate, vt metropolis esset in prouincia Viennensi: sciendum est primo honorem tantum & nomen metropoleos, non etiam iura consequutam esse, vt omnes ciuitates quæ in metropoles erigebantur per litteras sacras, siue pragmaticam. Postea aliquid plus ambiuit, nec solo honore contenta, de iure etiam metropolitico aduersus verum & antiquum metropolitam Viennensem episcopum certare ausa est, vt supra diximus. & sane contra eum id obtinuit, vt prouinciam partiretur, qua in re fauentes & propitios habuit Pontifices maximos, quorum primus Zosimus vices

ſuas per Gallias Arelatenſi epiſcopo commiſit, & Viennenſem, Narbonenſem primam & ſecundam prouincias pontificio eius ſubiecit. Hoc legere eſt in Epiſtola Zoſimi ad vniuerſos epiſcopos per Gallias & ſeptem prouincias conſtitutos, quæ in eodem libro Arelatẽſi habetur, quamque Baronius Annalibus ſuis inſeruit ad annum Chriſti CCCCXVII. Metropolitana vrbs appellatur ſeptem prouinciarum in conſtitutione ſupraſcripta Honorij ac Theodoſij, & conuentus ex ſeptem illis prouinciis in ea quotannis agi iubetur. Valentinianus & Honorius *matrimonium Galliarum* eam in quodam reſcripto nuncuparant. Libellus ſupplex ab vniuerſis epiſcopis metropolis Arelatis miſſus ad Leonem Papam pro priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis: *Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fideliſſimi principes, ſpecialibus priuilegiis, & vt verbo ipſorum vtar, matrimonium Galliarum appellando decorarunt. Matrimonium Galliarum,* idem eſt, quod mater Galliarum, ita enim in duobus manuſcriptis, Arelatenſi & Autiſiodorenſi diſertim legitur. nam vt *teſtimonium* pro teſte, ſic *matrimonium* pro matre. ita etiam *matrimonium* pro coniuge vel matrefamilias: vt *matrimonia Cæſarum* apud Largum Scribonium, & *matrimonia militum* apud Aurelium Victorem, ſunt coniuges Cæſarum & militum. vt autem a ſancto, *ſanctimonium:* a mendico, *mendicimonium:* a teſte *teſtimonium:* a mœcho *mœchimonium*, ἡ μοιχεία apud Laberium: ſic a matre *matrimonium*, ἡ μητέρτης. *matrimonium* igitur *Galliarum*, eſt mater ſiue metropolis Galliarum.

Galliarum. Nam ita etiam proprie appellata eſt Arelate. Idem libellus ſupplex: *cuius honoris obtentu Eccleſiam Arelatenſem omnes deceſſores prædeceſſoreſque noſtri veluti matrem debito ſemper honore coluerunt.* in vetuſtis monumentis *ſancta mater Eccleſia Arelatenſis* vocata ſemper occurrit. Gregorius primus Arelatenſem epiſcopum, *metropolitanum Galliæ* vocat. lib. v. indict. xiv. Epiſt. LIII. *ad Virgilium epiſcopum metropolitanum Galliæ.* metropolis igitur, & mater, & matrimonium idem. Lugdunum dicta eſt *prima ſedes Galliarum:* Vienna, *Maxima Galliarum:* Arelate, *mater Galliarum.* quæ tres voces idem omnino ſignificant, & primatum vrbibus quæ his nominibus vocatæ ſunt, vindicant. Nam quæ prima ſedes eſt diœceſeos, eadem & maxima totius diœceſeos ciuitatum, & prima, & metropolis ſiue mater vrbium omnium diœceſis vniuerſæ.

Septem porro illæ prouinciæ Galliarum. quarum iudices ſingulis annis ex conſtitutione Honorij, Concilio quod in metropolitana, hoc eſt in Arelatenſi vrbe, haberi ſolebat, intereſſe tenebantur, iſtæ fuerunt: Viennenſis, Narbonenſis prima & ſecunda, Aquitania prima & ſecunda, Nouempopulana, & Alpes Maritimæ. His ſeptem prouinciis ſi addas quattuor Lugdunenſes cum Maxima Sequanorum, vtramque Belgicam, vtramque Germaniam & Alpes Graias, ſeptemdecim habebis prouincias, in quas tunc vniuerſa Galliarum diœceſis diuidebatur. quam diuiſionem qui ad Auguſtum referunt viri magni magnopere falluntur. Tot numero

prouincias Galliarum diœcesi tribuit vtriusque imperij Notitia, quarum prima, vt dixi, Viennensis. Septem autem illæ prouinciæ supra memoratæ, quæ quotannis ad conuentum in Arelatensi vrbe celebrandum iudices suos & honoratos mittebant, a Galliis vulgo distinguebantur. Galliarum siquidem nomine decem tantum prouinciæ quas paulo ante diximus comprehēdebant tunc temporis homines, atque ita loquebantur, *Galliæ & septem prouinciæ.* Liber Arelatensis cap. 11. *Zosimus vniuersis episcopis per Gallias & septem prouincias constitutis.* & cap. XII. *Zosimus Aurelio & vniuersis episcopis per Africam constitutis. Vniuersis episcopis per Gallias & septem prouincias constitutis. Vniuersis episcopis per Spanias constitutis.* Epistolæ 11. Bonifacij qui Zosimo successit, hæc inscriptio est: *Bonifacius episcopus Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Seuero, & ceteris episcopis per Gallias & septem prouincias constitutis.* Corrigenda itaque est Notitia imperij apud quam hodie sic legitur: *sub dispositione viri illustris præfecti prætorio Galliarum diœceses infra scriptæ. Hispaniæ septem prouinciæ. Britannia.* scribe ac distingue: *Hispaniæ, Galliæ & septem prouinciæ, Britanniæ.* Hoc enim ab illis mutatum qui ignorabant Galliarum & septem prouinciarum nomine vniuersam Galliarum diœcesim decem & septem prouincias complexam designari. Emendari similiter debet eadem Notitia, & alio loco vbi sic habet: *sub dispositione viri spectabilis vicarij septem prouinciarum.* non septem tantum prouinciæ sub illo vicario erant, sed decem & septem, & totidem ibi subii-

ciuntur. Legendum igitur: *sub dispositione viri spectabilis vicarij Galliarum & septem prouinciarum.* Et sar decem & septem prouinciæ, quæ sub eius ei dispositione, ibidem enumerantur, quarum decem, vt dixi, sub nomine Galliarum comprehendi solebant, aliæ septem a Galliis vulgo distinguebantur. Hoc eodem vitio mendaque laborat vetus inscriptio quæ huius vicarij Galliarum meminit hoc modo: CONSVLARI CAMPANIÆ VICARIO PER GALLIAS SEPTEM PROVINCIARVM. Non septem ille prouincias vicarius per Gallias administrabat, sed vniuersam pro præfectis Galliarum diœcesim regebat. quare inserenda particula ET quæ omissa est a transcriptoribus, in hunc modum: VICARIO PER GALLIAS ET SEPTEM PROVINCIARVM. Possit aliquis fortassean arbitrari compendioso loquendi genere vulgo tunc septem prouincias de tota Galliarum diœcesi quæ septem & decem complectebatur, dici consueuisse, quod illæ scilicet septem prouinciæ præcipuæ essent totius Galliæ. Hoc ego non putem, & verisimile non est. Verius est hæc loca corrupisse male feriatos homines qui genus illud loquendi non intelligebant. Sciendum tamen est, quidquid in concilio & conuentu septem illarum prouinciarum, qui Arelate agebatur, decretum fuisset, id per omnes Galliarum diœceseos prouincias obtinuisse, ac seruatum fuisse. atque ita sanciunt Honorius & Theodosius Impp. Constitutione illa quam supra memorauimus. ita enim scribunt: *cum ergo huic seruat*

ciuitati quidquid habet terra præcipuum, ad hanc velo, remo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quidquid singulis nascitur: quomodo non multum sibi Galliæ nostræ præstitum credant, cum in ea ciuitate (Arelatensi) præcipiamus esse conuentum, in qua diuino quodammodo munere commoditatum, & commerciorum opportunitas tanta præstatur. & clarius initio constitutionis: *Tum quidquid tractatum fuerit, & discussis ratiociniis constitutum, nec latere potiores prouincias poterit, & parem necesse est inter absentes æquitatis formam iustitiæque seruari.* quæ sunt illæ absentes prouinciæ inter quas eamdem iustitiæ & æquitatis formam seruari præcipit? illæ nimirum quæ ad conuentum non mittebant: Nam solæ septem prouinciæ ad illud concilium legatos mittere cogebantur. eadem constitutio circa finem: *Vnde illustris magnificentia tua & hanc præceptionem nostram, & priorem sedis suæ dispositionem sequuta, id per septem prouincias in perpetuum faciet custodiri, vt ab Idibus Augustis, quibuscunque mediis diebus, in Idus Septembris in Arelatensi vrbe nouerint honorati vel possessores iudices singularum prouinciarum annis singulis concilium esse seruandum.* quidquid igitur in eo concilio septem prouinciarum tractatum, discussum ac decretum foret, inter absentes etiam, id est eas prouincias quarum iudices aut legati ad concilium non veniebant, seruabatur. atque hæ sunt quæ *potiores prouinciæ* ibi nominantur. sed quare potiores? an non illæ potius potiores quæ conuentum illum frequentabant, & formam legemque ceteris, quæ non aderant, præscribebant? In duobus antiquis

codicibus quos vidimus, Arelatensi & Autisiodorensi, non *potiores*, sed *notiores* scriptum habetur. omnino scribendum: *Tum quidquid tractatum fuerit, & discussis ratiociniis constitutum, nec latere remotiores prouincias poterit, & parem necesse est inter absentes æquitatis formam iustitiæque seruari.* hæc indubitate vera est lectio. remotiores & absentes prouinciæ quæ concilio scilicet septem prouinciarum in Arelatensi vrbe celebrando quotannis, non intererant, sunt reliquæ decem Galliarum prouinciæ quæ propriè sub Galliarum nomine comprehendebantur, & ab illis septem, quarum conuentus in metropolitana ciuitate singulis annis cogebatur, distingui ac separari solebant. Hæ septem prouinciæ, quarum metropolis erat Arelate, & prima prouincia Viennensis, iunctæ cum decem Galliarum prouincijs, decem & septem prouincias diœceseos Galliarum efficiebant. de quibus septemdecim prouinciis intelligere debemus cum legimus, *Gallias & septem prouincias* apud auctores. Falsum quippe est, quod doctissimi viri opinantur, Gallias omnes in quibus septemdecim prouinciæ numerabantur, septem prouinciarum nomine comprehendi. falsissimum etiam quod iidem volunt, hanc septem prouinciarum sub filiis Theodosij Magni primum notam natamque diuisionem, manasse ex antiqua Galliarum in septem prouincias diuisione, quæ olim obtinuerit. Demus Galliam quondam in septem prouincias fuisse diuisam, septem illæ prouinciæ totam Galliam illo tempore constituebant.

Theodosij vero filiorum æuo septem istæ solæ non erant Galliarum prouinciæ, sed in decem & septem diuidebatur Galliarum diœcesis prouincias. Harum decem nomine Galliarum specialiter comprehendebantur, reliquæ sub nomine ac numero septem prouinciarum discernebantur a Galliis, cum tamen & hæ septem cum illis decem iunctæ Gallias generali notione sumptas, hoc est vniuersam Galliarum diœcesim, constituerent. sic enim tunc loquebantur, *Galliæ & septem prouinciæ*, cum de septemdecim Galliarum prouinciis intelligerent. Hæ septem prouinciæ, quæ a Galliis separabantur, fuere quas diximus. Festus Ruffus in dinumeratione Galliarum iunctim eas recenset, sed sex tantum numerat non septem, hoc modo: *Galliæ cum Aquitania & Britanniis prouinciæ decem & octo: Alpes maritimæ, prouincia Viennensis, Narbonensis, Nouempulana, Aquitanię duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ.* Ita ille quattuordecim tantummodo Galliarum prouincias numerat, quæ septemdecim fuere Notitiæ tempore. Ex illis quattuordecim sex quas priores numerauit, nostræ sunt septem, si vna iis addatur; Narbonensis nempe secunda. Nam Festus vnam Narbonensem agnoscit quę in duas diuisa est haud longe post illa tempora. in Concilio quippe Taurinatensi mentio fit secundæ Narbonensis. Hæc si adiiciatur ad illas sex quas priore loco recensuit Festus, vt postea adiecta est, septem habebimus illas prouincias quæ septem prouinciarum nomine comprehendi solebant, & a

Galliis propria & angusta significatione acceptis distingui. quæ Galliæ sic strictrius scriptæ Rufi temporibus octo prouincias tantum habebant, cum duæ modo tunc essent Lugdunenses, quæ postea factæ sunt quattuor. Non plures, nec alias quam Rufus prouincias Galliis proprie vocatis assignat Ammianus qui circa eadem tempora vixit. Nam ille lib. xv. has octo prouincias enumerat per omnem, vt loquitur, ambitum Galliarum: Germaniam primam & secundam, Belgicam primam & secundam, Maximam Sequanorum, Lugdunensem primam & secundam, Graias siue Pœninas Alpes. Has vbi prouincias recensuit, & quæ in singulis præcipuæ & eximiæ erant vrbes, subiicit: *Hæ prouinciæ vrbesque sunt splendidæ Galliarum.* subiungit deinde separatim earum prouinciarum enumerationem, quæ a Galliis propria notione sumptis secernebantur, & quinque tantummodo, non sex, vt Rufus, numerat. atque istæ sunt: Aquitanica prouincia, Nouempopulana, Narbonensis, Viennensis, Alpes maritimæ. In Notitia imperij & Theodosij Honoriique constitutione prouinciæ istæ septem habentur. Nam & Aquitaniæ duæ tunc erant, & Narbonenses duæ. Inde Galliæ & septem prouinciæ tunc dicebantur, decem & septem Galliarum prouinciæ. Rufus sex tantum nominat, qui Narbonensem vnam agnoscit & duas Aquitanias. Ammianus quinque, qui vnam tantum Narbonensem, & vnam Aquitanicam ponit. Hinc per ea tempora frequenter vsurpata hæc loquutio de tredecim

Galliarum prouinciis, *Galliæ & quinque prouinciæ.* Hæ ſunt quinque prouinciæ quarum meminit Symmachus lib. IV. epiſt. XXX. *tu non iiſdem ſedibus immoraris, dum aut Treuiros ciuica relligione, aut quinque prouincias otij voluptate commutas.* in Concilio Taurinatenſi ita legitur in inſcriptione: *dilectiſſimis fratribus per Gallias, & quinque prouincias conſtitutis.* & tamen quod mireris, in eadem Synodo fit mentio ſecundæ Narbonenſis, ſi duæ tunc Narbonenſes, & duæ Aquitaniæ non quinque, ſed ſeptem erant prouinciæ, atque ita haud longo poſt tempore ſunt appellatæ. ſane cum recens adhuc eſſet illa diuiſio Narbonenſis vnius in duas, & vnius Aquitaniæ in duas æque prouincias, quinque prouinciarum nomen, quæ fuit antiqua diuiſio, etiam poſtquam ſeptem factæ ſunt, aliquandiu durauit, & in multorum ſermonibus ac ſcriptis hæſit. Harum autem ſiue quinque ſiue ſeptem prouinciarum appellatione comprehenſas prouincias a Galliis diſtinxere veteres qui in Lugdunenſi prouincia initium Galliarum ſtatuebant. Ammianus lib. XV. de Rhodano: *Vnde ſine iactura rerum per denſa paludium fertur, & Sequanos longeque progreſſus Viennenſem latere ſiniſtro perſtringit, dextro Lugdunenſem: & emenſus ſpatia fluctuoſa Ararim, quem Sauconam appellant, ſuum in nomen aſciſcit. qui locus eſt exordium Galliarum, exindeque non millenis paſſibus, ſed leucis itinera metiuntur.* vbi igitur Arar Rhodano commiſcetur, & nomen ſuum perdit, ibi primæ Lugdunenſis & Galliarum exordium. Tabula Peutingeri: *Lugduno caput*

Galliarum

Galliarum vsque heic legas. quinque porro illæ, vel septem prouinciæ quæ vulgo a Galliis diuisæ & distinctæ, olim duæ fuere, Aquitania nimirum & Narbonensis: duæ quoque Galliarũ, Lugdunẽsis & Belgica, quæ postea octo factæ sunt. sic quattuor in totum sub Augusto erant omnium Galliarum prouinciæ; Narbonensis, Aquitania, Lugdunensis & Belgica. Galliæ enim quas Cæsar subegit, quasque in tres populos diuidit, Aquitanos, Celtas & Belgas, in prouinciarum formam redactæ, sub Augusto tres prouinciæ numerabantur, Aquitania, Lugdunensis, & Belgica: quibus adde Narbonensem veterem Romanorum prouinciam, quattuor habebis sub Augusto Galliarum prouincias. in quattuor quoque partes iam inde a Iulio dictatore diuisas fuisse Gallias scribit Ammianus, sed partes alias facit: *Regebantur*, inquit, *Galliæ omnes iam inde vt crebritate bellorum vrgenti cessere Iulio dictatori potestate in partes diuisa quattuor: quarum Narbonensis vna, Viennensem intra se continebat, & Lugdunensem: altera Aquitanis præerat vniuersis. Superiorem & inferiorem Germaniam, Belgasque duæ iurisdictiones iisdem rexere temporibus.* Ammiano igitur quattuor Galliarum prouinciæ erant istæ: Narbonensis, Aquitania, Belgica & Germania. frequens mentio occurrit in antiquis inscriptionibus quattuor Galliæ prouinciarum, quæ non aliæ sunt, quam quas diximus. quemadmodum autem Narbonensem & Aquitaniam a Galliis separabant, sic aliquando etiam Belgicam quasi Germaniæ propiorem ab iisdem distingue-

bant, ac tres tantum Gallias numerabant, Narbonensem, Aquitaniam, & Lugdunensem. Harum trium Galliarum nominatim extat mentio in veteri inscriptione. Pag. CCCCXL. PRÆF. VEHIC. TRIVM. PROV. GALL. LVGDVNENS. NARBONENS. ET. AQVITANENS. Nummum Galbæ vidi argenteum in quo ab illa parte quæ vultus eius imaginem expressam habebat, hæc erat inscriptio: RESTITVTORI GALLIARVM. in altera & auersa facie tria capita mulierum galeata habebantur cum hac inscriptione, TRES GALLIÆ: quod de his tribus omnino Galliis interpretandum est, Lugdunensi, Narbonensi, & Aquitanensi. Quæ Galliæ autem nomine proprie veniebat, ea erat prouincia Lugdunensis, quam ab Aquitania & Belgica veteres distinxere. Hi Galli proprie dicebantur, qui in Lugdunensi prouincia erant. Hæc olim cum vna esset, in quinque postea diuisa est. Galli sunt illi quos Celtas vocat Cæsar, & a Belgis Aquitanisque lingua & moribus scribit fuisse diuersos. Γαλάτας Græci vocauere. Hinc Κελτογαλατία Ptolemæo proprie Gallia Lugdunensis. Stephanus: Λούγδουνα πόλις Κελτογαλατίας. Πτολεμαῖος ἐν περίπλῳ. Καὶ Λουγδουνησία ἐπαρχία. quattuor omnino fuere sub Augusto prouinciæ, Narbonensis, Aquitania, Gallia Lugdunensis, & Belgica. Non plures numerat vetus Notitia Σατραπειῶν siue prouinciarum, quæ Ptolemæi libris adiecta legitur in veteribus membranis, cuius hic titulus est: αἱ δὲ εἰσὶν αἱ γνωσθεῖσαι ἐπαρχίαι ἤτοι σατραπίαι.

Ἐν Εὐρώπῃ περιέχει ἐπαρχίας λδ'.

Ἰουερνίας, νήσου Βρετανικῆς.	ια	νη.	L'
Ἀλουίωνος νήσου Βρετανικῆς.	κ	νδ.	
Ἱσπανίας Βαιτικῆς.	ϛ	λη.	Γ'
Ἱσπανίας Λουσιτανίας.	η	λθ.	L'
Ἱσπανίας Ταῤῥακωνησίας.	ια	μϐ.	
Γαλλίας Ἀκυιτανίας.	νη	μγ.	L'
Γαλλίας Λουγδουνησίας.	κγ	μη.	
Γαλλίας Βελγικῆς.	κϛ	μζ.	
Γαλλίας Ναρβωνησίας.	κϐ'	μδ.	L'
Γερμανίας μεγάλης.	λδ	νϐ.	

Sed de Galliarum diuiſione, & Ammiani loci explicatione ad Ammianum ipſum plura. Hæc ex occaſione primatum Galliæ nobis obiter dicta ſunto. Ceterum vt ad primates noſtros reuertamur, tribus Galliis tres primates adſignat Otho Friſingēſis li.vi. cap.xxx. Lugdunenſi, Lugdunenſem: Belgicæ, Treuirenſem: Aquitaniæ, Bituricenſem. Hæ prouinciæ ſingulares olim quæ fuerunt, poſtea multiplicatæ ſunt, & in illa diuiſione qui primæ prouinciæ ex pluribus archiepiſcopus fuit, is etiam ceteris eiuſdem nominis prouinciis præfuit, & primas ſiue patriarcha dictus eſt. Non alia primatum per Gallias origo. Adeo autem verum eſt primates in Galliis non alios dictos fuiſſe quam qui pluribus prouinciis præeſſent, & qui primas ſedes tenerent non in ſingulis prouinciis, ſed in diœceſi plurium prouinciarũ, vt id lege Caroli Magni cautum ſit li.vii. Capit. ab Angeſiſo collectorum cap.cccxxxvi. *Nulli alij metropolitani appellentur primates, niſi illi qui primas*

ſedes tenent, & quos ſancti patres Synodali & Apoſtolica auctoritate primates eſſe decreuerunt. Reliqui vero qui alias metropolitanas ſedes ſunt adepti, non primates, ſed metropolitani vocentur. Hoc in Galliis verum eſt, in Africa longe ſecus res ſe habuit, vbi omnes metropolitani vocabantur primates. quo ſenſu vero primates Africani dicebantur, certum eſt eos in Gallia dici non potuiſſe primates; nam ſingularum tantum prouinciarum erant metropolitani: at qua notione primates in Gallia appellati ſunt, qui pluribus ſcilicet præſidebant prouinciis, haud dubium eſt quin & dici debuerint, atque etiam dicti ſint patriarchæ diœceſeon, quippe qui diœceſibus præeſſent, & diœceſeon exarchi eſſent.

„ Scribis, quod ſi Lugdunenſes & Bituricenſes
„ epiſcopi patriarchæ ideo recte iudicio meo appel-
„ lari videntur, quia primates; cur patriarchas dici
„ Senonenſes non placet, quibus primatum in An-
„ geſiſo, & quidem per Galliam & Germaniam a
„ Iohanne VIII. delatum teſtis eſt Synodus Pontigo-
„ nenſis? O pater Reuerende, quis tibi indicauit hoc mihi non placere? Si primates Gallicani omnes patriarchæ paſſim apud veteres nuncupati ſunt, quis dubitat Senonenſem cui per Galliam Germaniamque detulit Iohannes octauus, etiam patriarcham factum ab eo fuiſſe? nonne primas idem qui & patriarcha? an non Innocentius tertius cum Trinouitano archiepiſcopo primatum Bulgariæ & Walachiæ dedit, patriarcham eum ſimul & primatem earum prouinciarum fecit? atqui teſtatur idem

Innocentius in Epiſtola ad illum Trinouitanum archiepiſcopum, primatem & patriarcham penitus idem ſonare, & duo eſſe diuerſa nomina eiuſdem in Eccleſia muneris, officij, & dignitatis. Addis: *an Senonenſes fortaſſe, quod a ſede Apoſtolica id iuris adepti ſint, primates dici non probas: Aquileienſes contra quoniam excuſſo Romanæ ſedis imperio ſchiſma fecerunt, & patriarchæ nomen, vt αὐτοκέφαλοι viderentur, vſurparunt, iure factos patriarchas arbitraris?* Egone Senonenſes primates dici non probem quod a ſede Apoſtolica id iuris ſiue honoris potius conſequuti ſunt? quis iterum tibi de hac re indicium fecit? quis tibi dixit me non hoc probare? μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν, ἔχεις γὰρ οἰκίαν. an non tu omnium hominum cum hæc dicis ineptiſſimus es? ad quam rem enim iſtuc pertinet quod dicis? Sed quod ais, Aquileienſes patriarchas "
excuſſo Romanæ ſedis iugo in ſchiſmate patriar- "
chæ nomen vſurpaſſe vt αὐτοκέφαλοι viderentur; vel- "
lem me doceres vnde hæc didiceris: quicunque ſane hoc te docuit, doctor indoctus fuit. Scribis Aquileienſem epiſcopum, vt αὐτοκέφαλος videretur, patriarchæ nomen vſurpaſſe. De Rauennenſi quid ſentis, qui αὐτοκεφαλίαν vſurpauit, diu etiam illa fruitus eſt, etiam conſentiente & concedente Summo Pontifice ad vitanda ſedis Apoſtolicæ ſcandala? cur ille patriarchã ſe dixit nunquam, nec id nominis vſquam ſibi adrogauit? Atqui debuit qui αὐτοκέφαλος eſſet, & longe quidem meliori iure nomen hoc vſurpare potuit quam Aquileienſis. ſchiſma enim vel propter hoc vnum fecit Rauennenſis, vt ſibi

αὐτοκεφαλίαν vindicaret; Aquileienses vero propter alias res, quam αὐτοκεφαλίαν, sese ab vnione sedis Apostolicæ segregarunt. Sed Aquileiensem mittamus patriarcham, de Gradensi quid dices? quid de Forojuliensi? an & illi per schisma patriarchæ nomen vsurparunt? nam patriarchas & illos dictos esse fortasse non ignoras. Cum Aquileia vetus a Langobardis teneretur, & patriarcha cum consensu regis Langobardorum & Gisulfi ducis ordinaretur; Romani episcopi qui schismatici non erant, Candidiano defuncto apud Grados, patriarcham Epiphanium ordinarunt, & *ex illo tempore*, inquit Paulus Diaconus lib. IV. cap. XXXIV. de Gestis Langobardorum, *cœperunt duo esse patriarchæ*. Si tempore schismatis veteris Aquileiæ episcopus patriarchæ nomen assumpsit, vt videretur αὐτοκέφαλος, cur exemplum hoc sequuti sunt Romani & orthodoxi episcopi in patriarcha ordinando apud Grados? cur ad exemplar Aquileiensis patriarchæ cuius institutio vitiosa fuit, patriarcham ipsi apud Grados instituerunt? Cur euersa Aquileia vetere, quæ caput Venetiarum erat, Forumjulij vbi metropolis illius prouinciæ cœpit esse, patriarcham & ipsa suum antistitem vocauit? vocatum enim tu non nescis Forojuliensem episcopum patriarcham, & Forumjulij nouæ Aquileiæ nomine etiam appellatum. Sed demus tibi omnes illos tuos patriarchas vitio primum creatos & institutos fuisse; an non postea legitimi tandem fuere patriarchæ, postquam eos pro patriarchis agnouit Summus Pontifex? Gregorius

ſecundus Gradenſem patriarcham vocat in epiſtola quadam. Leo nonus eidem Gradenſi epiſcopo tanquam primati ſuo & patriarchæ dicto audientes iubet eſſe Venetiæ & Hiſtriæ epiſcopos, in Epiſtola quam ad eos dedit. Innocentius quartus in Concilio Lugdunenſi Aquileienſem patriarcham inter quinque primarios & ſummos patriarchas ſedem habere voluit. In Concilio Viennenſi Clemens quintus Aquileienſem & Gradenſem patriarchas appellauit, & ad eos tanquam veros legitimoſque patriarchas ſcripſit. In Concilio Florentino Gradenſis patriarcha poſt Hieroſolymitanum ſubſcripſit in ordine patriarcharum. I nunc & patriarchas negare aude, quos tot Papæ pro patriarchis habuerunt & agnouerunt. Sed nunc te doceam oportet, nullos vnquam ſingularum prouinciarum metropolitanos quantumuis αὐτοκέφαλοι fuerint, patriarchas appellatos fuiſſe, aut hoc nomen vſurpare ſolitos. ſoli quippe ita vocari ſolebant, qui aut plures ſub ſe prouincias & metropoles haberent, aut qui primæ cuiuſque per vnam diœceſim prouinciæ metropolitani eſſent. Aquileienſis igitur patriarcha, non per ſchiſma, nec vt αὐτοκέφαλος videretur, hoc nomen vſurpauit, ſed quia primam Italiæ prouinciam iure metropolitæ regebat, & primam ſedem in diœceſi habebat, patriarcha ob id appellatus eſt. Cum enim tres in Italia antiſtites patriarchæ titulum ſumpſerint, omnes ex vna eademque prouincia Venetiarum fuiſſe conſtat. Romani quod Aquileia a Langobardis teneretur, & patriarcha ab iiſdem ordina-

retur, patriarcham nouum quem ipsi ordinarent, apud Grados, ſed in eadem prouincia, inſtituerunt. Euerſa vetere Aquileia quæ metropolis erat Venetiarum, Forumjulij ciuitas & metropolis eiuſdem prouinciæ ſimul extitit, & patriarcham quoque habuit. Etiam hodieque in ea prouincia patriarcham habet qui in Venetorum vrbe ſedet, abolito patriarchæ Gradenſis nomine. quod ſub Eugenio IV. factum eſt. Ex his omnibus conſtat non alia re quam merito prouinciæ quæ prima fuit omnium olim Italicarum prouinciarum, Aquileienſem, Gradenſem & Forojulienſem patriarchas, hoc nomen & hanc dignitatem ſibi vindicaſſe. qua de re ſupra iam diximus.

Quod autem nos iubes meminiſſe, patriarcham ex eo numero nullum vnquam ſibi tantum arrogaſſe, vt ſe vnius eiuſdem cum epiſcopo Romano gradus & ordinis eſſe cogitaret, hoc ſcio, & memorem mones. Illud viciſſim ammonendus es, inſanum & amentem videri oportere, qui ſentiat, etiam illos ſummos, etiam illos primos patriarchas eiuſdem ordinis gradus cum Summo Pontifice fuiſſe. Hoc ſi ſentis, hunc videri te oportere dico. illud etiam addo, quicunque patriarchæ vocati ſunt, quin patriarchæ fuerint, & eiuſdem cum patriarchis ordinis, ſtultum & fatuum eſſe qui ambigat. Aliud nunc nihil ſupereſt, quam vt teſtimoniis aliquot productis probemus in Occidente ac Eccleſia Latina iam inde a primis ad hæc vltima vſque tempora tres tantum epiſcoporum gradus præcipuos fuiſſe

fuisse cognitos & numeratos. Clemens Petri successor in Epistola ad Iacobum Domini fratrem non plures numerat, atque eius verba hæc sunt: *in illis ciuitatibus in quibus apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis doctores erant, episcoporum primates poni vel patriarchas, qui reliquorum episcoporum iudicia, & maiora, quotiens necesse foret, negotia in fide agitarent*, &c. *in illis autem ciuitatibus in quibus dudum apud prædictos erant Ethnicos archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos primates, archiepiscopos institui præcepit, qui non tamen primatum, sed archiepiscoporum fruerentur nomine*. & paulo post: *in singulis vero reliquis ciuitatibus, singulos & non binos vel ternos aut plures episcopos constitui præcepit, qui non primatum, aut archiepiscoporum aut metropolitanorum, quia matres ciuitatum non tenent, sed episcoporum tantum vocabulo potirentur*. habes heic episcopos singularum ciuitatum, archiepiscopos siue metropolitanos: & primates, vel patriarchas. hi quot sunt gradus? si bene numerare scis, tres tantum inuenies. Anacletus qui Clementi successit in Epist. II. ad episcopos in Italia constitutos: *ipsis quoque in ciuitatibus vel locis patriarchas vel primates qui vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ & Ecclesiasticæ poni & esse iusserunt, ad quos episcopi, si necesse foret, confugerent, eosque appellarent, & ipsi nomine primatum fruerentur, & non alij. Reliquæ vero metropolitanæ ciuitates, quæ minores iudices habebant, licet maiores comitibus essent, haberent metropolitanos suos, qui prædictis iuste obedirent primatibus, sicut & in legibus seculi olim ordinatum erat, qui non*

primatum, sed aut archiepiscoporum nomine fruerentur. Cum iidem sint Anacleto primates & patriarchæ, metropolitani & archiepiscopi, primates illos tuos inter patriarchas & metropolitas qui medium gradum constituere debent, vbi pones? Idem Anacletus Epistola tertia: *Episcoporum vero ordo vnus est, licet sint primates illi qui primas ciuitates tenent, qui & in quibusdam locis patriarchæ a nonnullis vocantur. illi autem qui in metropoli a beato Petro, ordinante Domino, & a prædecessore nostro prædicto sancto Clemente, seu a nobis constituti sunt, non omnes primates vel patriarchæ esse possunt, sed illæ vrbes quæ præfatis & priscis temporibus primatum tenuere, archiepiscoporum, patriarcharum aut primatum nomine fruantur: Reliquæ vero metropoles archiepiscoporum aut metropolitanorum; & non patriarcharum aut primatum vtantur nominibus.* qui primatum archiepiscoporum tenebant, hoc est qui pluribus archiepiscopis præerant, hi primates vel patriarchæ dicebantur; qui vero episcopis præsiderent, archiepiscopi vel metropolitani. Sirmonde quid sentis? an heic plures sunt quam tres gradus? cape calculos & numera, vel si vis per digitos tuos computa. recte subducta hæc ratio est, totidem esse quot diximus comperies. Nicolaus primus Papa in inscriptione Epist. 1. *Nicolaus episcopus sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, omnibus veræ religionis ministris, ac vniuersis orthodoxæ fidei cultoribus, sanctissimis videlicet ac reuerendissimis patriarchis, metropolitis, & reliquis episcopis.* Patriarchæ, metropolitæ, episcopi quot ordines sunt, Sirmonde? cur omissus ille me-

dius ordo patriarchas inter, & metropolitas inserendus; post patriarchas, & ante metropolitas ponendus? Sed Nicolaus Papa Sirmondinus non fuit: nunquam enim primates illos prætermisisset, qui nec metropolitæ sunt, nec patriarchæ, immo qui nusquam sunt, nec vnquam fuere. idem Nicolaus in responsis ad consulta Bulgarorum cap. LXXII. non plures quam tres gradus agnoscit: *A quo autem sit patriarcha ordinandus interrogatis: & idcirco scitote quia in loco vbi nunquam patriarcha vel archiepiscopus constitutus est, a maiori est primitus instituendus, quoniam secundum Apostolum minus a maiori benedicitur. Deinde vero accepta licentia & pallij vsu ordinat ipse sibi deinceps episcopos, qui successorem suum valeant ordinare. Vos tamen siue patriarcham, siue archiepiscopum, siue episcopum vobis ordinari postuletis, a nemine nunc velle congruentius, quam a Pontifice sedis beati Petri a quo & episcopatus & Apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari valetis.* Hincmarus qui tempore Nicolai Papæ vixit cap. XVII. *Rebellantes quoque episcopi aduersus metropolitanos, siue archiepiscopos suos, his enim duobus nominibus huius excellentiæ dignitas designatur: itemque metropolitani vel archiepiscopi aduersus primates vel patriarchas, qui in his duobus nominibus vno prioratu funguntur.* Patriarchas vel primates, metropolitanos vel archiepiscopos, & episcopos, tres non quattuor opinor ordines esse. nec infima ætas Ecclesiæ plures agnouit, quam prima aut media. Anonymus auctor qui de subcælesti Hierarchia ante ducentos fere annos scripsit, lib. I. cap. XVII. *Attende tamen quod episcopus*

ſenatum habet vnicum, videlicet preſbyterorum ſuæ Eccleſiæ: metropolitanus autem eumdem habet pro ſua diœceſi, & cum hoc ſuffraganeorum ſuorum in ſua prouincia: Primas vero cum his duobus, & tertium habet metropolitanorum omnium ſuæ primatiæ. Idem lib. II. cap. VI. *Scis, inquam, fili, quod licet in Eccleſia Catholica ſit vnus ordo epiſcopalis, tres tamen gradus ſunt epiſcopalium dignitatum: Supremus eſt primas, metropolita medius, epiſcopus autem infimus appelletur. Et vt epiſcopus diſponit clericos, & cauſas ſingulares ſuæ diœceſis; ſic metropolitanus epiſcopos & prouinciæ ſuæ negotia; & primas pariter metropolitanas & cauſas generales ſuæ primatiæ cum ſuis diſponit conciliis.* Idem lib. IV. cap. XVII. de regulis Eccleſiaſticis: *tertia regula ſiue canon eſt generalis, primatum ſcilicet conſtitutiones vel patriarcharum, ſicut Latinorum, Græcorum, Hieroſolymitanorum, Indorum, Gallicorum, Anglicorum, & ſimilium ſi aduenirent, & talis debet eſſe ſemel in anno, ſed aliæ inferiores pluries. Generalis autem vel primatialis dicitur, quia ſolum conſtringit homines regionis illius qui in illam ab initio conſenſerunt. Quarta prouincialis id eſt metropolitanorum, & comprouincialium epiſcoporum prouinciales tantum adſtringit. Quinta epiſcopalis ſpecialis ſcilicet præſulum & diœceſanorum ſuorum, quæ ciues & diœceſanos tantum complectitur.* lib. III. cap. X. ſex profeſſionum modos enumerat quibus omnes Eccleſiaſtici adſtringuntur: primam profeſſionem eſſe dicit, venientium ad Baptiſmum, ſecundam religionem ingredientium, tertiam clericorum ad ſacros ordines promoueri volentium, quartam epiſcoporum ad ſacram ordinationem acceden-

tium, quintam metropolitanorum ante pallij susceptionem, sextam Romani Pontificis & patriarcharum omnium, qua sacrorum canonum custodiam sollenniter profiteri; & hanc professionem electus in Romanum Pontificem magnis patriarchis tenetur mittere, magnisque principibus. Magnos patriarchas vocat, quattuor illos primarios, qui primas & præcipuas sedes tenebant, primas inquam, sed post Romanum Pontificem cuius prima fuit sedes. Magnos illos igitur patriarchas appellat ad distinctionem minorum, quorum tertiam regulam esse dixit lib. IV. cap. XVII. vbi Latinorum, Græcorum, Gallicorum, Indorum, Anglicorum meminit patriarcharum, quos omnes vnius eiusdem ordinis & gradus facit. sed inter omnes illi præcipui quattuor, qui & primi & magni & summi patriarchæ dicti sunt, patriarchæ vero soli non fuerunt. *summi primates* iidem appellantur in Epistola, nisi fallor, Felicis secundi. In Occidente igitur, & Latina Ecclesia tres tantum, vt ex his vides si modo vides, cogniti gradus episcoporum: episcopi singularum ciuitatum, primates prouinciarum hoc est metropolitani, primates diœceseon qui & patriarchæ. Apud Græcos & in Oriente totidem, ἐπίσκοποι τῶν πόλεων· ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν, hoc est μητροπολῖται· ἔξαρχοι τῶν διοικήσεων, hoc est πατριάρχαι. Tu inuita vniuersa Ecclesia, toto orbe Christiano renitente, aduersus omnium temporum vsum & auctoritatem quattuor commentus es. ad quam rem istud aut cui bono? vt patriarcham Occidentis faceres episco-



pum Romanum. ὦ ταλαίπωρε quid opus erat te tantopere ταλαιπωρῆσαι? an episcopus vrbis Romæ non poterat esse Occidentis patriarcha, nisi fieret primas Italiæ? atqui si Italiæ primas, idem quoque fuit Italiæ patriarcha: nam primates, qui diœceses integras regebant, patriarchas quoque dictos fuisse nec ipse negas. Si patriarcha vero Occidentis fuit, quin idem quoque primas Occidentis fuerit, inficiari non potes, cum certum sit summos illos, & primos Ecclesiæ patriarchas, primates appellatos esse Latinis vt Græcis ἐξάρχους. Ergo per hanc rationem dicendum sit episcopum Romanum fuisse patriarcham Italiæ, & patriarcham Occidentis; primatem Italiæ & primatem Occidentis. At enimvero si patriarcha totius Occidentis, & omnium per Occidentem diœceseon patriarcha fuit ille, non minus Galliæ, non minus Hispaniæ, aut Africæ aliarumque Occidentis diœceseon primas fuerit quam Italiæ. Italia erat vna ex diœcesibus Occidentis, quæ omnes episcopo Romano tanquam patriarchæ suo parebant. quod ius illi competiit aliud aut magis speciale in Italia quam in altera qualibet Occidentis diœcesi? Pallium ab eo accipiebant Italiæ metropolitani? nunquid non & ceterarum Occidentis diœceseon metropolitæ hoc idem facere cogebantur? nam de Oriente heic nihil dicam. Cur igitur ille magis specialis primas sit Italiæ, quam Africæ, quam Galliæ, quam alterius cuiusuis per Occidẽtem diœceseos? An quia Roma in Italia sita erat? Cõstantinopolis etiã in Thracia erat sita, nec tamen Thra-

cicæ diœceſeos ἰδικώτερος patriarcha fuit epiſcopus Conſtantinopolitanus, quam Aſianæ aut Ponticæ. An quia ex tota Italia metropolitæ & epiſcopi quotannis ad Concilia Romana conuenire debebant, ideo ille ſpecialis Italiæ patriarcha? Profecto ſi de Conciliis generalibus intelligis quæ ſub vno patriarcha celebrabantur, ex vniuerſa diœceſi quæ ipſi parebat, congreganda, quotquot fuere per Occidentem metropolitani ad illa Concilia quæ patriarchæ iure conuocabat epiſcopus Romanus, conuenire & congregari debuere: nam Occidentis per te ille patriarcha. Diſce docendus adhuc, a tirone magiſter, vniuerſas diœceſes Occidentis ex quibus vna eſt Italia, diœceſim patriarchalem conſtituere debere Pontificis Romani, ſiquidem verum ſit, illum eſſe totius Occidentis patriarcham. Eodem modo tres diœceſes Aſiana, Pontica & Thracica, vniuerſam patriarchæ Conſtantinopolitani diœceſim conſtituerunt: nec magis, aut ſpecialiori iure Thracicæ diœceſeos, in qua ſita erat Conſtantinopolis, patriarcha vel exarchus fuit, quam Aſianæ aut Ponticæ. omnes enim ex æquo trium illarum diœceſeon metropolitanos & archiepiſcopos ordinabat.

Nunc illud per amicitiam quam Aduentoria inter nos conciliauit, oro te vt mihi dicas, cum epiſcopum Romanum, patriarcham & aliorum patriarcharum modum & exemplar facias, cur in eo ſolo quatenus patriarcha, quattuor epiſcoporum gradus tibi placeat agnoſcere? aut doce nos igitur

hos totidem gradus in ceteris patriarchis agnitos fuiſſe, aut rationem ede cur epiſcopum Romanum his tot gradibus ſolum ſpectãdum cenſueris. ille tibi eſt epiſcopus vrbis Romanæ, prouinciæ Romanæ metropolitanus, Italiæ primas, Occidentis patriarcha. Ceteros vide patriarchas an his tot gradibus conſiderati fuerint. Et primum in primo poſt Romanum Pontificem patriarcha Conſtantinopolitano, iſtud exploremus an ſit verum. Epiſcopus vrbis Conſtantinopolitanæ fuit, hic primus gradus. Cuius ille prouinciæ metropolitanus? archiepiſcopus ſane vocatur, ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, καὶ πατριάρχης οἰκουμενικός. ſed ἀρχιεπίσκοπος, apud Græcos non eo ſenſu dicitur quo apud Latinos archiepiſcopus. Latinis archiepiſcopus eſt metropolitanus: Græcis plus eſt quam metropolitanus, atque is dicitur qui multis metropolitanis præeſt. Hac notione per Orientem omnes patriarchæ dicebantur ἀρχιεπίσκοποι, qui pluribus præſiderent metropolitanis. nullus igitur prouinciæ fuit metropolitanus patriarcha Conſtantinopolitanus. aliquorum qui in Barbarico erant epiſcoporum ordinationem ei tribuit Synodus Chalcedonenſis can. XXVIII. fuerit illorum epiſcoporum metropolita: hos duo iam ordines tenemus, epiſcopum & metropolitam. quid de tertio? cuius ille diœceſeos primas erit? tres diœceſes ſibi ſubiectas habuit. an alicuius ex his diœceſibus ſpecialis primas vel ἔξαρχος extitit? ſi vlla fuit, cuius ἐξαρχίαν ſiue primatiam ſpecialem habuerit, Thracicam oportet fuiſſe.

fuiſſe. nam in Thracica ſita Conſtantinopolis. oſtende maiori aut ſpecialiori iure hanc diœceſim eum rexiſſe quam reliquas duas. Harum trium diœceſeon ſolos ordinandi metropolitas ius habuit. non minus igitur huius quam illius diœceſeos metropolitanos ordinauit. in Catalogo & Notitia metropoleon quæ ſedi Conſtantinopolitanæ ſubditæ fuere, primo loco ponitur Cæſarienſis metropolita qui Ponticæ diœceſeos exarchus erat, ſecundo Epheſinus qui Aſianæ, tertio Heraclienſis qui Thracicæ, quarto loco recenſetur qui quartam ſedem tenebat, Ancyranus ex prouincia Galatiæ diœceſis Ponticæ: quinto Cyzicenus Helleſponti metropolita ex diœceſi Aſiana: ſexto Sardianus, ex diœceſi item Aſiana: ſeptimo Nicomedienſis ex Bithynia diœceſeos Ponticæ, & ita deinceps permixtim enumerantur omnes trium illarum diœceſeon metropolitani, qui Conſtantinopolitano patriarchæ ſubiecti erant, & ab eo ordinabantur. Tres igitur illæ diœceſes, vnicam eius patriarchalem conſtituebant diœceſim, nec plus in vna iuris, quam in alia habuit: omnes æquali iure rexit. in patriarcha Alexandrino quot gradus fuere? vrbis illum ſuæ hoc eſt Alexandrinæ epiſcopum fuiſſe nullum dubium eſt. cuius porro prouinciæ ſpecialis erat metropolita? an Ægypti, cum Ægyptus ſtricta notione proprie ſumitur, & ab aliis Ægyptiacæ diœceſeos prouinciis diſtinguitur? ſcimus quam falſum hoc ſit, ſed verum eſſe interim fateamur. cuius diœceſeos primas vel exarchus erat?

an non totius diœceſeos Ægyptiacæ? eiuſdem igitur diœceſeos patriarcha fuit, cuius & exarchus. idem de Antiocheno, idem de Hieroſolymitano patriarchis dici conuenit. Tres itaque in illis patriarchis tantum gradus ſpectati: nam tanquam epiſcopi ſuarum vrbium, prouinciarum metropolitæ, & diœceſeon ἔξαρχοι ſiue primates & patriarchæ ipſi duntaxat conſiderati ſunt. Sed doceo te tam grandem prætextatum, qui aliis magiſter eluis, ſupraſcriptos omnes patriarchas nullius prouinciæ ſpeciales extitiſſe metropolitas. Conſtantinopolitanus trium diœceſeon ſibi ſubditarum ſolos ordinabat metropolitanos. Alexandrinus nullam habuit peculiarem ſibi ſubiectam prouinciam, quam iure metropolitani regeret, aut cuius epiſcopos ordinaret: omnium ille per vniuerſam Ægypti diœceſim conſtitutorum tam epiſcoporum quam metropolitarum ordinandorum habuit licentiam: nullum in tota diœceſi abſque conſenſu eius ordinari fas erat epiſcopum. ſic totius diœceſeos, non vnius in diœceſi prouincię, metropolita reuera fuit, & idem patriarcha. ſimiliter & Antiochenus Orientalis totius diœceſeos verus fuerat metropolitanus & patriarcha. hoc ſatis ſupra demonſtrauimus. Hi ſunt patriarchæ quos integrarum diœceſeon fuiſſe metropolitanos ante ex Iuſtiniano oſtendimus. De hoc genere patriarcharum non fuiſſe certum eſt epiſcopum Romanum. Fuerit ille Occidentis patriarcha, certe totius Occidentis metropolita non fuit, nec per Occidentem epiſcoporum ordinan-

dorum immediate ius habuit. Ergo de illis patriarchis erit, quos idem Iustinianus asserit earum quibus præerant prouinciarum metropolitas extitisse. Prouinciæ sane fuit Romanæ metropolita episcopus Romanus. si Occidentis præterea patriarcha, nihil erat opus eum primatem Italiæ constituere, qui omnium Occidentis diœceseon, inter quas est Italia, primas & patriarcha fuerit. Omnis ergo cecidit incassum tuus labor, qui vt patriarcham Occidentis faceres, primatem prius eum Italiæ faciendum putasti, quasi Occidentis patriarcha non posset esse, nisi primas idem esset Italiæ. quo quid ineptius excogitari potest? quid imperitius? Hoc si alij accidisset vt diceret, illi excidisse dicerem. Tu non præter solitum leuis es quum nugaris. quod alij casu, hoc more facis. nos non Italiæ primatem, non Occidentis patriarcham fuisse Romanum episcopum, sed omnium totius orbis episcoporum primum primatemque, & vniuersalem Papam appellatum esse capite sequenti docebimus.

CAPVT V.

ETIAMSI daretur episcopum Romanum, Occidentis fuisse patriarcham, non tamen Ecclesias suburbicarias apud Ruffinum de omnibus Occidentalibus accipi posse. De metropolitana prouincia episcopi vrbis Romæ, non de vlla diœcesi patriarchali sextum Nicenum canonem, quem Ruffinus interpretatus est, exponi debere. Vrbicariam siue Romanam regionem sub præfecto vrbis omnes suburbicarias comprehendisse, & ὑρβικαρίας ἐπαρχίας in veteri Notitia appellari. Hanc eamdem vrbicariam & Romanam prouinciam sub episcopo vrbis omnes suburbicarias Ecclesias complexam esse. Solam hanc fuisse specialem diœcesim Papæ. Occidentem non specialem diœcesim eius esse, sed partem vniuersalis, vt Ægyptus pars erat Ægyptiacæ diœceseos, non specialis prouincia episcopi Alexandrini. Suburbicarias & Romanas Ecclesias easdem dici, sed Occidentis totius Ecclesias non designare. Romanæ Ecclesiæ nomine specialem semper intellectam, quæ Romanæ prouinciæ finibus continebatur, Ecclesiam, eamque ab Italicis, & ceteris Occidentalibus distinctam. Latinam Ecclesiam a Romana diuersam, omnes in Occidente Ecclesias comprehendisse, quæ Latina lingua vterentur. Romanam Ecclesiam, non Latinarum tantum & Occidentalium caput extitisse, sed omnium. Græcos ante schisma quum primatum eius ac principatum agnouerint, post schisma suo patriarcha illum vindicasse. In summa, non patriarcham Occidentis, sed caput & principem patriarcharum Papam esse, & vniuersæ Ecclesiæ primatem.

RELIQVA est Magistri de patriarchatu Occidentis ardens velitatio, quem totis animi viribus, pedibus manibusque obnixissime conatur adstruere. Hic scopus operis illi fuit, hæc meta laborum. Quo successu tantum sudoris impenderit, res ipsa indicabit. Hoc vt obtineret, vt euinceret, vt efficeret,

nihil non fecit, nihil intentatum reliquit, nihil inausum. Parum putauit nouos Episcoporum gradus construere, & nouas in Ecclesia dignitates comminisci: rerum etiam naturam commutare, ac regionum situm sedibus suis conuellere adnisus est. vltimas Occidentis regiones, ab extremo pene petitas orbe, totoque mari diuisas, ad vrbem admouit, & suburbanas reddidit: suburbia ipsa Romæ in media vrbe posuit, vrbemque ipsam suburbicariam fecit. Hæc tot miracula edidit, vt doceret recte Papam Occidentis patriarcham appellari, recte specialem eius diœcesim Occidentem dici, recte suburbicarias Ruffini Ecclesias, ad Occidentales omnes Ecclesias transferri. Sed hæc mira, quod mireris, non alium euentum habuere quam vt horum rideretur auctor. ὦ θαυματοποιὲ γελοιότατε vin scire quam frustra laboraueris? Occidentis patriarcham appellatum esse Papam, Occidentem patriarchalem eius fuisse diœcesim cum schismaticis Græcis tibi concedimus. quid deinde? an propterea suburbicariæ Ruffini Ecclesiæ, erunt omnes Ecclesiæ Occidentis? an Occidens totus erit vrbis Romæ suburbanus? Ruffinus Nicenum sextum canonem interpretatus est; in ea interpretatione suburbicarias Ecclesias pro diœcesi siue prouincia episcopo Romano assignauit, vt Ægyptum Alexandrino. Etiamsi canon ille de Occidente, de patriarchali Romani Pontificis diœcesi, si quam habuit, intelligẽdus esset, non tamen inde sequeretur, suburbanas vel suburbicarias appellari posse, aut a

Ruffino appellatas esse totius Occidentis Ecclesias. Hoc diceretur, quod iam dixere quidam, malum interpretem fuisse Ruffinum, male assequutum esse Synodi mentem. quis enim tam insanum in modum ineptus qui sibi persuadere possit, aliud esse suburbicarium, quam suburbanum, aut suburbanas dici prouincias vel Ecclesias tam procul ab vrbe dissitas, tam longe a suburbanis vel vrbi vicinis regionibus remotas? Hanc rationem nunc missam facio, suburbicarias apud Ruffinum totius Occidentis prouincias dici volo, si modo Nicena Synodus cuius sextum canonem Ruffinus interpretatur, de Occidente vel Occidentalibus Ecclesiis capi potest. Potestatem dat illa eamdem ac parem ἐξουσίαν episcopo Alexandrino in Ægypto, Libya & Pentapoli, quam episcopus Romanus habere solitus esset, in sua nimirum prouincia: eamdem Antiocheno, eamdem ceteris omnibus metropolitanis per suas cuique prouincias. Ad formam normamque potestatis, quam haberet in sua prouincia episcopus Romanus, confirmatur illa quam habere debebat, quam ex antiquo habuerat per vniuersam Ægyptum episcopus Alexandrinus. has potestates, hæc iura pariemus atque inter se comparemus; non solum quænam illa iura fuerint inde discere poterimus, sed etiam quæ prouincia sit illa, quæ diœcesis, intra quam iuris idem potestatisque competierit episcopo Romano, quod Alexandrino tribuit Synodus per prouincias suprascripto sexto canone memoratas. Ceterum est ab omni æuo, καὶ

ἐξ ἀρχαίου, episcopum Alexandrinum per vniuersam Ægypti diœcesim episcoporum omnium ordinationes sub sua potestate habuisse; neminem episcopum in tota Ægypto sine consensu eius creari licuisse. Hinc cum in hæc iura turbaretur a Meletianis, Synodus decreuit vt antiquæ consuetudines, circa episcoporum ordinationem scilicet, per Ægyptum & Libyam & Pentapolim obtinerent, additque, *quoniam moris id haberet in sua nimirum prouincia episcopus Romanus:* ἐπειδὴ τοῦτο συνήθες ἐστὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ. quænam igitur illa prouincia fuit, in qua episcopus Romanus immediate poterat ordinationes episcoporum facere, & alia iura metropolitana exercere? Si per totum Occidentem id moris ac iuris habuit, si nullus in Occidente potuit episcopus sine auctoritate eius ordinari, Synodum de Occidente interpretemur censeo, & suburbicarias apud Ruffinum Ecclesias de omnibus Occidentalibus Ecclesiis accipiamus. Metropolita verus fuit, non solum patriarcha, Ægypti totius Alexandrinus antistes. si totius quoque Occidentis metropolitam fuisse docere me potes episcopum Romanum, do tibi manus Sirmonde, vicit tua sententia. Diuersa, sicut iam supra docuimus, iura metropolitarum, diuersa fuere patriarcharum. Non quod patriarcha totius Ægyptiacæ diœceseos esset Alexandrinus episcopus, ideo omnium per illam diœcesim episcoporum ius ac potestatem habuit ordinandorum, sed quod metropolitanus. sic & metropolita simul idem, & patriarcha fuit eiusdem diœceseos: patriar-

cha quidem quod pluribus metropolitanis præsideret, pluribusque prouinciis præesset: metropolita vero, quod ipso inconsulto nullum in diœcesi episcopum fas esset ordinari. Non de patriarchalibus igitur diœcesibus, sed de metropolitanis agit illa Synodus illo canone, ac de priuilegiis Ecclesiarum omnium metropolitanarum, quibus omnibus sua iura seruari præcipit, & inlibata inuiolataque custodiri, metropolitanosque omnes iisdem priuilegiis frui decernit, in suis singulos prouinciis, circa episcoporum scilicet ordinationes, & alia metropolitana iura, quibus in sua prouincia frui solitus esset episcopus Romanus. Prouinciam itaque intelligit metropolitanam episcopi Romani; atque ita veteres omnes interpretes Græci Latinique intellexerunt. Symeon Magister cum Aristeno, quem supra adduximus, τοῖς ὑπὸ Ῥώμην χωρίοις, hoc est suburbicariis, vel sub vrbe positis locis illam prouinciam definiuerunt: Ruffinus *suburbicariis*, hoc est suburbanis, *Ecclesiis* eam determinauit: Vaticanus interpres *suburbicariis locis* omnem eamdem prouinciam circumscripsit. Auctor Arabs a Turriano editus vt Ægyptum & omnia loca quæ sunt circum eam pro diœcesi episcopo Alexandrino attribuit, ita episcopo Romano vrbem Romam, & loca ciuitatesque, quæ circum eam sunt: hoc est suburbicaria loca, & suburbanas ciuitates, τὰ περὶ πόλιν καὶ ὑπὸ πόλιν χωρία. verba eius ista sunt, iam ante a nobis producta, sed quæ vel centies ad hanc rem probandam produci mereantur: *Constitutum est vt*

episcopus

episcopus Ægypti, hoc est patriarcha Alexandrinus, præsideat & habeat potestatem totius Ægypti, & omnium locorum, castellorum, & ciuitatum quæ sunt circum eam, quia sic conuenit. siquidem similiter episcopus Romæ, id est successor Petri Apostoli, potestatem habet omnium ciuitatum, & locorum quæ sunt circa eam. totius Ægypti nomine, Arabicus ille interpres vniuersam Ægypti diœcesim intellexit. cur igitur addidit, dices, *& omnium locorum, castellorum & ciuitatum quæ sunt circum eam?* an aliquid sub se plus habuit, quam Ægyptum totam vel Ægyptiacam diœcesim episcopus Alexandrinus? sciendum est & aliquas eum præter Ægyptum, regiones Ægypto vicinas administrasse. hæc enim apud Gelasium Cyzicenum leguntur de patriarcha Alexandrino: Ἀλέξανδρος Ἀλεξανδρείας σὺν Ἀθανασίῳ τότε ἀρχιδιακόνῳ ὄντι τῆς κατ' Αἴγυπτον πᾶσαν, καὶ Λιβύην καὶ Πεντάπολιν καὶ τὰ ὅμορα τούτοις, ἕως τῶν τῆς Ἰνδίας ἐπαρχιῶν. Ægyptus, Libya & Pentapolis prouinciæ vniuersam Ægyptiacam diœcesim constituebant. τὰ ὅμορα τούτοις, vicina tribus illis prouinciis, sunt loca & castella & ciuitates quæ circum Ægyptum esse dicit Arabs ille: nam idem Æthiopiam etiam subiicit episcopo Alexandrino in illa sua canonum collectione quæ de Arabica lingua in Latinum traducta est, cap. XXXVI. Loca igitur & ciuitates circa Romam, quibus prouinciam episcopi Romani delimitat canonum compilator Arabs, sunt circumiacentia Romæ loca, quæ *suburbicaria* Vaticano, *suburbicariæ Ecclesiæ* Ruffino, hoc est sub vrbe sitæ, & suburbanæ. *circa vrbem constitutas Eccle-*

ſias vocat Iohannes epiſcopus Rauennas in Epiſtola ad Gregorium Papam: *nam cum hoc minoribus circa vrbem conſtitutis Eccleſiis licitum ſit, poterit etiam Apoſtolatus mei dominus, ſi venerabilem clerum primæ Apoſtolicæ ſuæ ſedis requirere dignatur, modis omnibus inuenire.* Eædem erant ſuburbicariæ regiones quibus territorium præf. vrbis concludebatur, quæque totam vrbicariam & Romanam regionem quæ ſub eius erat iuriſdictione vſque ad centeſimum milliare conſtituebant. omnes illo tractu quem centeſimus lapis ambiebat, iuriſdictionis vrbicæ terminus, comprehenſæ regiones, & vicinæ vrbi, & finitimæ, & ſuburbicariæ & ſuburbanæ ſunt appellatæ. Ad hanc formam typumque conſtituta olim ac conformata vrbici epiſcopi prouincia metropolitana. eædem quippe antiquitus regiones ſubiectæ fuere epiſcopo vrbis Romæ, & præfecto vrbis. Et quemadmodum ſuburbicariæ regiones dictæ ſunt a vicinitate vrbis quæ ſub iuriſdictione præfecti vrbis erant, ita & ſuburbicariæ Eccleſiæ & ciuitates, & ſuburbicaria loca, ab eadem vicinitate, quæ ſuberant epiſcopo vrbis. Nam latiores olim fines habuiſſe videtur prouincia Romana, cui iure metropolitani præſidebat Summus Pontifex, quam regio vrbicaria ſiue Romana, cuius intra fines iuriſdictionem habebat præfectus vrbi. Poſtremis vero temporibus limites ſuos extendit eadem epiſcopi Romani. prouincia, eoſque latiores & auctiores tenuit, ſed duabus duntaxat prouinciis ſiue prouinciarum partibus. Nam ex duabus Tuſciis anno-

naria, & ſuburbicaria, ſola ſuburbicaria quæ intra centeſimum comprehenſa, ſub præfecto vrbis fuit; ex duobus item Picenis, annonario & ſuburbicario, ſuburbicarium Picenum duntaxat ad præfecturæ vrbicæ iuriſdictionem pertinuit, quod centeſimo incluſum erat. Vtrumque autem Picenum, & vtraque Tuſcia poſtremis temporibus ſub epiſcopo Romano fuerunt, & intra prouinciæ Romanæ limites, cui tanquam metropolita præerat epiſcopus Romanus. Prouinciale Romanum infimis illis & vltimis Italiæ temporibus ſcriptum epiſcopos Summi Pontificis ſuffraganeos, qui nulli alij primati vel archiepiſcopo parebant, enumerat in CAMPANIA nouem: in MARSIA ſex: in TVSCIA viginti tres: in DVCATV SPOLETANO decem: in MARCHIA tredecim: in ROMANIA duo. in totum ſunt epiſcopi, ſexaginta tres. Nomina autem regionum, quæ prouinciam Romani Pontificis conſtituebant, ita ſcripta exhibent, vt poſuimus, tres vetuſti manu exarati Codices, quos habuimus ex Bibliotheca Ampliſſimi Ribierij in ſacro Conſiſtorio Regis Conſiliarij. *Campania* quæ ibi vocatur Latina eſt, nec centeſimum excedit: *Marſia* pro Marſorum regione ponitur, quæ olim Valeria dicebatur, & vna erat ex ſuburbicariis, comprehendebatque Marſos populos, & omnem viæ Valeriæ tractum. Marſiam hanc regionem vocarunt recentiores. vetus Chronicon ex eadem Ampliſſ. Ribierij Biliotheca, nondum editum: *iſte* (*Traianus*) *fecit fieri aquaductum vnde lacus Marſiæ deriuatur in*

alueum ſub montibus excelſis & laxis. Marſia iſta ſiue Marſorum regio centeſimi quoque terminum non egrediebatur. *Tuſcia* in illo catalogo vtramque comprehendit Tuſciam, ſuburbicariam, & annonariam: annonaria tota extra centeſimum procedebat, ideoque ad præfecturam vrbicam non pertinebat, quæ ſolis intra centeſimum vrbicariis ſuburbicariiſque iura dedit. veriſimile eſt etiam quondam nec iſtam ſub Romano archiepiſcopo, nec vnam de prouinciæ Romanæ regionibus fuiſſe, ſed ſublato demum diſcrimine annonariæ & ſuburbicariæ regionis vtramque Tuſciam, ſicut prius erat, in vnum corpus rediiſſe, atque integram totamque Romano epiſcopo ſubiectam eſſe. Demus ab antiquo ſic fuiſſe, & paruiſſe ſemper epiſcopo Romano: Roma ſane in Tuſcia prouincia ſita erat: nulla prouincia magis vrbi fuit vicina, nulla magis ſuburbana: tota itaque ſuburbicaria dici potuit, & earum ſuburbicariarum nomine comprehendi, quæ ſub epiſcopo vrbis erant, immediateque eidem parebant. Sequitur in eodem prouinciali *Ducatus Spoletinus*. totus Ducatus Spoletinus olim ſuburbicarij Piceni nomine, licet in Vmbria ſitum habuerit, comprehendebatur. quinimmo huius Piceni ſuburbicarij caput fuit Spoletium, quam & in Picenenſi regione collocat Balbus. Picenum enim ſuburbicarium, vt ſuperius docuimus, Vmbros Vilumbroſque & Sabinorum regionem complectebatur. Sabinenſi agro conterminus erat Tiburtinus. Tiburtinam porro Ec-

clesiam Piceni prouinciæ fuisse constat ex subscriptione Mauricij Tiburtini episcopi in Concilio quod Romæ sub Agathone celebratum est. Act. IV. Synod. sextæ Constantinop. inter alios Italiæ episcopos qui Concilio suprascripto adfuerunt, ita subscribit Tiburtinus: Μαυρίκιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Τιβούρτου ἐπαρχίας Πικηνῆς ταύτῃ τῇ διαφορᾷ ἣν ὑπὲρ τῆς ἀποστολικῆς ἡμῶν πίστεως ὁμοθυμαδὸν συνετάξαμεν, ὑπέγραψα. Tu qui vtrumque Picenum extra centesimum collocabas, suburbicariumque dici negabas, ab eo quod esset sub vrbe vel vrbi vicinum, nunc tibi docendum erit, aut Tiburtinum agrum extra centesimum fuisse positum, qui vigesimo ab vrbe lapide plus minus distabat, aut fatendum aliquam Piceni prouinciæ partem, intra centesimum lapidem constitisse. Sed de Piceno suburbicario plura superius. Ab hac igitur parte, qua Ducatus erat Spoletinus, & Picenum suburbicarium, neque nunc, nec olim vltra centesimum excucurrit prouincia metropolitana episcopi vrbis. De *Marchia* quæ sequitur, erraui fateor in Epistola, cum dixi *Marchiæ* vocabulo vtrumque Picenum designari: solum quippe Picenum annonarium, quod extra centesimi fines erat positum, hac voce significari certum est. quid ergo? inquies. cur annonarium Picenum, quod a suburbicario diuersum erat, Romano episcopo heic tribuitur, & Romanæ prouinciæ adscribitur, quæ solas suburbicarias Ecclesias, & regiones intra se continebat? ἔχ' ἀπείμας ἐκ κενὸν θνεῖον, nihil istic tibi nec seritur, nec metitur.

Quod de Tuſcia paulo ante diximus, idē de Piceno dici debet. Picenum cum vna eſſet olim prouincia, in duas partes ſiue prouincias diuiſum eſt. pars eius quam centeſimus includebat, cum Vmbris, Vilumbris & Sabinis Piceni ſuburbicarij nomine appellata eſt: altera quæ vltra centeſimum ſummouebatur, annonaria dicta, & cum Flaminia iuncta, ſub vno conſulari fuit. ſolum autem ſuburbicarium Picenum, quod intra vrbicariæ prouinciæ terminos ſitum erat, & vrbicarium etiam inde dicebatur, ad præfecturæ vrbicæ iuriſdictionem pertinebat. ſola etiam hæc Piceni pars ſuburbana vel vrbicaria videtur antiquitus ſub epiſcopo Romano fuiſſe, & in prouincia Romana ſub Romæ metropoli. nam Piceni annonarij quod cum Flaminia iunctum ab vno eodem regebatur conſulari, metropolis & caput erat Rauenna, vt conſtat ex hac inſcriptione.

CRONIO EVSEBIO V. C. CONSVLARI ÆMILIAE
ADDITA PRAEDICTAE PROVINCIAE
CONTVITV VIGILANTIAE
ET IVSTITIAE EIVS ET RA
VENNATENSIVM CIVITATE
QVÆ ANTEA PICENI CAPVT VIDEBATVR
VICARIO ITALIAE QVAE POTESTAS
SVPRADICTO VIRO OB TESTIMONIVM
ANTEACTI HONORIS EST ATTRIBVTA.

Picenum annonarium Flaminiæ adnexum prouinciam vnam efficiebat, cuius caput Rauenna. Docet autem hæc inſcriptio Cronio Euſebio, cum eſſet

consularis Æmiliæ, prædictæ prouinciæ Æmiliæ additam esse ciuitatem Rauennatensium, quæ antea caput Piceni videbatur, contuitu vigilantiæ eius & iustitiæ: & postmodum quoque huic eidem Eusebio ob testimonium anteacti honoris vicariam Italiæ potestatem attributam fuisse. Hic sensus huius inscriptionis, quam nescio quis fungus superiore anno in putido libello de suburbicariis ita interpretatus est, vt dixerit Rauennatensium ciuitatem vicario Italiæ videri caput esse Piceni prouinciæ. Sed retrimentum illud hominis, tanti faciendum non est, vt refellatur. Vtramque porro hanc regionem, Picenum & Flaminiam, prouinciæ annonariæ nomine vetus Notitia prouinciarum Græca, nondum edita comprehendit hoc modo: ἐπαρχία ἀννωναρίας. Ῥαβέννα, Φανεὺς, Ὀλκοῦσα, Πολσεὺς, Πεκίνοις, Γίσαυρον, κάστρον Φερεντῖνον, κάστρον Σάλερ.ον. sequebantur aliarum vrbium & castellorum ex eadem prouincia nomina, sed corruptissime scripta. Flaminia erat annonaria, Picenum quoque quod illi adiungebatur, annonarium dictum est, ad distinctionem suburbicarij. hinc annonariam eam prouinciam vocauit auctor ille. ἐν τοῖς κοσμικοῖς igitur olim Picenum annonarium sub Rauenna metropoli fuit, nec dubito quin idem fuerit ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, sed postea labente Imperio mutata vel prorsus abolita per Italiam antiqui regiminis, & præfecturarum ratione, & sublata prorsus differentia suburbicariæ & annonariæ regionis, Picenum totum solidumque Romanæ prouinciæ attri-

butum eſt. Hinc in recentioribus Italiæ prouinciarum deſcriptionibus Picenum tantum vnum recenſetur a Flaminia ſeiunctum. *In Italia prouinciæ* XVII. *Campania in qua eſt Capua, Tuſcia in qua eſt Roma, Æmilia, Flaminia in qua eſt Rauenna, Picenum, Liguria,* &c. Paulus quoque Diaconus vnicum modo Picenum memorat. In antiquioribus autem adnotationibus Italiæ, vt in illa quæ habetur apud vtriuſque imperij Notitiæ auctorem, duo Picena numerantur, alterum ſuburbicarium ſeorſim, alterum annonarium cum Flaminia iunctum, hoc modo: *Flaminia & Picenum annonarium, Tuſcia & Vmbria, Picenum ſuburbicarium, Campania, Sicilia,* &c. Quidquid horum ſit, certum eſt ſuburbicarias Ruffini Eccleſias a locorum ſitu, & ab vrbis vicinitate nomen eſſe ſortitas, & hoc nomine Eccleſias intelligi ſuburbanas vel vrbi vicinas, quæ prouinciam Romanam, cui epiſcopus Romanus tanquam metropolitanus & archiepiſcopus præerat, conſtitutum ibant. quam prouinciam non mirum eſt paulo latiores infimo Imperij ſæculo habuiſſe limites quam olim habuerit. id enim non in vna prouincia Romana accidiſſe ſatis ſcire poſſunt, qui vel non nimium docti ſunt. At illud omnino conſtat, ſuburbicarias regiones, quo tempore ita proprie dictæ ſunt, centeſimi fines nunquam exceſſiſſe, & intra vrbicariam regionem ſemper incluſas ſtetiſſe, indeque vrbicarias appellatas fuiſſe, vt ſuburbicarias quod ſuburbanæ eſſent, & vrbi vicinæ. Vrbicaria porro regio ea dicebatur quam diximus: totus ille nimirum

nimirum tractus, sub vrbe & circum vrbem ad centesimumvsque milliare protensus, & qui centesimo lapide finiebatur: quem terminum fuisse liquet vrbicæ præfecturæ iurisdictionis. Hoc mihi nuper egregie confirmauit vetus omnium prouinciarum orbis Notitia Græca, tempore Leonis Philosophi & Photij Patriarchæ ἐκτεθεῖσα, quæ nondum publicata est. ita enim in fine habet: αἱ παροῦσαι ἔκθεσις ἐγένοντο ἐν ἔτει ϛτζα̅ ἐπὶ τῆς βασιλείας Κυρίου Λέοντος τοῦ σοφοῦ καὶ Φωτίου πατριάρχου. Hæc in descriptione ciuilium Italiæ prouinciarum, quæ sub dispositione præfecti prætorio Italiæ fuere, primam recenset prouinciam vrbicariam, quæ sub præfecto vrbis erat, deinde Campaniam, Bruttios, Calabriam & reliquas. ita igitur in titulo scriptum exhibet: ἐπαρχία ὑπὸ τὸν ἐνδοξότατον ἔπαρχον Ῥώμης ἤτοι Ἰταλίας, ἐπαρχία οὐρβικαρείας, Ῥώμη. perperam confundit præfectum vrbis cum præfecto Italiæ. sequitur, Βρεττίων ἐπαρχία, ἐπαρχία Καμπανίας, ἐπαρχία Καλαβρείας, Ἀπουλία, Σάμνιον, Βενετία, νῆσος Σικελίας, ἐπαρχία ἀννωναρείας, ita vocat Picenum annonarium, cum Flaminia iunctum, ἐπαρχία Αἰμιλίας, Σάρδων νῆσος. nomina ciuitatum ibidem etiam recitantur, sed ita confusa, & corrupta vt nihil sani licuerit elicere. sub prouincia vrbicaria recenset Portum Romæ, Centumcellas, castrum Tiburtinum, castrum Nepesinum, castrum Tempsanum, castrum Soranum, castrum Anagniæ, & nonnullas etiam alias ciuitates, quarum nomina valde perturbata sunt, & corrupta. Hoc omnino ex illa Notitia licet col-

ligere, quod omni certo certius est, diuersam vrbicariam prouinciam fuisse a Bruttiis, a Samnio, a Campania, a Calabria, a Sicilia, & aliis regionibus quas tu vrbicarias & suburbicarias dici volebas. atqui solæ ita dictæ sunt, quæ vrbicariæ illius prouinciæ ambitu comprehendebantur. Hinc *vrbicarium Picenum*, Piceni pars quæ in vrbicaria prouincia sita erat: & *vrbicaria Tuscia*, pars Tusciæ quæ intra eiusdem vrbicariæ prouinciæ terminos continebatur. Eædem, & suburbicariæ vel suburbanæ, quod nullæ scilicet vrbi viciniores essent regiones quam quæ territorij vrbici finibus tenerentur. Nam & suburbana Italia, pars illa Italiæ vocabatur, vt ex Plinio in superioribus obseruauimus. Hæc ἐπαρχία οὐρβικαρίας, *vrbicaria regio* dicitur Cod. Theod. *tributa in ipsis speciebus inferri.* leg. III. quod iam ante nobis obseruatum. Hæc etiam *Romana regio* Vopisco, & in veteri Inscriptione. Hæc eadem ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς Romana vel vrbicaria prouincia, cuius vel a primis nascentis Ecclesiæ cunabulis metropolita fuit episcopus vrbis Romæ. Ῥωμαίων χωρίον hoc est Romanorum vel Romana regio dicitur Ignatio in Epistola ad Ecclesiam Romanam. De hac igitur prouincia canon sextus Nicenæ Synodi exponendus erat, & ita ab antiquis qua Græcis, qua Latinis expositus fuit interpretibus. Ruffinus itaque qui *suburbicarias Ecclesias* assignat in diœcesim Romano Pontifici, non alias intellexit quam suburbanas circum vrbem positas, quæque Romanam illam prouinciam episcopo vrbis Romæ, quatenus

metropolitæ ſubiectam, conſtituebant. D. Hieronymus qui σύγχρονος Ruffino vixit, *ſedis Apoſtolicæ Eccleſias* eas appellat aduerſus Vigilantium his verbis: *quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti? quid ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* per Apoſtolicæ ſedis Eccleſias haud dubium eſſe poteſt quin intelligi debeant omnes Eccleſiæ Apoſtolicæ ſedi, hoc eſt Romanæ, ſubiectæ. Si Apoſtolicæ autem ſedis Eccleſiæ Hieronymo ſunt appellatæ omnes Occidentis Eccleſiæ, haud renuo quin ſuburbicarię apud Ruffinum eodem ſenſu accipiantur, de omnibus nempe Occidentalibus Eccleſiis. Nunc videamus an Apoſtolicæ ſedis Eccleſiarum nomine omnes Occidentis Eccleſias deſignauerit Hieronymus. Vigilantius ille aduerſus quem ſtili mucronem diſtringit, Gallus domo fuit, Barcillonenſis Eccleſiæ, quæ in Hiſpania eſt, preſbyter. Hic inter cetera quæ ſolita fieri in Eccleſia, non probabat, cœlibatum preſbyterorum maxime impugnabat, & epiſcopos per Hiſpaniam nonnullos habebat, vt teſtatur idem Hieronymus, erroris ſui conſortes: *Pro nefas,* inquit, *epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes: ſi tamen epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant epiſcopos, niſi prius vxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam, immo oſtendentes quam ſancte viuant qui male de omnibus ſuſpicantur: & niſi prægnantes vxores viderint clericorum infanteſque de vlnis matrum vagientes, Chriſti ſacramenta non tribuunt.* Vigilantio & epiſcopis Eccleſiarum Hiſpaniæ qui eum ſequebantur, opponit

Hieronymus earum Ecclesiarum consuetudinem, quarum maxima auctoritas erat, Orientalium nempe sub Antiocheno, Ægyptiacarum sub Alexandrino patriarcha, & Apostolicæ sedis Ecclesiarum, quæ Romano episcopo subiacebant: *Quid facient,* inquit, *Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, quid Apostolicæ sedis Ecclesiæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* Trium igitur illarum Ecclesiarum auctoritate, quæ primas sedes habebant, retundit ac reprimit Hieronymus episcopos illos qui cum Vigilantio virginitatem clericorum improbabant. Ecclesias porro Hispanicas eorum episcoporum qui Vigilantio adhærebant, aperte distinguit beatus ille pater ab Ecclesiis Apostolicæ sedis: ergo Hispaniarum Ecclesiæ Romanæ sedi subiectæ non erant. Vt quid enim eis opponeret consuetudinem quæ seruabatur in Ecclesiis Apostolicæ sedis, si Ecclesiæ illæ quibus hoc opponit, inter Ecclesias Apostolicæ sedis numeratæ essent? Si Hispaniarum Ecclesiæ, Romanæ sedi non erant subditæ, cur erunt Galliarum, cur Africanæ, cur aliæ Occidentales? Per Apostolicæ igitur sedis Ecclesias intellexit Hieronymus *suburbicarias*, quæque immediate parebant episcopo vrbis Romæ, vt suo metropolitæ.

Præter illam metropolitanam prouinciam, an aliam habuerit specialem diœcesim, nunc quærendum. Italiæ primatem specialem eum fuisse quovis pignore contendis, & hanc rationem reddis, quod nullus in Italia primas esset. qua ratione nihil fu-

tilius, nihil falsius. si iuxta hanc rationem tantum primas Italiæ fuit Papa, ego tibi pro certo asserere ausim primatem illum non fuisse: nam in Italia non primates, sed etiam patriarchæ fuere. quid de Aquileiensi dices? an non ille primas & patriarcha dictus est? quid de Forojuliensi? quid de Gradensi? Si mihi non credis, crede Leoni nono Papæ qui Gradensem episcopum primatem & patriarcham Venetiæ & Histriæ vocat: crede & Gregorio secundo qui hoc eodem illum nomine donauit. fateamur fuisse Italiæ primatem episcopum Romanum; si primas fuit, fuit & patriarcha. omnes enim diœceseon primates, etiam patriarchæ passim dicti sunt. Hoc satis multis supra comprobauimus. nec ipse quin verum id sit diffiteri ausus es, vi nimirum veritatis fractus. Si patriarcha igitur Italiæ Papa, Italia specialis eius erit & patriarchalis diœcesis, vt Ægyptus diœcesis erat Alexandrini patriarchæ, Oriens Antiocheni. At tu non Italiæ, sed Occidentis totius patriarcham eum vis dici, & Occidentem specialem eius esse diœcesim. non igitur vnicam ille diœcesim sub suo patriarchatu habuit, vt Antiochenus & Alexandrinus, sed plures vt Constantinopolitanus. Plures autem in Occidente diœceses. harum omnium patriarcha tua sententia Pontifex Romanus erat. inter illas porro diœceses Italia numerata est, & vna ex illis fuit, vt Thracia vna fuit trium diœceseon quæ patriarchæ Constantinopolitano parebant. Ergo non alio modo Italiæ primatem siue patriarcham fuisse dicendum, quam aut

Africæ, aut Galliæ, aut Hiſpaniæ, aut Britanniæ, aut aliarum denique Occidentis diœceſeon. nec enim alio modo, aut alio iure patriarcha Thracicæ diœceſeos erat archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, quam Aſianæ & Ponticæ. Thracica ſpecialis non eſt diœceſis patriarchæ Conſtantinopolitani, ſed vna ex tribus quæ ſpecialem eius diœceſim conſtituunt. ſic Italia ſpecialis non fuerit diœceſis patriarchæ Romani, ſed vna ex multis quæ ſub eius erant patriarchatu. Quare aut ſpecialis Italiæ primas non eſt epiſcopus Romanus, aut etiam eſt patriarcha. At ſi patriarcha ſpecialis eſt Italiæ, iam non erit Occidentis. nam patriarchatus eius & diœceſis patriarchalis Italiæ finibus hoc pacto circumſcriberetur omnis. Si patriarcha vero eſt Occidentis ſpecialis, Galliæ non minus erit, & Africæ, & Hiſpaniæ & Illyrici aliarumque Occidentis diœceſeon, quam Italiæ primas & patriarcha. quid opus erat, obſecro te, primatem Italiæ facere, quem Occidentis totius patriarcham conſtitueres? quid aliud primas diœceſis quam patriarcha diœceſis? Si diœceſis eius ſpecialis, ſicuti vis, Occidens fuit, an non illius diœceſeos idem primas extitit & patriarcha? Nonne patriarcha Alexandrinus Ægyptiacæ diœceſeos ἔξαρχος, hoc eſt, primas dictus eſt? Nonne Antiochenus antiſtes τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως, primas & patriarcha ſimiliter eſt appellatus? Papa itaque Romanus ſi patriarcha Occidentis eſt vniuerſi, idem & Italiæ primas, & Galliæ & Africæ & ceterarum per Occidentem diœceſeon: ſi patriarcha

Italiæ ſpecialis non eſt, nec primas fuerit, nam πατειάρχης διοικήσεως, & ἔξαρχος διοικήσεως, hoc eſt primas diœceſis, idem.

Concederem ſane libens & confiterer haud inuitus patriarcham Italiæ fuiſſe epiſcopum Romanum, ſi ad communem aliorum patriarcharum normam, qui omnium primus eſt & princeps, exigi ſpectarique aut vellet ipſe, aut deberet, aut certe poſſet. In ſingulis diœceſibus qui primi erant metropolitani, qui primam diœceſeos ſedem habebant, iidem & primates ſiue patriarchæ illius diœceſeos dicebantur. Epiſcopus Romanus primus quidem ſine controuerſia fuit Italiæ metropolitanus, ſed non Italiæ tantum, non etiam Occidentis, quippe qui totius orbis primam tenuerit ſedem, & primus epiſcopus fuerit. Ceteri patriarchæ ſuarum ſinguli diœceſeon tantum primi fuere metropolitani & ἔξαρχοι, extra ſuas diœceſes nullum habuere primatum, epiſcopus Romanus nullius ſpecialis diœceſeos primus fuit metropolita, ſed omnium: nullius itaque primas extitit diœceſeos ſpeciatim, ſed generaliter vniuerſarum: ſingularis alicuius ac ſpecialis diœceſeos τὸ πρωτεῖον non habuit, ſed vniuerſalis quæ cunctas comprehendit. non igitur Italiæ primas modo fuit, ſed vniuerſæ Eccleſiæ primus & princeps epiſcopus, & patriarcha. Eapropter qui in Italia primus poſt Romanum metropolitanus erat, is patriarcha dictus eſt, Aquileienſis nimirum, qui primæ per Italiam prouinciæ præerat, Venetiis nempe & Iſtriæ. Nam & primi quique diœceſeon

metropolitani tam in Occidente quam in Oriente, primates illarum diœceſeon dicebantur, & patriarchæ. Hi tamen omnes primi ſemper fuere poſt Romanum Pontificem, qui omnium primus. In Italia igitur non patriarcha Italiæ vnquam legitur appellatus epiſcopus vrbis Romæ, ſed Aquileienſis, quem & ipſi Romani epiſcopi pro patriarcha ſemper agnouerunt, itaque vocauerunt. Italiam præterea non alio iure rexit Summus Pontifex, nec alia forma regiminis gubernauit, quam vel Galliam vel Africam vel Hiſpaniam vel quamlibet aliam denique prouinciam Occidentis. Diuerſam iuriſdictionem in Italia non exercuit, nec diuerſam in ea poteſtatis, vt ita loquar, ideam habuit, quam in Gallia, quam in reliquo Occidente toto. Poſtremo cum Græci etiam ſchiſmatici, qui quantum poſſunt, Summum Pontificem in ordinem cogunt, Ρωμαϊκὴν διοίκησιν de toto interpretentur Occidente, & patriarcham eum agnoſcant & vltro fateantur omnium Occidentis Eccleſiarum, nos non debemus qui Catholici ſumus, πατριαρχίαν eius qui vniuerſum habeat Occidentem pro diœceſi, finibus & cancellis Italiæ circumſcribere ac coercere. Ad ſummam, quid opus eum Italiæ patriarcham facere, ſi fuit Occidentis? Italia quippe in Occidente quaſi pars in toto. ſi totum habuit, vtique & partem. Si patriarcha Occidentis, omnino & Italiæ fuit. At non contra, ſi Italiæ, vtique & Occidẽtis. Nec primas igitur, nec ſpecialis Italiæ patriarcha, Romæ vrbis epiſcopus. nunc videamus an fuerit Occidentis.

Epiſcopus

Epiſcopus Romanus, Maximus Pontifex, epiſcopus epiſcoporum, pater patrum, patriarcharum patriarcha, vniuerſæ rector & paſtor Eccleſiæ, qui vniuerſalis Eccleſiæ epiſcopum ſeſe vocat, qui epiſcopus vniuerſalis haud minus eſt, quam vocatur, Beati denique Petri ſucceſſor, Chriſti vicarius, Eccleſiæ viſibile caput vnicum, atque, vt vno verbo abſoluam, quod omnia comprehendit, PAPA, quis ambigere queat, quis negare, quin etiam fuerit Occidentis patriarcha? qui totum habet, habet & partes. qui vniuerſi orbis dominus eſt, & in ſingulis partibus dominatur. Si patriarcha vniuerſalis eſt Papa, cum Occidens pars ſit vniuerſi, Occidentis quoque omnino patriarcha habendus eſt: nec ſolius Occidentis ille patriarcha, ſed & Orientis. an non iniurium eſt partem illi concedere qui totum ſibi deberi poſtulat? Hoc Græci fecerunt. hoc ſchiſmatici. qui vniuerſalem agnoſcere nolunt, ſolius Occidentis patriarcham agnoſcunt. Hos tu Sirmonde ſequeris? horum ſententiam probas, & pro Catholico te venditare audes? nullus ſchiſmaticus te σχισματικώτερος. Ecquid te pudet? Sed hæc infra videbimus. Nunc argumenta tua diſcutiamus, & rationes quibus patriarcham ſpecialem Occidentis fuiſſe Papam adſtruere & adſerere conatus es. Primum illud & valentiſſimum, ſed & vnicum tibi argumentum eſt, quo ſic argumentaris. *Si quinque*, inquis, *duntaxat in Eccleſia ſunt patriarchæ, atque horum quinque omnium conſenſione quattuor ſunt in Oriente, conſequens eſt, vt quintus totum obtineat Occidentem.*

Bona ſane hæc conſequentia, ſi verum eſſet quod antecedit. At nihil illo falſius. non enim quinque duntaxat fuere patriarchæ, ſed quinque primarij præcipuique. non igitur ſoli, ſed inter plures eximij καὶ ἔξοχοι τῶν ἄλλων. fateris ipſe κατ' ἐξοχὴν patriarchas appellatos eſſe. ſi κατ' ἐξοχὴν ita dicti ſunt, non ſoli fuerunt. oportet enim & alios fuiſſe eiuſdem ordinis & nominis inter quos excellerent. ſi ſoli fuere, κατ' ἐξοχὴν patriarchæ appellati non ſunt: quippe qui ſoli hoc nomen habuerint. Contradicis ipſemet tibi, tuoque gladio plane te iugulas. Volo fuerint, ſicuti vis, quinque duntaxat patriarchæ: ſoli patriarchæ vocati ſint: nemo præter eos quinque nomen hoc geſſerit. quid conſequetur? totum orbem, vniuerſam Eccleſiam ſub illis quinque fuiſſe patriarchis? Iſtæ tui argumenti conſequentiæ ſunt. at quam falſæ? quattuor in Oriente fuerunt patriarchæ. ergo totus Oriens quattuor illis ſubiectus fuit patriarchis. nulla in Oriente prouincia, nulla diœceſis quæ non alicui ex quattuor illis patriarchis fuerit ſubdita. an hæc tua ſententia eſt? ex tuo argumento hæc debet eſſe. dic igitur ſodes, Cyprum inſulam quis ex illis patriarchis habuit ſibi ſubiectam? quis Iberiam? quis Bulgariam? quis Armeniam? quis Perſida denique, quis Babyloniam? Si præter illos quinque patriarchas multi per Orientem extitere archiepiſcopi αὐτοκέφαλοι, qui & Catholici dicti ſunt & patriarchæ, qui nec vlli ſupradictorum quattuor patriarcharum fuere ſubditi, totum Orientem non quattuor patriarchis

ſolis ſubiacuiſſe certum eſt. quippe vniuerſas illi Orientis diœceſes ſub ſua poteſtate non habuere. alij per Orientem fuere κεφαλαὶ, alij αὐτοκέφαλοι quam illi quattuor. Demus patriarchas appellatos non eſſe, non fuiſſe patriarchas. quid refert? an non eamdem iuriſdictionem in ſibi ſubditos metropolitas & epiſcopos habebant? an non epiſcopos ſimiliter ordinabant? an non prouincias & diœceſes proprias pari iure ac poteſtate regebant? Nunc ſpectaſis quam mala & praua ſit hæc concluſio: quattuor erant in Oriente primarij patriarchæ, ergo totus Oriens illis quattuor patriarchis ſuberat. Tam mala eſt & de Occidente. Vnus in Occidente ſummus & primus patriarcha fuit: ergo totus illi Occidens quaſi patriarchæ ſubiectus fuit. An negabis tempus extitiſſe quondam, quo tres duntaxat erant in vniuerſa Eccleſia primi patriarchæ? tres præcipuæ, primariæque ſedes? Quænam illæ fuerint haud quæris; Romanam, Alexādrinam & Antiochenam fuiſſe tenes. ſic duo in Oriente tantummodo patriarchæ tunc extitere, vnus in Occidente. Nunc de te exquiro, cum illi duo duntaxat erant in Oriente primarij patriarchæ, Alexandrinus nimirum & Antiochenus, totumne tunc Orientem ſub ſua poteſtate habuere, totum rexere? Non tu hoc dixeris, nemo dixerit. atqui non nemo poſſet id aſſerere eodem quo tuo argumento vſus. Alexandrinus Ægyptiacæ diœceſeos tunc erat exarchus, nec aliam habebat. Antiochenus τῇ ἀνατολικῇ διοικήσει iure exarchi præſidebat, nec alia prouincia vel diœceſis illi

ſuberat. quis igitur ceteras Orientis diœceſes regebat, Aſianam, Ponticam & Thracicam? an non illæ metropolitas ſuos habuere qui autocephali erant, inter quos in vnaquaque diœceſi vnus eminebat, qui & primus, qui & primas ſiue patriarcha diœceſeos illius cui præerat dicebatur? Quemadmodum igitur ſub illis duabus primis Orientis ſedibus cum ſolæ fuere, non fuit totus Oriens; ita nec primæ ſedi Occidentis, quia ſola hæc erat per Occidentem prima ſedes, totus Occidens vnquam quaſi ſpecialis diœceſis ſubiectus fuit. Primæ ſedes ſiue patriarchales præcipuæ per Orientem multiplicatæ ſunt, & pro duabus quattuor factæ. ſed nec ſic quidem poſtquam quattuor extitere, Orientem vnquam ita inter ſe partitæ ſunt, vt totum ſub ſua ditione haberent. At prima ſedes ex eo genere ſedium per Occidentem ſemper vna manſit, id eſt Romana; quæ non ſolum Occidentis prima ſedes fuit, ſed vniuerſæ Eccleſiæ, & primarum prima. Nunquam tamen illius primæ ſedis antiſtes, hoc eſt vrbis Romæ epiſcopus, Occidentem ſibi quaſi propriam ac patriarchalem diœceſim attributum agnouit, ſed quaſi partem vniuerſalis Eccleſiæ, cuius rector eſt, iuri ſuo vindicauit. quemadmodum autem Oriens, & quum duo tantum præcipuos patriarchas haberet, & poſtquam tales quattuor habere cœpit, multos etiam habuit autocephalos archiepiſcopos, & primates, qui plures Orientis prouincias ſibi ſubditas αὐθεντικῶς καὶ αὐτεξουσίως regebant: ita totius Occidentis ferme diœceſes omnes ac prouinciæ

ſuos habuere primates ac patriarchas a quibus regerentur, qui reſpectu aliorum patriarcharum autocephali eſſent; ſolum vero Pontificem Romanum, non tanquam ſpecialem patriarcham ſuum agnoſcerent, ſed illi, vt vniuerſæ Eccleſiæ capiti καὶ ἀρχιποίμενι parerent. Hoc nomine ac titulo, non ſoli Occidentis primates, ſed illi ipſi ſummates patriarcharum, primi inquam illi, primarij præcipuique patriarchæ Pontifici maximo, tanquam vniuerſali Eccleſiæ paſtori obedientiam debent, & ſubiectionis patientiam.

Vt ſcias autem totius Occidentis ſpecialem non fuiſſe patriarcham Summum Pontificem, quam voles cunque, & quæ prima occurrerit, arripiamus Occidentis prouinciam, & exploremus an aliquid iuris in illam quatenus patriarcha ſpecialis habuerit epiſcopus Romanus. Africam, ſi placet, ſumamus. quid in illa vnquam diœceſi pro patriarcha egit, aut geſſit epiſcopus vrbis Romæ? quæ patriarcharum iura fuerint non ignoras. aut metropolitanos ſolos ordinabant ſubiectæ ſibi diœceſeos, vt Conſtantinopolitanus: aut metropolitas ſimul & epiſcopos, vt Alexandrinus, & Antiochenus. Appellationes præterea ex tota diœceſi epiſcoporum metropolitarumque patriarchæ tribunal audiebat ac diiudicabat. quid horum in ea prouincia pro ſuo iure vnquam fecit Pontifex Summus? epiſcoporum ordinationes ad primates hoc eſt metropolitanos ſuos libero plenoque iure ſpectauere ſemper, in ea diœceſi. metropolitani ipſi, hoc eſt ſingularum

Africæ prouinciarum primates sine consensu & auctoritate Romani Pontificis a comprouincialibus episcopis semper ordinati sunt. Archiepiscopi Carthaginensis ordinatio, qui primus erat primas & patriarcha diœceseos Africanæ, similiter peragebatur. An pallium illi mittebat episcopus Romanus? Concedamus misisse, & eam pallij missionem ab omni æuo vsurpasse Romanos Pontifices. mos ille certe pallij mittendi metropolitis, qui a Summo Pontifice confirmandi erant, quam vetus sit nunc disputare nolo, sed nec dubitari debet, quin hoc eodem more vsus sit, hanc eamdem pallij missionem vsurparit erga omnes tam Orientis quam Occidētis metropolitas & primates patriarchasque: id enim iuris sibi vindicauit, non tanquam specialis Occidentis patriarcha per solum Occidentem, sed vt Summus Pontifex per vniuersum orbem. quo iure hodieque in Oriente toto vteretur nisi schisma Oriens fecisset. De appellatione episcoporum quid iuris fuerit episcopo Romano per Africam, notum est omnibus. Certe constat episcoporum appellationes ex Africa vindicare sibi voluisse Summum Pontificem. sed quo iure hanc sibi adserebat? an patriarchæ specialis titulo, & quasi qui primas esset totius Africæ? nequaquam. nec enim vnquam hoc illi iuris negatum fuisset, aut controuersum: constans quippe fuit, & inconcussa per vniuersam Ecclesiam hæc regula, vt ab episcopo ad metropolitanum, a metropolitano ad patriarcham appellationes decurrerent. ex omnibus diœcesibus pa-

triarchæ Constantinopolitano subiectis ad sedem eius episcoporum appellationes veniebant. Non igitur tanquam specialis patriarcha, sed tanquam vniuersalis & Summus Pontifex prouocationem episcoporum sedi suæ decerni postulauit in Concilio Carthaginensi Zosimus Papa. canon ille quem legatus eius Faustus in eodem Concilio protulit, quasi ex Niceno Concilio depromptum, qui Sardicensis erat Synodi, non ex Occidente tantum appellationem episcoporum ad Romanam sedem decernit dandam, sed ex vniuerso orbe. De his canonibus Gelasius in Commonitorio ad Faustum Magistrum fungentem legationis officio Constantinopoli: *Nobis*, inquit, *opponunt canones dum nesciunt quid loquantur: contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt. ipsi sunt canones qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri.* canones intelligit IV. & V. Synodi Sardicensis, qui permittunt episcopis cuiuscunque fuerint diœceseos, accusatis ad Romanam sedem prouocare. Horum canonum obtentu Zosimus per Faustum legatum ex Africanis quoque prouinciis appellationes ad sedem suam deferri petiit in Concilio Carthaginensi. quo nihilominus Concilio sancitum est ne quis sub pœna anathematis ad transmarina iudicia appellaret. nunquam igitur Africanæ Ecclesiæ Summum Pontificem pro speciali patriarcha videntur agnouisse, cui ius illud denegarunt, quod omnes habent patriarchæ in propriis diœcesibus. sed nec Papæ ipsi vn-

quam aliter Africanas Ecclesias sedi suæ subiectas haberi voluere, quam quomodo & omnes vniuersum per orbem subditas sibi habuere; titulo nimirum ac iure Summi Pontificis ac Papæ, non specialis patriarchæ. & cui tutius meliusve super hac re quam Papis ipsis credi possit? Sub Gregorio Magno primas Byzacenus a Concilio suo accusatus Romam venire voluerat, vt ab Apostolica sede iudicaretur. Imperator quoque causam eius ab eadem sede cognosci iudicarique mandauerat. Theodorus quidam magister militum, acceptis, vt ait Gregorius, decem auri libris, ne hoc fieret obstitit. Hæc cum videret Gregorius, causam illam inire noluit, qui hoc narrat ipse lib. VII. indict. II. Epist. LXV. & verba ista subiungit: *Nunc autem idem primas aliqua de concilio suo loquitur, & valde dubium est vtrum pure; an certe quia a coepiscopis suis impetitur, nobis modo talia loquatur. Nam quod se dicit sedi Apostolicæ subiici; si qua culpa in episcopis inuenitur, nescio quis ei episcopus subiectus non sit. cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.* Ex his verbis clarum est Gregorium Ecclesias Africanas sibi tanquam patriarchæ subiectas minime agnoscere. nam primatem illum prouinciæ Byzacenæ, qui quod a coepiscopis suis impetitus fuerat, subiectum se Apostolicæ sedi ferebat, subditum sibi quatenus patriarchæ speciali negat, sed eo tantum nomine fatetur quo vniuersæ Ecclesiæ rector erat: *si qua culpa,* inquit, *in episcopis inuenitur, nescio quis Apostolicæ sedi episcopus subiectus non sit.* omnes episcopi tam

Orientis

Orientis quam Occidentis, ſi quo fuerint in crimine deprehenſi & accuſati, ſedi Apoſtolicæ ſubiiciuntur, & ab eadem iudicari debent. Hinc appellationes epiſcoporum vniuerſæ Eccleſiæ, non Africanæ tantum ſibi vindicauit Apoſtolica ſedes. Appellationes itaque in cauſis epiſcoporum ex Africanis prouinciis, non tanquam earum patriarcha, καὶ πατὴρ ἐξαίρετος ad ſe trahere voluit Papa, ſed tanquam Summus Pontifex, cui deberetur ius illud ex vniuerſa Dei Eccleſia. Atqui ne hoc quidem illi conceſſere olim Africanorum Conciliorum patres. Primates autem prounciarum Africæ, quantum ad epiſcoporum ordinationes attinet, & aliam Eccleſiaſticam adminiſtrationem, vt αὐτοκέφαλοι ſemper fuere, ſic etiam αὐτοκέφαλοι vt eſſent ſiuere Summi Pontifices: ſolam prouocationem ambiuerunt, quaſi proprie ſibi, & pro ea poteſtate ſumma quam habent, competentem. At enimuero ſi Africana diœceſis Papæ, tanquam patriarchæ ſuo ſubiecta nunquam fuit, quo iure vel titulo dixeris ei ſubiectam fuiſſe Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, & reliquas Occidentis diœceſes? nunquid non Africa prouincia quoque fuit Occidentis? Si Papa Occidentis patriarcha, cur eam Occidentis prouinciam cum reliquis non habuit ſubiectam? ſi illam non habuit, cur eum reliquas habuiſſe dicis, aut quo iure? Vidimus paulo ante D. Hieronymum in ea aduerſus Vigilantium Hiſpaniarum Eccleſias ab Eccleſiis Apoſtolicæ ſedis ſubditis aperte diſtinguere. Si Hiſpaniæ Apoſtolicæ ſedi non erant

ſubiectæ, cur erunt Galliæ, cur Britanniæ, cur Germaniæ? Igitur ſi nec Africæ, nec Hiſpaniæ, nec Galliæ fuit patriarcha ſpecialis epiſcopus vrbis Romæ, nec erit Occidentis: prouinciæ quippe illæ omnes Occidentem conſtituunt.

Quomodo vero Occidentis patriarcha eſſet, qui ne patriarcha quidem vnquam dictus eſt? qui patriarcham nunquam ſe dici voluit? nunquam hoc nomine ſeipſum vocauit? in Epiſtolis ac decretis ecquando ſe patriarcham proſcripſit? in Conciliorum ſubſcriptionibus, an vnquam ita ſe ſubſcripſit? Ceteri patriarchæ, & ipſi ſemet patriarchas inſcribebant, & ab aliis ita compellabantur. Alexandrinus antiſtes, patriarcha Alexandriæ, & omnis Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, & Æthiopiæ vocabatur. Antiochenus, patriarcha Antiochiæ, & totius Orientis: & ita reliqui, ſuarum quippe diœceſeon patriarchæ ſolebant inſcribi, ac ſubſcribi. quis Papam vnquam patriarcham Occidentis appellauit; aut appellatum legit, ſiue in conciliorum ſubſcriptionibus, ſiue in Epiſtolarum inſcriptionibus? Græci, inquies, in Concilio Chalcedonenſi patriarcham eum appellauerunt. ita ſane, ſed adde titulum eos οἰκουμενικοῦ addidiſſe. Libellus ſupplex Sophronij contra Dioſcorum ad Synodum Chalcedonenſem, qui eiuſdem Synodi geſtis inſertus legitur, act. III. ſic inſcriptus eſt: τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ, οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι. &c. œcumenicum & vniuerſalem archiepiſcopum & patriarcham vocat,

non patriarcham Occidentis. nec ignoro ſane Græcos paſſim, etiam Iuſtinianum & alios, Papam Romanum, patriarchæ titulo donauiſſe, non quod patriarcha fuerit Occidentis, ſed quod οἰκουμενικός, ideoque & titulum fere οἰκουμενικοῦ ſemper ei adiungebant. Nam & archiepiſcopus ille ipſe Conſtantinopolitanus, tametſi propriam & ſpecialem haberet patriarchalem diœceſim, tres complexam diœceſes, illius tamen diœceſeos, cui præerat, non ſe patriarcham ceterorum patriarcharum more, ſed πατριάρχην οἰκουμενικὸν ſimpliciter, & abſolute vocabat. quippe qui pari paſſu cum Summo Pontifice ambularet, & paria in omnibus priuilegia, paremque in Eccleſia poteſtatem habere, conciliorum vt pote auctoritate ſibi delatam, videri vellet. Vnde quod epiſcopus Romanus οἰκουμενικὸς reuera eſſet, atque ita vocaretur, hunc CP. eumdem titulum, ne qua in re videretur inferior, ſimiliter vſurpauit. Hinc ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, καὶ πατριάρχην οἰκουμενικὸν Græci ſui ſemper eum dixere, atque ita ipſe ſemper appellari voluit. in Epiſtolis quas ad Papam dabat, ita & illum & ſe inſcribere conſueuerat: τῷ μακαριωτάτῳ δεσπότῃ τῷ Πάπᾳ κυρίῳ ἄκρῳ ἀρχιερεῖ ἀξιωτάτῳ, ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης. ita ſemper a Iuſtiniano compellatur: τῷ ἁγιωτάτῳ Ἐπιφανίῳ ἀρχιεπισκόπῳ Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. Ceteri patriarchæ, vt dixi, non ſimpliciter patriarchæ, nec οἰκουμενικοὶ, ſed ſuarum ſinguli diœceſeon patriarchæ vocabantur. cum ad pa-

triarcham Alexandrinum ſcribebat patriarcha Conſtantinopolitanus, ita eum compellabat: ἁγιώτατε δέσποτα Πάπα καὶ πατριάρχα Ἀλεξανδρείας, καὶ πάσης Αἰγύπτου, Πενταπόλεως, Λιβύης καὶ Αἰθιοπίας ἐν ἁγίῳ πνεύματι ποθεινότατε ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργέ. &c. Ad Antiochenum ita: Ἁγιώτατε δέσποτα, καὶ πατριάρχα θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας καὶ πάσης ἀνατολῆς ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργέ. Ad Hieroſolymitanum ſic: Ἁγιώτατε πατριάρχα Ἱεροσολύμων ἁγίας Σιών, Συρίας, Ἀραβίας καὶ πάσης Παλαιστίνης ἐν ἁγίῳ πνεύματι ποθεινότατε ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργέ. Ad Bulgariæ patriarcham in hunc modum: Ἁγιώτατε πατριάρχα Τορνόβου καὶ πάσης Βουλγαρίας, ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ τῆς ἡμῶν μετριότητος καὶ συλλειτουργέ. omnes, vt vides, hi patriarchæ, earum ciuitatum diœceſeonque quibus præſidebant, patriarchæ indigetabantur: ſolus Conſtantinopolitanus licet diœceſim haberet patriarchalem, patriarcha tamen Conſtantinopoleos, aut Aſianæ, Ponticæ, Thracicæque diœceſeon non dicebatur, ſed πατριάρχης οἰκουμενικός. Hic tamen οἰκουμενικὸς reuera non fuit, cui certa ſubeſſet, & ſuis finibus circumſcripta diœceſis. Romanus autem archiepiſcopus vere οἰκουμενικὸς erat πατριάρχης καὶ ἔξαρχος: nullam enim habuit ſpecialem diœceſim, excepta prouincia metropolitana, cuius patriarcha dici non potuit, ſed archiepiſcopus tantum & metropolitanus. Honorem igitur ac titulum Apoſtolicæ primæ ſedis ſuperambiuit ſedes Conſtantinopolitana, cum eius antiſtes appellari cœpit οἰκουμενικὸς πατριάρχης. Nam cum ſecunda ſedes eſſet

totius οἰκουμένης, non prima, iure dici οἰκουμενικὴ non poterat, qui titulus primæ ſedi modo debebatur. quemadmodum enim in ſingulis diœceſibus qui primam ſedem diœceſeos tenebat, metropolitanus is totius diœceſeos, exarchus & patriarcha fere ſemper dictus eſt, ita qui primæ ſedi præerat totius οἰκουμένης, merito οἰκουμενικὸς, ἔξαρχος & πατριάρχης dici debuit, atque ita etiam dictus fuit. quare Conſtantinopolis, quæ ſecunda ſedes erat poſt Romanam, hunc honorem nullo ſuo merito ſibi vindicauit. Græci tamen ſemper interpretati ſunt veterem Romam primatum non alia de cauſa habuiſſe, quam quod imperij ſedes eſſet, & vrbs βασιλεύουσα· διὰ τὸ βασιλεύειν, inquiunt, τὴν πόλιν ἐκείνην. hæc enim verba ſunt XXVIII. canonis Synodi Chalcedonenſis: τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. Conſtantinopolis igitur poſtquam & ipſa cœpit altera ſedes eſſe Romani imperij, & pro parte dominari, ita ſecunda facta eſt, vt æqualis eſſet, vtpote quæ paribus priuilegiis & honoribus decorata fuerit, quibus Roma vetus pollebat. Aſt vbi Romæ veteris imperium collapſum eſt, noua Roma, id eſt Conſtantinopolis, quæ ſola ſcilicet imperabat, principem locum, primamque ipſa ſedem iure ſuo meritoque, vt putabat, occupauit. Hinc illorum Græcorum iſta ſunt quæ & ante retulimus: Δεῖ εἰδέναι ὡς διὰ τοῦτο δευτέραν τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίαν ὀνομάζουσιν, ἐπειδὴ τότε καὶ ἡ πρεσβυτέρα ἐβασίλευε Ῥώμη. εἰ τοίνυν καθὰ φησὶν ἡ ἁγία σύνοδος, διὰ τὸ

βασιλεύειν τὴν Ῥώμην τὰ πρεσβεῖα δεδώκασι, μόνης νῦν εὐδοκίᾳ Θεοῦ βασιλευούσης πόλεως, εἰκότως αὐτὴ καὶ τὴν προτέραν κέκτηται. Ex illo tempore Constantinopolitani archiepiscopi, quod primam sedem tenerent totius οἰκουμένης, οἰκουμενικοὺς πατριάρχας sese proscripsere; aut certe quod secundæ sedi, sed æquali, sed paribus cum prima priuilegiis ornatæ, præessent.

Patriarcham igitur si qui Græcorum ante schisma vocarunt episcopum Romanum, non specialem Occidentis, sed vniuersi orb[illegible] πατριάρχην οἰκουμενικὸν eum esse intellexerunt. Schismatici vero qui patriarcham illum fecerunt, & hoc nomine appellarunt, diœcesim ei specialem Occidentalium Ecclesiarum ideo subiecere, ne vniuersalis Ecclesiæ rectorem καὶ ἀρχιποίμενα agnoscerent, & in patriarcharum numerum accensum ea de causa retulere, vt ἰσότιμον facerent reliquis patriarchis. Ceterum ex eo quod Græci πατριάρχου aliquando titulum episcopo Romano tribuerunt, nullo modo statui debet patriarcham eum fuisse, aut si fuerit, aliter dictum esse quam οἰκουμενικόν. Græci cum maiorem aliam in Ecclesia dignitatem, nec vllum eminētiorem episcoporum gradum nossent, quam patriarchæ, Romano etiam episcopo hunc titulum, vt & reliquis primarum sedium præsulibus adscripsere. Romanus vero episcopus nunquam id nominis ac tituli sumpsit, nunquam ita se vocauit. Romæ vrbis episcopus primo, & Papa vrbis Romæ, mox Papa simpliciter & absolute dictus est. Papa

igitur nomen eſt ac titulus epiſcopi vrbis Romæ, non patriarcha. Sic ille non patriarcha, ſed Papa, & hoc nomine ſuper omnes patriarchas poſitus, & extra ordinem patriarcharum conſtitutus. Hinc *epiſcopus patriarcharum* a Caſſiodoro vocatur. Græci οἰκουμενικὸν Πάπαν eum frequenter appellant, vt Conſtantinopolitanum οἰκουμενικὸν πατριάρχην. vniuerſalis Eccleſiæ Papas ipſi ſæpenumero ſe vocant. ita Leo primus vocatus legitur a legatis ſuis in Concilio Chalcedonenſi, act. v. Πασχασῖνος ἐπίσκοπος, ἐπέχων τὸν τόπον τοῦ δεσπότου μου τοῦ μακαριωτάτου καὶ ἀποστολικοῦ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου πόλεως Ῥώμης Λέοντος. Λουκήνσιος ἐπίσκοπος, ἐπέχων τὸν τόπον τοῦ δεσπότου μου, τοῦ μακαριωτάτου, καὶ ἀποστολικοῦ ἀνδρὸς πάσης ἐκκλησίας ἐπισκόπου πόλεως Ῥώμης Λέοντος, ἐν τῇ συνόδῳ τοῖς ἤδη ἀναγνωσθεῖσιν ὑπέγραψα. Hunc *Lucenſem*, vt obiter hoc moneam, omnes qui hodie ſcribunt, *Lucentium* vocant. at Λουκήνσιος non eſt *Lucentius*, ſed *Lucenſis*. vt Λαρήνσιος, *Larenſis*, Ιλλούστριος, *Illuſtris*, & ſimilia. ita enim Græci hæc nomina ſolent efferre. Lucenſis autem nomen proprium etiam apud Martialem in hoc verſu:

Lucenſem noſtri libertum quære Secundi.

Nunc ad rem & in viam de ſemita. Papæ nunquam ipſi ſe patriarchas, ſed vniuerſales, aut vniuerſalis Eccleſiæ Papas appellarunt. Hinc Gregorius Magnus in Epiſt. ad Natalem Salonitanum epiſcopum, quattuor tantum præcipuos numerat patriarchas, non quinque. quem numerum ſequuti ſunt & ſequentes Papæ, qui epiſcopum Romanum non

pro patriarcha, sed pro Papa semper haberi voluerunt. Auctor Arabs in canonum συναγωγῇ cap. VIII. quo sextum Nicenum expressit, cum Alexandrinum & Antiochenum episcopos, patriarchas dixisset esse, episcopum vrbis Romæ, successorem Petri simpliciter esse dixit. Hæc eius verba sunt digna quæ heic iterum adscribantur, iam superius allata: *Constitutum est, vt episcopus Ægypti, id est patriarcha Alexandrinus, præsideat, & habeat potestatem totius Ægypti, & omnium locorum, castellorum & ciuitatum quæ sunt circum eam, quia sic conuenit. Siquidem similiter episcopus Romæ, hoc est successor Petri Apostoli potestatem habet omnium ciuitatum & locorum quæ sunt circa eam. Ac similiter episcopus Antiochenus, id est patriarcha potestatem habeat prouinciæ illius totius.* episcopum Alexandrinum, patriarcham dictum fuisse docet, item Antiochenum; episcopum vero Romanum cum Petri Apostoli successorem interpretatur esse, an non satis indicat non fuisse ex numero illum patriarcharum, qui limitatas diœceses haberent, sed vniuersam Ecclesiam regendam accepisse? quid Petrus a Christo acceperit, quid successoribus suis transmiserit, diserte explicatur in vita beati Petri apud Anastasium Bibliothecarium, siue is sit potius Damasus, vt alibi pluribus adstruemus. ita igitur de beato Petro, cum Clementem successurum sibi consecraret, ibi legitur: *Hic B. Clementem episcopum consecrauit, eique cathedram vel Ecclesiam omnem disponendam commisit, dicens; sicut mihi gubernandi tradita est a Domino meo Iesu Christo potestas ligandi soluendique; ita*

&

& ego tibi committo, vt ordines diſpoſitores diuerſarum cauſarum per quos actus Eccleſiaſticus profligetur, & tu minime in curis ſæculi deditus reperiaris, ſed ſolummodo ad orationem, & prædicationem populi vacare ſtude. poſt hanc diſpoſitionem Martyrio coronatur. Hæc verba in editione quam tui nobis adornarunt ſodales, nulla comparent, quæ tamen in omnibus habentur manu exaratis exemplaribus. cur eam periodum totam libuit illis omittere, quæ vnice facit adſtruendæ poteſtati Summi Pontificis? caudam eius periodi videntur metuiſſe: ſed poterant, capite retento, caudam illam quæ nocebat amputare. Vides beatum Petrum in vltima illa ſua diſpoſitione poſt quam nihil amplius in terris diſpoſuit, omnem Eccleſiam Clementi quem ſibi ſucceſſorem ordinabat, gubernandam commiſiſſe. non igitur Occidentales tantum Eccleſias ei tradidit, nec patriarcham eum duntaxat toti Occidenti impoſuit, ſed Eccleſiæ vniuerſæ. Recte igitur Arabs ille canonum συλλέκτης epiſcopum Romanum, non patriarcham indigetauit, ſed Petri ſucceſſoris titulo ſimpliciter inſigniuit. quo nomine quid deſignarit, quam diœceſim epiſcopo vrbis Romæ aſſignarit, alio loco clarius indicauit, & expreſſit, cap. xxxix. nimirum eiuſdem collectionis: *Conſideret*, inquit, *patriarcha ea quæ archiepiſcopi & epiſcopi in ſuis prouinciis faciunt, & ſi quid reperiat ſecus quam oporteat factum, mutet & diſponat prout ſibi videatur. ſiquidem ipſe eſt pater omnium, & illi filij eius. & quamuis ſit archiepiſcopus inter epiſcopos tanquam frater maior, qui curam habet fratrum*

suorum, & ei debeant obedientiam quia præest; est tamen patriarcha iis omnibus qui sub potestate eius sunt, sicut ille qui tenet sedem Romæ, caput est & princeps omnium patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus cui data est potestas in omnes, vt qui sit vicarius Christi super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam: & quicunque contradixerit, Anathema sit. Longe distat a tua sententia quod iste sentit. ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. Tu episcopum Romanum patriarcham facis Occidentis, ille caput & principem eum statuit patriarcharum. Tu Occidentem quasi specialem diœcesim episcopo Romano velut patriarchæ subiicis; ille episcopo Romano tantundem tribuit potestatis in Ecclesiam vniuersam, quantum vnus quisque habet patriarcha in suam diœcesim. an non verum est eamdem sibi potestatem eum vindicare per vbique terrarum diffusam Ecclesiam, quam singuli patriarchæ, suam quisque per diœcesim sibi potest arrogare? Preces missæ ab vniuersis episcopis metropolis Arelatensis ad Leonem Papam: *credentes plenum esse rationis atque iustitiæ, vt sicut per beatissimum Petrum Apostolorum principem, sacrosancta Ecclesia Romana teneret principatum; ita etiam intra Gallias Arelatensis Ecclesia, quæ sanctum Trophimum ab Apostolis missum sacerdotem habere meruisset, ordinandi Pontificium vindicaret.* Arelatensem episcopum Gregorius primus vocat, *metropolitam Galliarum.* Papa igitur quatenus Petri successor, & Romæ vrbis episcopus, primatum habet totius Ecclesiæ; quasi metropolitanus, vniuersi orbis: vrbs enim Roma metropolis erat

τῆς Ῥωμαΐας, hoc eſt Romani orbis: vt Arelate tunc dicebatur metropolis Galliarum. ſic idem iuris ac regni epiſcopo Romano competit in Eccleſiam vniuerſam, quod cuiuis patriarchæ in ſibi ſubiectã diœceſim. Quapropter tantum abeſt, vt Papa patriarcha fuerit Occidentis, vt ne quidem patriarcha dictus ſit vniuerſi orbis: Princeps ille primuſque patriarcharum, non patriarcha, quia ſuper omnes eſt patriarchas. in vnaquaque parœcia princeps erat ſacerdotum, epiſcopus: in prouincia princeps epiſcoporum, hoc eſt archiepiſcopus, metropolitanus: in diœceſi princeps metropolitanorum patriarcha: in vniuerſa Eccleſia, princeps patriarcharum Papa. quemadmodum ergo, qui pluribus præerat preſbyteris, dicebatur epiſcopus; qui pluribus epiſcopis, metropolitanus; qui pluribus metropolitanis, patriarcha: ita eum qui omnium caput erat patriarcharum, proprium huius dignitatis nomen habuiſſe oportet. Nam ſuperior gradus, vt ab inferiore diuerſus fuit, ita & diuerſum ſemper nomen habuit. Princeps itaque patriarcharum non patriarcha vocabatur, ſed Papa. Græci tamen eum etiam vocarunt patriarcham, & ſane etiam reuera fuit patriarcha, non Occidentis, vt peruerſe opinaris, ſed vniuerſæ Eccleſiæ, ſed primus & princeps patriarcha. Nam vt epiſcopus, erat etiam ſacerdos quia primus ſacerdotũ; & metropolitanus etiam erat epiſcopus, quia princeps epiſcoporum: & patriarcha, metropolitanus erat quoque, primus ſcilicet inter metropolitanos: ita patriarcha etiam dici

potuit Papa, qui patriarchis omnibus præesset, qui primus & princeps esset patriarcharum. Nunquam tamen, vt supra diximus, ita se vocauit, nunquam a Latinis ita vocatus est.

Patriarcham eum vis fuisse Occidentis qui ne patriarcha quidem in totum dictus sit. Papa ille semper est appellatus, atque ita hodie appellatur. an Papa tantum est, aut Papa tantum fuit Occidentis? Ecquodnam istud animi cacoethes, vt qui nunquam dicti sunt, qui dici noluerunt patriarchæ, patriarchas eos vi & ingratiis velis esse; qui patriarchæ vero semper fuere vocati, quos Papæ ipsi patriarchas appellarunt, eos neges fuisse patriarchas? Patriarcham Occidentis esse ac dici Romanum episcopum ideo tibi placebat, quod nullus in Occidente fuerit patriarcha. Ostendimus multos in Occidente dictos esse patriarchas. etiam Italiam quam negabas vllum primatem habere præter episcopum Romanum, non solum primates, sed etiam patriarchas habuisse docuimus. Non heic illos te quærere ais, quibus patriarchæ nomen indulgentius aliquando concessum est. quinam sunt igitur illi quos quæris? *De iis*, inquis, *sermo est, qui patriarchæ κατ' ἐξοχὴν appellati sunt, quos solos patriarchas agnouit Iustinianus.* atqui hæc contraria sunt, nec subsistere in eodem possunt, vt patriarchæ κατ' ἐξοχὴν appellati sint, & patriarchæ soli fuerint. si soli fuere patriarchæ, κατ' ἐξοχὴν patriarchæ non sunt appellati. nulli enim præter illos patriarchæ, quos inter eminere potuerint. At si κατ' ἐξοχὴν ita dicti sunt, non

ſolos hos fuiſſe oportet, ſed alios etiam extitiſſe patriarchas, quos inter iſti, vt primi præcipuique κατ' ἐξοχὴν patriarchæ nuncupati ſint. Vtrum verum eſſe vis? nam vtrumque ſimul non poteſt. Iuſtinianus cum quinque patriarcharum duntaxat meminit, non ſolos eos agnouit patriarchas, ſed tanquam præcipuos & primos patriarcharum, & κατ' ἐξοχὴν ita vocatos memorat. Hoc iam ſupra pluribus adſtruximus. præter illos igitur quinque patriarchas, alij etiam fuere, quia alij dicti ſunt. Negas hos fuiſſe patriarchas, quod iis patriarchæ nomen aliquando indulgentius ſit conceſſum. quando iſta, dic nobis, aut vnde cœpit indulgentia? quinam illi quondam dandis in nominibus tam indulgentes? quæ iſtic indulgentia eſt? an id eos vocatos eſſe putas quod non fuerunt? cur ita porro vocati ſunt, ſi rem quæ huic nomini reſponderet, ac conueniret, non habuere? Si male & indulgenter ita dicti ſunt, cum non eſſent, cur eos hoc titulo ac nomine etiam donauere Papæ? Gregorius ſecundus Gradenſem antiſtitem, patriarcham nuncupat. Eumdem ita vocat Leo nonus. Venetiarum archiepiſcopus, qui locum Gradenſis nunc tenet, etiam hodieque ſic appellatur. Bituricenſem patriarcham nominat Nicolaus primus. Bulgariæ primas, patriarcha dicitur Innocentio tertio, qui primatem & patriarcham vnius & eiuſdem rei diuerſa nomina dicit eſſe. Patriarcha vocatur Lugdunenſis primas in Concilio Matiſconenſi ſecundo. quid plura prædicem notis, cum & hæc ipſa iam

ſuperius dicta ſint? vni generi epiſcoporum per Orientem Occidentemque nomen hoc datum eſt: illis nimirum qui primas quaſque ſingulis in diœceſibus prouincias regerent. primi quinque ſingularum diœceſeon metropolitani in Oriente ἔξαρχοι διοικήσεων dicebantur, iidemque πατριάρχαι διοικήσεων. Hinc πατριάρχαι ἑκάστης διοικήσεως in actis Concilij Chalcedonenſis nominantur, act. 11. οἱ ἔξαρχοι Orientalis, Ponticæ, Aſianæ, Thracicæ & Illyricæ diœceſeon. quot igitur diœceſes, tot exarchi diœceſeon, tot diœceſeon patriarchæ. In Occidente quoque quot diœceſes, totidem diœceſeon primates, qui primam ſedem in vnaquaque diœceſi gubernabant. Hi & patriarchæ etiam paſſim dicti ſunt vt in Oriente. Nam *primas diœceſis* idem qui ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, & πατριάρχης τῆς διοικήσεως. Satis hoc in ſuperioribus probatum. aut nullæ igitur in Occidente diœceſes Eccleſiaſticæ, aut multi diœceſeon primates, & exarchi & patriarchæ. His non ex indulgentia, ſed ex vero nomen hoc tributum fuit. Tu qui aliter cenſes, nimium profecto inſcitiæ tuæ & ineptiæ indulges. Ex animi tui ſententia, præceptor, qui primus erat in diœceſi metropolitanus, qui toti diœceſi præerat, quomodo vocandum fuiſſe putas, niſi primatem diœceſeos? ſi primas diœceſeos, idem vtique & exarchus, idem & πατριάρχης, ὁ τῆς πατριᾶς ſcilicet ἄρχων ſiue ἔξαρχος. nam πατριὰ & διοίκησις idem. inter illos porro patriarchas, qui plures tam in Oriente quam in Occidente fuere, & totidem fere quot diœceſes, quinque quaſi ma-

iorum gentium erant patriarchæ, qui & primi & præcipui, & primarij ſummique nuncupati ſunt patriarchæ. Huius ordinis ac numeri vnus tantum fuit in Occidente patriarcha, nempe Romanus. *Solus ergo,* inquis, *patriarcha Occidentis Pontifex.* ſolus certe huius generis in Occidente, ſed non ſolus Occidentis. nam œcumenicus ille Papa, ſiue patriarcha, non Occidentis tantum. Soli huius ordinis olim in Oriente duo extitere patriarchæ. Ergo ſoli duo tunc erant Orientis patriarchæ? ſub illis duobus ſolis tunc totus Oriens erat patriarchis? Hoc falſiſſimum eſt. non igitur patriarcha Occidentis Papa; nam multi per Occidentem patriarchæ: aut ſi fuit, fuerit ſane Occidentalium patriarcharum patriarcha. atqui non Occidentalium tantum, ſed omnium caput & princeps eſt patriarcharum. Profecto ſi omnium per vniuerſum orbem Eccleſiarum patriarcha eſt, fuerit vtique & Occidentalium. At ſi Occidentis patriarcha ſpecialis ſit, non vtique & Orientis etiam neceſſe eſt illum eſſe patriarcham. Et hæc Græcorum ſchiſmaticorum opinio eſt, qui πατριαρχίαν eius, Occidentis finibus ideo incluſerunt, vt ab Oriente excluderent: ideo patriarcham Occidentis eſſe conceſſerunt, vt Orientis negarent: partem ei tribuerunt, vt totum eriperent, ſuoque illud vindicarunt patriarchæ, quem οἰκουμενικὸν fecerunt, cum οἰκουμενικὸς reuera eſſet Romanus, non Conſtantinopolitanus.

Occidentem, inquis, *ſpecialem diœceſim Pontificis diximus, quatenus hæc a reliquorum patriarcharum diœceſibus*

diſtinguitur: cum vniuerſalis eius diœceſis, quam vt Pontifex adminiſtrat, non Occidentem ſolum, ſed Orientem ſimul, vniuerſamque Eccleſiam complectatur. an ideo ſpecialem ei diœceſim aſſignas, vt ab reliquorum patriarcharum diœceſibus diſtinguatur? quid opus hac ſpecialis diœceſeos diſtinctione? Conſtantinopolitanus ipſe patriarcha, licet diſtinctam habuerit ac ſpecialem diœceſim, eius tamen ſe diœceſeos patriarcham dici non paſſus eſt, ſed οἰκουμενικὸς voluit appellari. cur Papam minorem hoc in negotio facies? Cur vt patriarcham fuiſſe doceas, Occidentis eum dicis patriarcham? an de quinque patriarchis vnus eſſe non poterat, niſi patriarcha Occidentis eſſet? atqui Græci orthodoxi qui πατριάρχην eum dixerunt, non patriarcham Occidentis intellexerunt, ſed οἰκουμενικόν. atque ita etiam appellarunt, aut οἰκουμενικὸν certe Papam. quid te mouit, quid impulit vt ſpecialem diœceſim adſcriberes ei qui habuit vniuerſalem? quid iſtud addit ad maieſtatem Papæ? immo non parum poteſtati eius hoc derogat. quanto Græci ſapientiores, qui patriarcham ſuum, licet ſpecialem haberet diœceſim, nullius tamen diœceſis videri voluerunt patriarcham, ſed quaſi omnium eſſet, οἰκουμενικὸν dixere? atque ita ſemper ipſe ſe dixit. At patriarchæ titulum nunquam Papa ſumpſit, vt qui maior eſſet omnibus patriarchis, princeps quippe caputque patriarcharum. Hinc Conſtantinus in donatione patriarchas quattuor tantum facit, totidemque πατριαρχικοὺς θρόνους, quorum caput eſſe ſancit Papam. Hæc verba ſunt in

Græcis:

Græcis: Θεσπίζομεν πλεῖστα τῆς βασιλείας ἔχειν ἐξουσίαν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, καὶ παρὰ πάντων πολλῷ πλέον ἢ βασιλέα τιμᾶσθαι καὶ σέβεσθαι. κεφαλήν τε εἶναι τῶν τεσσάρων πατριαρχικῶν θρόνων. κρίνεσθαί τε παρ' αὐτοῦ, καὶ ψηφίζεσθαι τὰ τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει. non heic Conſtantinus, vt vides, Papam tanquam vnum de patriarchis agnoſcit, ſed caput & principem patriarcharum: non ſpecialem ei quaſi patriarchæ diœceſim ſubiicit Occidentem, ſed τὴν ἅπασαν οἰκουμένην. longe ſcilicet erat ὀρθοδοξότερος καὶ Ῥωμαϊκώτερος Conſtantinus quam tu qui Græcorum ſchiſmaticorum ſententiam tueris ac propugnas.

Pontificem ſtatuis vniuerſæ Eccleſiæ Romanum epiſcopum, & patriarcham Occidentis. ridicule. an non idem eſt ac ſi quis regem Chriſtianiſſimum diceret eſſe Franciæ regem, & ducem Burgundiæ: Franciæ regem & comitem Campaniæ? idem eſſet denique, vt congruentiora petamus exempla, ſi quis epiſcopum Alexandrinum, patriarcham Ægyptiacæ diœceſeos vocaret, & exarchum Libyæ prouinciæ. idem etiam erat, & æque abſurdum, cum dicebas Papam Occidentis eſſe patriarcham, & primatem Italiæ. Specialis epiſcopi Romani diœceſis, quod te iam in Aduentoria docuimus, o magiſter, Occidens non eſt, qui pars eſt vniuerſalis, ſicut Libye pars erat Ægyptiacæ diœceſeos, non ſpecialis aut propria Alexandrini patriarchæ prouincia. Hæc pene totidem verbis in Epiſtola ſcripſi. quid ad illa tu? *Quæſo te, inquis, vigilaſne cum hæc ſcribis an ſomnias? pro Libya dic Ægyptum, & ſenties*

quam vim habeat argumentatio. ſane cenſeo, recte admonuiſti; dicamus Ægyptum pro Libya. ſed quam aliam vim habeat argumentatio, ſi pro Libya Ægyptum ponamus, nondum video, nondum ſentio. Dic igitur ipſe, dic o vigilantiſſime doctor: *Nam ſicut Ægyptus*, inquis, *ſpecialis eſt prouincia epiſcopi Alexandrini, eademque pars totius diœceſeos Ægypti, quæ præter Ægypti prouinciam, Libyen quoque ac Pentapolim complexa eſt: ſic Occidens ſpecialis eſt diœceſis patriarchatus ſedis Apoſtolicæ, idemque pars diœceſis vniuerſalis.* Hæc tua verba ſunt, quæ ſi vigilans ſcripſiſti, profecto dormitare tibi melius fuiſſet: ita ſomnolentiæ plena ſunt & inertiæ quæ ſcribis dum vigilas. non tu vigilabas, crede mihi, cum illa ſcriberes, ſed vigilare te ſomniabas. Ægyptus, vt cenſes, ſpecialis eſt prouincia epiſcopi Alexandrini. quî magis, obſecro te, quam Libye? quid poteſtatis ac iuris in Ægypto habuit Alexādrinus patriarcha quod non habuerit in Libye? diœceſis Ægyptiaca ex tribus prouinciis conſtabat, Ægypto, Libye & Pentapoli: tres hæ prouinciæ patriarchatum Alexandrini epiſcopi conſtituebant. parem itaque habebat per has tres prouincias ἐξουσίαν idem patriarcha. an oblitus es Niceni ſexti canonis qui ita ſancit? τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. Ex his tribus prouinciis quæ pariter Alexandrino parebant antiſtiti, cur Ægyptus eidem magis proprie ac ſpecialiter ſubiecta fuerit, quam altera quælibet reliquarum duarum? cur

causam non addidisti? an episcopos huius prouinciæ immediate ordinabat episcopus Alexandrinus, reliquarum non item? atqui per totam Ægyptiacam diœcesim hoc habuit iuris idem antistes, vt sine consensu eius nullus ordinaretur episcopus. totius ille diœceseos verus metropolitanus erat. nihil per vniuersam Ægypti diœcesim rerum geri poterat ipso inconsulto. an quia Alexandria in Ægypto prouincia sita fuit, ideo specialem Alexandrini episcopi prouinciam Ægyptum tibi persuades fuisse? sic etiam liceat credas Thraciam, specialem extitisse diœcesim patriarchæ Constantinopolitani, quod in ea diœcesi sita esset Constantinopolis. Atqui tertia non prima diœcesis recensetur Thracica, inter illas tres quæ Constantinopolitanæ sedi subiectæ fuerant: non primam, sed tertiam sedem obtinet episcopus Heracleensis Thracicæ diœceseos exarchus & Europæ prouinciæ in qua Constantinopolis, metropolitanus, inter illas metropolitanas sedes quæ patriarchæ Constantinopolitano suberant: ipsi quinetiam reliqui diœceseos Thracicæ metropolitæ inter eos metropolitas qui a sede Constantinopolitana ordinabantur, vltimo loco, & nonnisi post omnes Asianæ & Ponticæ diœceseon metropolitanos recensentur. Thracica igitur diœcesis, licet regiam vrbem in sinu suo sitam habuerit, & πατριαρχικὸν θρόνον, vltima tamen fuit inter eas diœceses, quæ sedi Constantinopolitanæ subiacebant; tantum abest, vt specialis fuerit, sed prima fuisset, non propterea

magis ſpecialis haberetur. Ægyptus erat prima prouincia Ægyptiacæ diœceſeos, non ſpecialis Alexandrini epiſcopi prouincia. inter ſedes metropolitanas Antiocheno throno ſubiectas prima in veteribus Notitiis numeratur Tyros prouinciæ Phœnices metropolis: ſecunda Tarſus, metropolis Ciliciæ: tertia Edeſſa, Oſroenæ: quarta Apamea Syriæ ſecundæ: quinta Hierapolis prouinciæ Euphratenſis,& ſic de ceteris. Harum omnium ſedium metropolitanarum, quæ tredecim recenſentur, ordinatio ſpectabat ad patriarcham Antiochenum. Ex his prouinciis quam prouinciam habuit ſpecialiter ſibi ſubiectam? an Syriam primam in qua Antiochia? cur iſtam magis quam aliam quamlibet? an quia omnes epiſcopos illius prouinciæ ſub ſua poteſtate habebat, eorum ordinatio ad ipſum ſpectabat? atqui totius Orientalis diœceſeos idem epiſcopos ſingulari auctoritate ordinabat, nec huius magis prouinciæ quam illius epiſcoporum ordinationem habebat. Hinc Antiochiam totius Orientis metropolim vocat D. Hieronymus, vt Alexandria totius erat Ægypti metropolis. quemadmodum ex ciuitatibus vni metropolitano ſubiectis, nulla magis ſpecialiter ei ſubiecta dici poterat, quam altera; ita & de prouinciis vni ſubditis patriarchæ nulla erat prouincia, quam magis ſpecialem eius poſſes dicere quam alteram. de illis patriarchis loquor, qui totius diœceſeos cui præerant, fuere metropolitæ, qui omnes vniuerſæ diœceſeos prouincias vno eodemque iure rexere. ſic Alexandrinus patriarcha

prouincias Ægypti sibi subiectas habebat: sic Antiochenus Orientis totius. sic Hierosolymitanus tres Palæstinas. sic Constantinopolitanus tres diœceses, Asianam, Ponticam & Thracicam: quarum trium diœceseon omnes metropolitanos, omnes archiepiscopos iure & auctoritate singulari ordinabat. Atque hi sunt patriarchæ quos Iustinianus leg.xxix. Cod. *de Episcop. Aud.* per vniuersam diœcesim sibi subiectam dixit habere ordinationem omnium tam episcoporum quam metropolitarum: ἐπειδὴ δέ τινες, inquit, τῶν θεοφιλεστάτων πατριαρχῶν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις ἐν αἷς εἰσὶ καὶ μητροπολιτικὸν ἔχουσι σχῆμα, τινὲς δὲ καθ' ὅλην τὴν διοίκησιν τὰς χειροτονίας ποιοῦνται τῶν ὑπ' αὐτοὺς θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, εἴτε μητροπολιτῶν, εἴτε τῶν ἄλλων. de his vnum fuisse patriarchis episcopum Alexandrinum qui per diœcesim vniuersam cui præsidebant, cum episcopos tum metropolitas ordinandi ius haberent, multis supra probauimus. Huic igitur omnes Ægypti diœceseos prouinciæ, pari iure subiectæ fuere: haud secus ac metropolitæ alicui, omnes quæ in prouincia sunt cui præest, ciuitates. Inde est quod Alexandrinorum Ecclesia passim apud veteres separata legitur ab Ægypti & Libyes & Pentapoleos Ecclesiis: epistola Synodica Concilij Niceni, ad Alexandrinam Ecclesiam: τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ χάριτι τοῦ Θεοῦ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ, καὶ τοῖς κατὰ τὴν Αἴγυπτον καὶ Λιβύην καὶ Πεντάπολιν ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς. Alexandrina Ecclesia caput erat omnium harũ prouinciarũ ex æquo, nec vnius magis quam alterius. Socrates lib.II.cap.XXIV.

γράφει δὲ καὶ αὐτὴ συνόδους τοῖς τε ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ πᾶσι τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ πᾶσι τοῖς ἐν Πενταπόλει καὶ Λιβύῃ ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς τὰ ἐγνωσμένα καὶ ἐψηφισμένα περὶ Ἀθανασίου. & cap.xx. lib.iv. ἰστέον ὅτι ἕως περὶ ὧν Ἀθανάσιος ὁ τῶν Ἀλεξανδρέων ἐπίσκοπος ἐκ τινὸς θείου προνοίας ὑπερέθετο παρέξαι τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν Αἴγυπτον ὁ βασιλεύς. Athanaſius: ταῖς τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐκκλησίας καὶ ταῖς ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύαις πάσαις. æque diſtinguit Alexandrinam Eccleſiam ab Ægyptiacis, vt a Libycis. & ſane Alexandria non minus erat caput & metropolis Ægypti prouinciæ, quam Libyes & Pentapoleos: Hæ tres ſiquidem prouinciæ Ægyptiacam diœceſim conſtituebant. Theodoritus lib.I. cap.I. Ἀλεξάνδρεια πόλις ἐστὶ μεγίστη καὶ πολυάνθρωπος, οὐκ Αἰγυπτίων μόνον, ἀλλὰ καὶ Θηβαίων καὶ Λιβύων τῶν πρὸς Αἴγυπτον τὴν ἡγεμονίαν πεπιστευμένη. quare Ægyptus prouincia, non magis fuit ſpecialis Alexandrini epiſcopi quam Libye & Pentapolis, quæ omnes ex æquo illi erant ſubiectæ. Epiphanius hæreſi LXVIII. τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ τὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἀρχιεπίσκοπον πάσης τε Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος, Μαρεώτου τε καὶ Λιβύης Ἀμμωνιακῆς, Μαρεώτιδός τε καὶ Πενταπόλεως ἔχειν τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν. quis igitur imperitior te quum Ægyptum ſtricta notione ſumptam, ſpecialem facis prouinciam Alexandrini patriarchæ? te ipſum porro etiam imperitia ſuperaſti, cum vt hoc nobis probe probares & confirmares, in exemplum adduxiſti Lugdunenſem primam prouinciam: quemadmodum, inquis, epiſcopi Lugdunenſis ſpecialis prouincia eſt, prima Lugdunenſis, eademque pars vniuerſæ primatis eiuſdem diœce-

ſeos, ita & Ægyptus ſpecialis prouincia Alexandrini « antiſtitis, eademque pars vniuerſæ eius diœceſeos, « ita etiam Occidens, &c. Næ tu homo imprudentiſ- « ſimus & ineptiſſimus es, cum tam diſſimilia quæ ſunt pro ſimilibus haberi vis. Epiſcopus Lugdunenſis, quinque Lugdunenſium primas fuit, vnicæ vero prouinciæ hoc eſt primæ Lugdunenſis metropolitanus. ideo autem ille primas quinque prouinciarum, quod ea prouincia quam iure metropolitæ regebat, prima eſſet, primatumque haberet quattuor reliquarum Lugdunenſium. Antiſtes autem Alexandrinus, non vnius Ægypti prouinciæ, ſed totius Ægyptiacæ diœceſeos idem metropolitanus erat & patriarcha: pari iure adminiſtrabat omnes vniuerſæ diœceſeos prouincias. Lugdunenſis epiſcopus ordinationem tantum epiſcoporum habuit prouinciæ ſuæ primæ Lugdunenſis, cuius & metropolita propriè extitit, eoque ex ſola eius ſpecialis prouincia recte cenſeri debeat. in reliquis enim Lugdunenſibus ad Põtificium eius non pertinebat epiſcoporũ ordinatio, ſed ad ſingulos earũ prouinciarũ metropolitanos. Patriarcha vero Alexãdrinus non epiſcoporum duntaxat, intra Ægypti prouinciam conſiſtentium, ſed omnium per vniuerſam Ægyptiacam diœceſim conſtitutorum ordinationes ſub ſua poteſtate habebat: nemo in tota illa diœceſi ſine conſenſu eius creabatur epiſcopus. Lugdunenſis poſtremo epiſcopus ex eo genere patriarcharum erat qui in illa tantum prouincia, cui & præerant, in qua degebant μητροπολιτικὸν ha-

bebant σχῆμα, vt loquitur Iustinianus, supradicta leg.xxix. Alexandrinus ex illis fuit patriarchis, quos idem Iustinianus vniuersæ diœceseos metropolitas esse dicit, & omnium tam metropolitarum quam episcoporũ ordinationem per vniuersam diœcesim habuisse. Idcirco nulla eius specialis prouincia fuit, qui omnes habuit speciales, & nullo discrimine sibi subditas. Vt episcopo Lugdunẽsi sua peculiaris erat prouincia prima Lugdunensis, sic & Carthaginensi etiam sua ac propria, Africa nempe proconsularis. Hæc enim specialis prouincia Carthaginensis præsulis, eademque pars Africanæ diœceseos, cui præerat idem Carthaginensis antistes. at præter prouinciam suam, cuius & episcopos ordinabat solos, in aliis prouinciis Africanis, quantum ad episcoporum ordinationes attinet, nihil iuris illi Pontificiique competit. ideo specialis hæc ei prouincia fuit, cui & tanquam metropolita præfuit. quid igitur, inquies, habuere iuris præsules illi per diœceses quarum primates dicti sunt, si vnius tantum prouinciæ curam, quasi metropolitani gessere? τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς habebant, omnes diœceseos prouincias sub Ecclesiastica regula continebant, concilia ex vniuersa diœcesi conuocabant, iisdemque præsidebant, omnium Ecclesiarum totius diœceseos sollicitudinem sustinebant, in caussis Ecclesiasticis appellationes a ceteris metropolitanis emissas iudicabant, aliisque nonnullis priuilegiis ac prærogatiuis pollebant. Cum hæc ita sint, constat eos alio iure prouinciam rexisse, cui tanquam

quam metropolitæ præerant, alio totam diœcesim cui tanquam primates siue patriarchæ præsidebant. Episcopus autem Alexandrinus vno eodemque iure, Pontificio, potestate, omnes Ægyptiacæ diœceseos prouincias rexit, gubernauit, administrauit, nullamque ex his habuit specialem quam diuerso iure, vel dissimili forma regiminis curaret: omnium ex pari metropolita fuit, omnium & patriarcha.

De Occidente secundum hæc iam videndum est an fuerit specialis diœcesis patriarchatus sedis Apostolicæ, idemque pars diœcesis vniuersalis. Hæc norma nos optime direxerit. Lugdunēsis episcopus in sola Lugdunensi prima, quæ specialis eius erat prouincia, episcoporum habuit licentiam ordinandorum: in ceteris Lugdunensibus quæ illi suberant tanquam primati, hoc idem iuris non habuit. In Occidente, dic quæso, quid pro speciali vnquam patriarcha gessit aut administrauit Summus Pontifex, cuius parem administrationem, non sibi in Oriente vindicauerit? quid potuit per Occidentem, quod non posse per Orientem voluerit atque intenderit? quid iuris vnquam, quid regni habuit in Occidentales Ecclesias, quod non habuerit, aut deberi sibi prætenderit & in Orientales? episcopos deponere, depositos restituere, damnatorum ab suis conciliis appellationes recipere, maiora omnia negotia Ecclesiastica iudicio suo decidere, metropolitanos pallij missione consecrare & confirmare, episcopos extra ordinem ordinare, Concilia indicere, conuocare, iisdemque præsidere, in rebus fidei

clauum figere, ſolumque τὰ χθονιστὰ χθονίζειν. Hæc omnia & alia quæcunque vellet arbitratu ſuo, ſuoque iure poterat facere per Occidentem. an minora his aut minori cum iure per Orientem licebat? mitto licuiſſe, nec enim licuit; an non vt ſemper liceret, ſemper vindicauit? an non dum licuit, libenter vſurpauit? Vicarios & legatos a latere in Occidente habuit, qui maiores cauſas vice ſacra eius dignoſcerẽt ac terminarent; an non etiam habuit in Oriente? Ergo cum diuerſa regiminis eius forma non fuerit per Occidentem & per Orientem: cum idem plane iuris & poteſtatis in Oriente quatenus licuit exercuerit, & in Occidente: cum vniuerſæ Eccleſiæ, quæ Occidentem Orientemque complectitur, generalem προστασίαν ex æquo ſibi aſſerat ac vindicet, cur Occidentem dices ſpecialem magis eius fuiſſe diœceſim quam Orientem? Haud magis ſane ſic erit quam Ægyptus ſpecialis Alexandrini epiſcopi prouincia, qui omnes Ægyptiacæ diœceſeos prouincias, eodem iure, eadem ditionis ac iuriſdictionis poteſtate ſibi ſubiectas habuit. Pars erat igitur vniuerſalis Summi Pontificis diœceſeos Occidens totus, non ſpecialis eius quatenus patriarchæ, diœceſis.

Mori porro te malles, quam non tui ſimilem ſemper exiſtere in his ſimilibus adducendis, quæ ad rem nihil, immo contra faciunt, & omnino diſconueniunt. Exemplum de Lugdunenſi prouincia quale fuerit vidimus. Ecce alterum illi plane ſimile, hoc eſt æque diſſimile, & longe etiam magis

ineptum & absurdum: *in exercitu*, inquis, *si peculiarem cohortis cuiuspiam, aut alæ præfecturam subeat Imperator, has speciales Imperatoris copias iure dixeris, etsi partem faciant exercitus vniuersi.* Hæc tua sunt, & hoc iam te in Censura tua nos monuisse dicis. o monitorem! o censorem! moneo ego te vicissim, censeoque nihil illa tua Censura iniustius, nihil monitione insulsius fingi posse. Sed dic age monitor, magistellorum quantum est παιδοτελειωτάτος, Collegij Claromontani cum Rector eras, an classem aliquam peculiarius tibi subiectam habebas? an primam quam vltimam, secundam quam penultimam, humanitatis quam Rhetorices classem, maiori cum imperio regebas? an non omnes ex æquo parebant, vultumque & minas, manumque ferulaceo armatam sceptro summi Rectoris & magistri ex æquo tunc metuebant omnes? Dic o summe puerorum imperator, ferendæ ferulæ, feriendisque natibus natus, numquid in exercitu rem aliter habuisse se putas? vbinam vidisti, vbi legisti vnquam, eum imperatorem cui totius exercitus summa commissa esset, vnius alæ vel vnius cohortis præfecturam peculiarem gessisse? vnde didicisti speciales has eius copias aut vspiam dictas esse, aut iure dici potuisse? *Si peculiarem*, inquis, *cohortis cuiuspiam aut alæ præfecturam subeat Imperator.* quid si non subeat? ergo locum hoc habebit tantum, cum subiuerit hanc præfecturam peculiarem: tunc aliquæ speciales eius copiæ dicentur, alias non dicendæ. Hoc igitur perpetuum non est, vt imperator & strategus totius

exercitus ſpeciales habeat copias & peculiarem aliquam ducat alam vel cohortem. Hoc nos doce quando fiat, quando fieri debeat, ὦ παιδαγωγῶν στρατηγικώτατε, καὶ τακτικώτατε. an cum acies inſtruenda eſt? ordinat eam ipſe ac diſponit, omnibus locis occurrit, per præfectos & tribunos omnia regit ac dirigit, omnibus imperat ex æquo, non vni ſpeciatim alæ vel cohorti. an cum pugnandum eſt, & cum manu iam prælium ſumitur? ſiue in prima, ſiue in media locum ſibi elegerit acie, ſiue in principiis, ſiue in poſtprincipiis pugnare velit, non vnius tunc alæ vel cohortis ſpecialem præfecturam ſubit, ſed omnes circa ſe habet principes primorumque ordinum ductores & præfectos. In caſtris vero circa prætorium Imperatoris Tribuni tendebant, & legati, ac præcipua quæque exercitus capita. quo igitur in tempore Dux totius exercitus, vnius alæ vel cohortis ductor exiſtebat, quæ ſpeciales copiæ dictæ ſint Imperatoris? qua in militia vſitatum vnquam iſtud, & fieri conſuetum? Romanane an Græca hoc habuit? an habet hodierna? Scio certe prætores olim apud Romanos & proconſules cum ad bellum aliquod proficiſcerentur, ſecum ducere plures ex amicis qui ſequi vellent ſolitos. in cohortem vnam plerumque iſti amici cogebantur ac conſcribebantur. Hæc cohors amicorum dicebatur. hi comites erant & cõtubernales imperatoris, & locus illis proprius in caſtris aſſignatus. Si de hac cohorte intelligis, næ tu parum intelligens es. Huius ſane cohortis ſpecialem quidem, vt par eſt, curam gere-

bat imperator, non peculiarem habebat præfecturam. Sed nolo iratum habere te, volo pacatum. concedo tibi ſpecialem aliquam ſemper fuiſſe imperatoris alam vel cohortem, quæ & pars extiterit exercitus vniuerſi. Quid hæc ala vel cohors habet ſimile aut comparandum cum Occidente? Ala vix centeſima pars erat iuſti legitimique exercitus: Occidens imperij Romani pars altera fuit, immo alterum imperium, poſtquam duo ex vno facta ſunt. ſi alæ duæ vel duæ cohortes exercitum facerent, optime quadraret tuum illud *quemadmodum*. vt res ſunt, nihil eſt quod melius conueniat cum noſtra opinione. Nam vt imperator peculiaris alicuius cohortis ductor erat, idemque totius exercitus dux generalis; ſic epiſcopus Romanus, Eccleſiæ Romanæ, quæ prouinciæ ſuæ Romanæ finibus continetur, metropolita ſpecialis fuit, idemque vniuerſalis Eccleſiæ Papa. Vide nunc ſis & hanc eamdem comparationem aliter concinnatam in hunc modum: Sub centurionibus milites erant, ſub tribunis centuriones, tribuni ſub legatis, legati porro ſub imperatore, qui vniuerſo præerat exercitui. eodem modo prorſus clerici ſub epiſcopis ſunt, epiſcopi ſub metropolitanis, metropolitani ſub patriarchis, patriarchæ quaſi legati vicariique Papæ, vt eos eſſe vult illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, ſub eodem Papa qui vniuerſæ præeſt Eccleſiæ. An hæc tibi imago abludere videtur? longe ſane melius ad rem alludit quam tua, quæ cum imperium Romanum cum Eccleſia vniuerſa Romana conferat, & in

eadem trutina componat; Occidentem totum quæ pars imperij totius fuit altera, cum cohorte vel ala comparat. qua imagine nihil absurdius, nihil absimilius, nihil imaginoso Sirmondo dignius. nulla igitur alia specialis fuit episcopi Romani diœcesis, quam prouincia Romana, cuius sollicitudinem habuit peculiarem, tanquam eiusdem metropolita. & hæc est prouincia vrbicaria quæ suburbicarias siue suburbanas Ecclesias continebat, quas ei pro diœcesi speciali siue prouincia Ruffinus adscribit.

Cum suburbicarias porro Ecclesias apud Ruffinum interpretatus sis, Occidentis Ecclesias, in Epistola quæsiueram an eodem modo si Romanas dixisset, Occidentis Ecclesias interpretari tibi licuerit: finxeramque ipsi mihi nihil te ad hoc responderе aut reponere posse. sic enim in animo meo reputabam, vt *suburbicariarum* vocabulum eo sensu sumptum, quo sumi vis, ambiguum est & incertum, ita non minus ambiguum fore & *Romanarum*, immo æque prorsus ambiguum. Nam cum *suburbicarias* Ecclesias eas dici velis quæ sub episcopo sunt vrbis, *Romanæ* pariter dicentur, quæ sub episcopo Romano sunt. atqui sub episcopo Romano credimus vterque Ecclesias omnes esse; omnes igitur Romanæ sunt, omnes ita dici possunt. Si *Romanas* itaque posuisset Ruffinus pro suburbicariis, tu de Occidentalibus semper intellexisses. sed quare magis de his intelligendum esset, quam de Ecclesiis quæ sub episcopatu sunt vrbis, aut de illis quæ intra prouinciæ Romanæ limites continentur, aut de iis quæ

intra Italiam positæ episcopum Romanum primatem agnoscunt, aut de omnibus denique quotquot orbis habet vniuersus Romanus? Tot modis enim dici Romanas Ecclesias posse asseris. Eas hoc nomine tibi placet accipi quæ in patriarchatu Romano erant, id est Occidente: mihi magis placebit, vt accipiantur quæ sub primatia Romana sunt, hoc est Italiæ Ecclesias. quo argumento, qua ratione vinces tuam esse meliorem interpretationem, cum fatearis tam has quam illas Ecclesias nuncupari posse Romanas? atque ita tu quidem quæstionem meam soluis: quæ solutio nihil prorsus agit, sed litem plane lite dirimit. Non heic quærimus, o lutee λύτα, an Occidentales Ecclesiæ recte dici potuerint a Ruffino Romanæ, sed an ita vnquam dictæ peculiariter fuerint? an Romanæ Ecclesiæ nomine totus aliquando proprie venerit Occidens? Ex eo quod dici potuerunt, argumentaris ita dictas esse; ego ex eo quod nunquam sic dictæ sunt, nec dici potuisse arguo. inter id quod est, & quod esse potest, multum interest. nam multa esse possunt, quæ nunquam erunt, nunquam fuerunt, nec sunt. *Vt Romanus*, inquis, *orbis dicebatur, Romanæ vrbes, gentes, imperium Romanum quod sub Romanis erat imperatoribus: ita & Romanæ Ecclesiæ totius orbis Christiani Ecclesiæ dici queant, quas sub vrbis Romæ episcopo constat esse.* Nolo tecum rixari, nec sum ex illis quos in Ecclesia non esse dicis. fateor Romanam recte dici Ecclesiam vniuersam quæ sub Papa Romano est, vt Romanum orbem qui sub imperatore Romano. nunc quando

omnia quæ vis, tibi concedo, da te mihi viciſſim, & reſponde ad ea quæ volo. Romanæ gentes & vrbes erant ac dicebantur omnes orbis & imperij Romani gentes & vrbes. ſed ſi quis, rogo te, Romanas prouincias aut ciuitates diceret, aut alicubi ita dictas reperiſſes, an de ſolis Occidentalibus poſſes interpretari? cur iſtæ magis Romanæ, quam Orientales, cum totus orbis dicatur Romanus, totum imperium Romanum quod Orientem Occidentemque complectitur? ſic cum vniuerſam Eccleſiam recte appellari fateamur Romanam, & Romanas omnes Eccleſias quæ vniuerſali illa Eccleſia comprehenduntur, quo iure ſolas Occidentis Eccleſias ita peculiarius nuncupari defendes, ſi Orientales hoc etiam nomine appellari non minus debeant? an quia Occidens ſpecialis eſt diœceſis patriarchæ Romani? at hæc controuerſia noſtra eſt. Hoc nec ipſi Papæ agnoſcunt. Hoc ſoli Græci tuentur. Nam ideo ſolum Occidentem Eccleſiam Romanam dici fatentur, quia vniuerſam negant. Romanam diœceſim vocant Occidentem, quia Romano nullam aliam diœceſim tribuunt: ſpecialem denique hanc illi volunt eſſe, qui totum orbem vniuerſalem eius eſſe diœceſim nolunt. an ſi Ruffinus Romanas Eccleſias dixiſſet, tu de Occidentalibus eſſes interpretatus? atqui Ruffinus cum Synodo quam interpretatur, de ſolis intellexit Eccleſiis, quæ in metropolitana ſunt Romana prouincia, ſub vrbe metropoli Roma. D. Hieronymus aduerſus Vigilantium *Apoſtolicæ ſedis Eccleſias* dixit, quæ ſedi Apoſtolicæ ſubiectæ erant.

de

de Occidentalibus acciperet, si quis tibi crederet. atqui Ecclesias illas Apostolicæ sedis, quas vocat, distinguit ac separat ab Hispanicis. Hispanicæ autem etiam in Occidente, & de Occidentalibus. aliæ igitur sedis Apostolicæ Ecclesiæ, aliæ Occidentales: aliæ etiam Romanæ ab Occidentalibus.

Quo sensu & qua significatione Ecclesia Romana, proprie & peculiariter sit appellata, vel a primis Ecclesiæ temporibus ad hoc vsque æui, quam poterimus paucis, heic aliquot testium, sed omni exceptione maiorum, suffragiis probabimus. Ecclesiæ Romanæ nomine certum est nunquam Ecclesiam aliam fuisse intellectam quam specialem & particularem illam quæ vrbis Romæ pomœrio, & Romanæ prouinciæ finibus continetur & circumscribitur. Ignatius in Epistola ad Ecclesiam Romanam, ἥ τις προκάθηται ἐν χωρίῳ Ρωμαίων, quæ præsidet in regione Romanorum vel Romana. Ambrosius Epist. LXXXIII. *Romanam Ecclesiam* ab Italicis aperte seiungit his verbis: *post Ægyptiorum supputationes & Alexandriæ Ecclesiæ definitionem, episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ, meam adhuc expectant sententiam quid existimem de die Paschæ.* Innocentius in Epist. ad Victricium episcopum Rothomagēsem *vrbis Romæ Ecclesias,* hoc est Romanas a Gallicanis distinguit, & *Ecclesiam Romanam* vocat, quæ Romanas Ecclesias illas comprehenderet: *Etsi tibi, frater carissime, pro merito & honore sacerdotij, quo plurimum polles, viuendi & docendi secundum Ecclesiasticas regulas nota sunt omnia, neque est aliquid quod de sacris lectionibus tibi minus colla-*

tum esse videatur. tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam, atque auctoritatem magnopere postulasti, voluntati tuæ morem admodum gerens, de gestis vitæ & morum probabilium disciplinis, adnexisque meis litteris transmisi: per quas aduertant Ecclesiarum regionis vestræ populi quibus regulis Christianorum vita in sua cuiusque professione debeat contineri, qualisque seruetur in vrbis Romæ Ecclesiis disciplina. ergo Rothomagensi Ecclesia de Romanis Ecclesiis vna tunc non erat, nec sub Romanæ Ecclesiæ nomine comprehendebatur. Sirmondus qui Occidentis omnes Ecclesias, Romanas dictas fuisse vult, Romanam vtique etiam vocaret Ecclesiam Rothomagensem. Nicolaus primus Papa Epist. VIII. ad Michaelem imperatorem Romanam Ecclesiam magistram omnium Ecclesiarum vocat, & per hoc a ceteris Ecclesiis, quarum erat magistra, secernit: *siquidem hæc vtique prænoscentes periculosa tempora, illi qui ante nos fuerunt, prouidam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt: hodieque in Ecclesia Romana, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, inprætermisse seruatur, ita vt nullus sacerdos maiore suo non innuente sacerdote cuilibet rei benedicere nitatur.* & in ead. Epist. vniuersalem Ecclesiam discernit a Romana: *suscepit ergo ac continet in se Romana Ecclesia, quod Deus vniuersalem Ecclesiam suscipere ac continere præcepit.* Et clarius sub finem: *ordo Ecclesiasticus, antiqua consuetudo, atque sollicitudo quam circumferimus cunctarum Ecclesiarum Dei: nec non & priuilegia propriæ sedis, quæ in beato Petro suscepta diuinitus, & in Ecclesiam Romanam deriuata, vniuersalis celebrat & veneratur Ecclesia.* diuersa igitur Ecclesia

Romana ab vniuersali. idem paulo post: *Cogitate itaque dies antiquos & annos æternos in mente habetote: & quid imperatores, qui persequuti sunt Ecclesiam Dei, & maxime Ecclesiam Romanam*. idem Papa in Epistola LXX. ad Hincmarum, & reliquos archiepiscopos & episcopos Gallicanos, *Romanam Ecclesiam*, aperte diuersam facit a *Latina*. ita enim de Græcis loquitur: *conantur tam nostram specialiter, quam omnem generaliter, quæ lingua Latina vtitur, Ecclesiam reprehendere, quod ieiunamus in Sabbatis*, &c. specialis igitur episcopi Romani Ecclesia, *Romana* dicitur, & a *Latina* distinguitur. idem paulo post: *& quia communia sunt hæc opprobria, quæ vniuersali Ecclesiæ, in ea duntaxat parte, quæ Latina vti dignoscitur lingua, sicut prætulimus, ingeruntur, communiter omnes qui diuino sacerdotio illustrati videmini, decertare debetis*. ex his clarissime patet, Nicolaum *Latinam Ecclesiam*, quæ Latina vtitur lingua, partem vniuersalis Ecclesiæ facere, non specialem aut Romanam, vt pote quam a Romana disertis verbis distinxerat supra. idem eodem loco Hesperias regiones dicit a sede beati Petri non dissentire, hoc est ab Ecclesia Romana: *Siquidem nisi mente recessit, nunquam Hesperiæ regiones, vt de aliis mundi plagis interim taceamus, a sede beati Petri in huiusmodi quæstionibus dissonantes inuentæ sunt*. Hesperias regiones dixit, hoc est Occidentales non Romanas: & cum beati Petri sede consonantes, non sedi Petri subiectas. Auctor Anonymus de subcælesti Hierarchia: *Apostolica vero sedes dicitur etiam quandoque Romana Ecclesia, quia tam ipse Petrus,*

quam coapostolus eius Paulus, Romanum populum & adiacentem, in Dei fide non tamen primo, vt dicit ad Corinthios, sed principaliter doctrina & moribus instruxerunt. Romanus igitur populus, qui intra muros vrbis Romæ consistit, & in regionibus adiacentibus commoratur, Romanam specialem constituit Ecclesiam, vt populi vniuersi Romani orbis, vniuersalem. sic quum apud antiquos scriptores Latinos populus Romanus gentium victor appellatur, de populo vrbis Romæ intelligi peculiariter debet: at cum iidem gentes Romanas & orbem Romanum dicunt, de vniuersis gentibus & orbe vniuerso accipi necesse est. Occidentis autem regiones non magis Romanæ sunt, nec magis ita proprie dici possunt, quam Orientis, tam ἐν κοσμικοῖς, quam ἐν πνευματικοῖς. Innocentius tertius patriarchæ Constantinopolitano quærenti per Epistolam quo sensu Ecclesiam Romanam vnam & vniuersalem appellasset, ita respondet: *Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod Ecclesia duabus ex causis vniuersalis vocatur. intelligentia namque dictorum ex causis assumenda dicentis: cum non res sermoni, sed rei sit sermo subiectus. dicitur enim vniuersalis Ecclesia, quæ de vniuersis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur, & secundum hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est vniuersalis Ecclesia, sed pars vniuersalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo existit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur: & dicitur vniuersalis illa vna quæ sub se continet Ecclesias vniuersas: & secundum hanc nominis exposi-*

tionem Romana tantum vniuersalis Ecclesia nuncupatur. Duplici tantum ratione Romanam Ecclesiam dici docet Innocentius: cum vniuersalis appellatur, quod vniuersas sub se contineat Ecclesias, & cum pars est vniuersalis Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum prima scilicet & caput. Hac postrema significatione particularis est Ecclesia Romana, nec ab Africanis duntaxat, & Gallicanis Ecclesiis, reliquisque Occidentalibus separatur, sed etiam ab Italicis omnibus distinguitur: vt Capuana, Rauennensi, Mediolanensi, & ceteris. Hoc sensu accepta solas Ecclesias comprehendit, quæ in prouincia Romana sunt, quam prouinciam idem Innocentius Summi Pontificis specialem, Pisanam inter & Capuanam prouincias constituit ac collocat, cum de officio vicarij agit. Hæc sola specialis erit Papæ diœcesis, quæ Romanas proprie dicendas tam in vrbe, quam extra vrbem, prouinciam intra Romanam sitas Ecclesias continebat. Romana igitur Ecclesia, quatenus est pars vniuersalis Ecclesiæ, quæ omnium Ecclesiarum caput & mater est, ceterasque pro membris suis & filiabus habet, prouinciæ Romanæ solis finibus continetur, eiusdemque Romanæ prouinciæ solas Ecclesias complectitur. Hæ solæ Romanæ iure meritoque, & peculiari propriaque appellatione dici possunt ac debent. Has *Romæ vrbis Ecclesias* dixit Innocentius primus. *Apostolicæ sedis* Ecclesias D. Hieronymus. Iohanni Rauennati ad Gregorium primum *circa vrbem constitutæ* dicuntur *Ecclesiæ*. Hæ sunt denique quas Ruffinus *subur-*

bicarias vocat, hoc eſt ſuburbanas ab vrbis vicinitate. Quatenus vero dicitur vniuerſalis Eccleſia Romana, non Occidentem tantum, ſed totum comprehendit orbem, & vniuerſas ſub ſe habet Eccleſias. ſic aut particularis eſt, aut vniuerſalis Eccleſia Romana: nihil eſt tertium. Particularis, metropolita eſt epiſcopus Romanus: vniuerſalis, Summas Pontifex. nam quatenus vrbis Romæ epiſcopus, Romanæ etiam prouinciæ verus eſt metropolita, cuius & metropolis fuit Roma. quatenus autem Petri ſucceſſor, principis Apoſtolorum, & Romæ epiſcopus quæ totius imperij Romani caput erat, καὶ τῆς Ρωμανίας μητρόπολις, idem vniuerſæ etiam Eccleſiæ caput, & primus epiſcopus fuit. Præter epiſcopatum itaque vrbis Romæ, ſolis his duobus modis conſiderandus venit Papa, vel tanquam metropolita prouinciæ Romanæ, vel tanquam Papa vniuerſalis, ſiue Summus Pontifex. Vtrumque debet Romanæ vrbi, quæ & metropolis ſpecialis Romanæ prouinciæ fuit, & prima ſedes vniuerſæ Eccleſiæ. Verum hoc eſſe licet etiam colligere ex prouinciali Romano, Romæ edito cum practica Cancellariæ Romanæ. Hoc prouinciale continet omnes prouincias & epiſcopatus orbis Chriſtiani, & primo loco prouinciam Romanam & eius epiſcopos recenſet, qui ſuffraganei Summi Pontificis erant, eique tanquam ſuo primati vel archiepiſcopo, hoc eſt metropolitano parebant. Poſt Romanam ſequuntur ordine omnes cum ſuis epiſcopis & archiepiſcopis prouinciæ, quæ Romanæ ſedi obedien-

tiam præſtant, aut præſtare debent, quæque Romæ vrbis epiſcopo, velut Summo Pontifici, ſi non parent, at parere tenentur. Veteris illius prouincialis hunc titulum in antiquo exemplari Bibliothecæ ampliſſimi Ribierij ſic poſitum reperi: *Incipit prouinciale omnium prælatorum. vnde nota quod Teutonici, Gallici, Vngari, Prouinciales & Siculi teneantur viſitare Curiam Romanam de biennio in biennium: Anglici & Hiſpani de triennio in triennium: Vltramarini de quadriennio in quadriennium: Apuli & Italici omnes ſingulis annis.* Hinc videre eſt non alio iure nec alia conditione Papæ fuiſſe ditioni ſubiectos Apulos & Italicos epiſcopos, quam Vltramarinos, hoc eſt Orientales omnes, & Teutonicos, Gallicos, Siculos & Anglicos, Hiſpanicoſque & ceteros Occidentales. Exceptis igitur Romanæ prouinciæ epiſcopis, omnes Italici vno eodemque diſcrimine cum ceteris orbis Chriſtiani epiſcopis, Papæ tanquam Pontifici Summo ſubditi habebantur. Viſitare Curiam Romanam tenebantur omnes, ſed Italici propter vicinitatem ſingulis annis, ceteri aut ſingulis bienniis, aut trienniis, vel etiam de quadriennio in quadriennium, prout propius abeſſent aut longius. nam qui longiſſime, poſt ſingula quadriennia officium ſuum peragere debebant. In veteri autem prouinciali poſt titulum quem ſupra retulimus, ſtatim hæc verba ſubiiciuntur: *iſti autem ſunt, qui ſub Romano Pontifice ſubiecti ſunt immediate.* Sequitur enumeratio epiſcoporum Romani Pontificis ſuffraganeorum in Romana prouincia conſiſtentium.

præter quos episcopos alij nulli ne ex Italia quidem sub Romano Pontifice immediate constituti fuere. ceteri omnes, vt iam diximus, vno ordine ac discrimine Romanæ sedi subiecti, non tanquam patriarchali vel primatiali propriæ peculiarius habebantur, sed velut primæ totius orbis sedi. Extra Romanam igitur prouinciam, nullam sibi specialem habuisse diœcesim censendus est episcopus Romanus. sic nec Italiæ primas, nec Occidentis fuit patriarcha. Itaque quod de suburbicariis ante diximus, hoc de Romanis Ecclesiis statuendum, Romanas Ecclesias peculiarius sumptas, non alias dictas esse, dici posse, vel intelligi debere, quam quæ in vrbe vrbisque sunt episcopatu, aut prouinciæ Romanæ finibus continentur. Romanæ quidem omnes erant imperij Romani prouinciæ. Nam & Italicæ, & Africanæ, & Gallicanæ regiones, & quæcunque aliæ Romanis parebant, & sub imperio Romanorum erant, Romanæ omnino fuerunt. quis dubitat? Sed peculiari nomine ac notione quamlibet ex illis Romani orbis prouinciis ita nuncupatam fuisse, si posses ostendere, ego possem te pro magno viro habere. sola Romana regio peculiariter ac proprio hoc nomine nuncupata est quæ circa vrbem Romam, & intra vrbici territorij fines sita erat, quæque ad iurisdictionem vrbicæ præfecturæ pertinebat, quæ vrbicaria denique etiam dicebatur, & vrbicarias omnes suburbicariasque regiones comprehendebat. Quod de regionibus dicimus, hoc idem de Ecclesiis dictum sit. Nec enim aliæ Gallicanæ

Ecclesiæ

Ecclesiæ ab Gallicanis regionibus: nec aliæ Africanæ Ecclesiæ, quam quæ in Africanis regionibus. atque ita de ceteris. sic nec alias Romanas aut suburbicarias Ecclesias aut fuisse, aut dictas esse credi debet præter eas, quas in Romana regione siue prouincia, & suburbicariis regionibus fuisse constat.

De patriarchatu porro Occidentis quem tantopere laboras vt adstruas, an poteris nos facere vt sciamus, quando primum cœperit, quo tempore sit institutus, quando hæc diœcesis attributa sit episcopo Romano? De aliis patriarchis scimus vnde initium habuerunt eorum πατριαρχίαι. Originem earum, progressum, incrementa, formam quinetiam ipsam typumque institutionis tenemus. Alexandrinus antistes vel ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus tot prouincias per Ægyptum sub se habuit, quot habebat præfectus Augustalis. Hinc Nicena prima Synodus canone sexto ἐκ τῶν ἀρχαίων ἐθῶν testatur episcopum Alexandrinum, Ægyptum, Libyen & Pentapolin sub sua potestate habuisse. Ex eodem canone constat Antiocheno tot in Oriente prouincias fuisse subditas, quot metropolitanæ vrbi totius Orientis Antiochiæ suberant. in his duobus, vt & aliis omnibus tunc metropolitis, Ecclesiasticæ prouinciæ ciuilium typum sequutæ sunt, & ad earum instar constitutæ. Constantinopolitano patriarchæ Synodus Chalcedonensis tres ciuiles easdemque Ecclesiasticas prouincias subiecit, Asianam, Ponticam & Thracicam, cum prima-

tum ei iam ante, ſed ſolum, Conſtantinopolitana Synodus attribuiſſet. De patriarcha Hieroſolymorum nemo eſt quin ſciat quando ſit factus patriarcha, & quas ſub ſuo patriarchatu habuerit prouincias, & quo primum tempore eas habere cœperit. De Romano doce nos quia neſcimus, quando & per quem illi data eſt ſpecialis Occidentis diœceſis. Canonem ſextum Synodi Nicenæ de hac diœceſi interpretaris. Ergo tam antiqua hæc eius fuit diœceſis, quam Ægyptus Alexandrini? Sed vnde, dic ſi ſcis, aut a quo primum eam diœceſim accepit? an a beato Petro dices? primatum habet ab illo, non Occidentis tantum, ſed & Orientis: Eccleſiam omnem regendam ab eodem accepit, vt in eius vita legitur, non peculiariter Occidentis. an dignitas vrbis Romæ hanc illi diœceſim contulit, ac totidem prouinciarum primas & caput inde factus eſt, quot prouinciarum metropolis & caput eſſet Roma? atqui non Occidentis tantum, ſed totius orbis caput illa fuit, eo maxime tempore quo noua Roma nondum ſtabat, Romani nominis & imperij caput alterum. quid igitur? an etiam priuſquam Romanus orbis in duas partes ſectus eſſet, ac duo imperia, Orientis & Occidentis, nota eſſent, epiſcopus Romanus ſpecialem habuit diœceſim, totum Occidentem? quis hanc illi partem ex vniuerſo abſcidit? quis dedit? quis limitauit & aſſignauit? quis ex Occidente, diœceſim vnam patriarchæ vnius fecit? Ergo in ſpiritualibus prius quam in temporalibus diuiſio totius orbis facta eſt in Orientem & Occi-

dentem? Imperium adhuc vnum erat, & ſub vno imperatore totum, nulla mentio Occidentalis & Orientalis imperij, & tamen etiam tunc Occidentem ab Oriente ſciſſum ac ſeparatum iure patriarchæ regebat epiſcopus Romanus? an tam beatus & pulcher eſſe poteris, Sirmonde, vt diuiſionis huius auctorem nominare, tempus adnotare queas? Hoc fac age ſi facere potes. non ſolus eris beatus, nos etiam beaueris. quidquid facies, fruſtra efficere tendes, vt Occidens ſpecialis fuerit patriarchæ Romani diœceſis, priuſquam Occidens ab Oriente diuiſus ſit. Antequam enim ex illa imperij diuiſione notum eſſet, quæ quotve prouinciæ vel diœceſes Occidentis imperio ceſſerint, quænam Orientis parti attributæ fuerint, quis noſſe potuit, quot vel quarum per Occidentem prouinciarum patriarcha foret epiſcopus Romanus? Non igitur ille Occidentis patriarcha potuit eſſe, cum nondum Occidens certa pars imperij factus fuerat, nec dum certo prouinciarum numero definitus, certiſque finibus circumſcriptus. ante illam diuiſionem imperij in Occidentem & Orientem, quam diœceſim habuit Romæ vrbis epiſcopus? ſi ſpecialem quæris, prouinciam Romanam habuiſſe reperies, cuius metropolis ſpecialis Roma. ſi vniuerſalem, totum orbem; cuius hæc eadem Roma caput fuit, & prima ciuitas. Poſt diuiſionem itaque imperij & Occidentis certam factam limitationem, natam primum ac notam fuiſſe oportet iſtam Occidentis patriarchalem diœceſin, ſi quam vnquam talem habuit Romanus

Pontifex. Heic iterum vero quærendum eſt, quis eam primus inſtituerit? quo concilio conſtituta ſit? quæ cauſa dederit? quæ conſuetudo aſſignauerit? Profecto, ſi verum quæris, ſi reperire vis ab illo tempore quo diuiſus in duos orbes orbis eſt, Occidentem non ſpecialem diœceſim extitiſſe Romani Pontificis comperies: ſed quæ fuerat vniuerſalis, quæ vniuerſum olim comprehenderat orbem, intra vnam orbis partem, hoc eſt intra Occidentem redactam reductamque fuiſſe comperies. Hoc ego paucis tibi patefaciam, ſi aperire ipſe deſignaris. Olim cum orbis vnus eſſet Romanus, imperium Romanum, priuſquam inter duos imperatores diuiduum eſſet factum, ab vno tunc imperatore regebatur. Huius imperij cum vnicum erat, vrbs Roma caput vnicum quoque fuit: cuius vrbis epiſcopus idem quoque totius orbis primus epiſcopus, & vniuerſæ primas Eccleſiæ, ſine controuerſia ab omnibus habitus eſt & agnitus. Huic dominæ vrbis epiſcopo ſuper omnes epiſcopos principatum primatumque non ſolum beati Petri meritum, principis ac primi Apoſtolorum, cui ſucceſſerat, dedit, ſed vrbis quoque dignitas cui præſidebat, quæ omnium vrbium princeps cluebat. Vtramque hanc cauſam primatus Papæ agnoſcit Valentiniani Nouella. Synodus autem Conſtantinopolitana prima, cum Chalcedonenſi, vrbis tantum dignitati primatum Apoſtolicæ ſedis adſcripſere. ſic enim Chalcedonenſis can. XXVIII. καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην

οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. Dum igitur vnum imperium fuit, ſola quoque imperauit, ſola caput imperij Romani totius extitit Roma. Diuiſo demum imperio, & in duas partes ſecto, partis vnius tantum caput cœpit eſſe, quæ fuerat totius antequam diuideretur; nam pars altera ſuum & ipſa caput habuit Conſtantinopolim, nouam nempe Romam. Sic Roma vetus Occidentis, noua Roma facta eſt Orientis metropolis. Ruffus Feſtus in Breuiario, de Conſtantinopoli: *ita ditioni Reip. ſex Thraciarum prouinciæ ſunt adquiſitæ, Thracia, Æmimontus, Mœſia inferior, Scythia, Rhodope, Europa in qua nunc ſecundæ arces Romani orbis ſunt conſtitutæ.* ſecundas arces Romani nominis vocat Conſtantinopolim; quæ tamen ita ſecunda erat, vt primæ non concederet. ſic ambæ pares fuerunt, vtraque ſui imperij caput, hæc Occidentis, illa Orientis. Gregorius Nazianzenus orat. xxvii. Conſtantinopoli habita: ὑμεῖς ἡ μεγάλη πόλις, οἱ τρόποι μετὰ τὴν πρώτην εὐθέως, ἢ μηδὲ τοῦτο παραχωροῦντες. idem de vita ſua, hac re tantum eas facit differre quod vna Occidenti, altera præſideat Orienti:

Δισσαῖς δὲ Ῥώμαις, τῆς ὅλης οἰκουμένης
Λαμπτῆρσιν, ἀρχαῖόν τε καὶ νέον κράτος,
Τόσον τε διαφέρουσαις ἀλλήλων, ὅσον
Τὴν μὲν προλάμπειν ἡλίου, τὴν δ' ἑσπέρας.

Quod autem in ſingulis prouinciis & diœceſibus olim, non ſæpe tantum, ſed fere ſemper videmus vſu veniſſe, vt Eccleſiaſticarum ſtatus prouinciarum ad ciuilium formam conſtitueretur, & dignitas

vrbium dignitatem conferret episcopis, qui sedem in iis habebant, hoc etiam in imperio circa vniuersæ Ecclesiæ regimen, seruatum esse hinc apparet. Byzantina Ecclesia quæ Heracleensis erat suffraganea, postquam de Byzantio Constantinopolis facta est, & alterius imperij caput, & noua Roma, eius episcopus qui antea subditus fuerat Heracleæ metropolitano, omnibus non solum metropolitis, sed patriarchis prælatus est, & soli Romano secundus factus. ita enim Constantinopolitana prima Synodus, & secunda œcumenica decreuit can. III. τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. *Constantinopolitanæ ciuitatis episcopum habere oportere primatus honorem post Romanum, propter quod sit noua Roma.* causam huius primatus episcopo Constantinopolitano deferendi non aliam Synodus hæc assignat, quam quod Constantinopolis, noua esset Roma. Ergo Romæ veteris episcopus, ex huius Synodi sententia primatum non aliunde habuit, nec alteri cuiquam causæ debuit, quam quod Roma esset cui præsidebat, quæ totius imperij prima ciuitas erat. nec aliam huius primatus causam agnouere Synodi Chalcedonensis patres can. XXVIII. cuius verba ante recitauimus: καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ. Græci sane summa vi semper hoc contenderunt,

non alio quam vrbis ſuæ beneficio ac merito primatum obtinuiſſe epiſcopum vrbis Romæ: ac proinde æquum eſſe, vt epiſcopus nouæ Romæ vrbis pariter imperantis paribus quoque priuilegiis frueretur. Romani contra epiſcopi, vt epiſcopum Conſtantinopolitanum primatus indebitos ſibi poſcere & vſurpare conuincerent, per ſolum beati Petri principis Apoſtolorum meritum, non propter vllam vrbis regiæ prærogatiuam, ſe principatum indeptos eſſe præ ſe ſemper tulerunt. Valentinianus in Nouella vt partes conciliaret, vtramque cauſam adſcripſit, vrbis nempe dignitatem & meritum Petri. Sed Conſtantinopolitani epiſcopi duorum οἰκουμενικῶν conciliorum auctoritate freti, & regiæ vrbis καὶ βασιλευούσης poteſtate ſubnixi, quod petiere facile impetrarunt: nec hoc tantum, ſed in illa imperij parte, cuius caput ac ſedes erat Conſtantinopolis, ſoli tandem imperarunt, & ſicut imperium diuiſum fuit, ita Eccleſiam quoque diuiſerunt, parte ſua relicta quam regeret, epiſcopo Romano. ſic factum eſt, vt qui vniuerſæ Eccleſiæ primatum ſolus olim habuerit, in parte tantum habere cœperit, & ab altera penitus excluſus ſit. Atque ita idem prorſus euenit circa vniuerſæ Eccleſiæ procurationem καὶ προστασίαν, quod in prouinciæ vnius adminiſtratione plerumque videmus accidiſſe, quæ pro vno duos metropolitas accepit, & in duas prouincias, cum vna eſſet, diuiſa eſt. Bithyniam prouinciam, quæ prima occurrit, in exemplum ſumamus, & liceat parua magnis componere

& comparare. in Bithynia prouincia olim vnus erat metropolitanus, qui toti prouinciæ præerat ſolus, & omnium epiſcoporum ſub ſua poteſtate ordinationem coercitionemque habebat. Nicomedienſis hic fuit epiſcopus. Nam Nicomedia totius Bithyniæ ex antiquo metropolis. Nicæa poſtea vrbs in eadem prouincia conſtituta, & Nicomedia ſuffraganea, per Valentinianum honore metropoleos aucta eſt, ſed ea conditione, vt honore ſolo contenta, nihil iuris quod veri habent metropolitæ, in prouincia haberet, ſed antiquo metropolitano ſubeſſet, & ab eo ſicut prius ordinaretur eius epiſcopus. quid factum eſt? vt ambitio gaudet illicitis & vlteriora ſemper appetit, Nicenus epiſcopus per litteras imperatoris honore ac nomine ſolo metropolitæ donatus, aliquid amplius affectare cœpit, & Concilio demum Chalcedonenſi, de epiſcoporum aliquot ordinatione aduerſus antiquum & verum metropolitam contendere auſus eſt: ſed a Concilio repreſſus, hoc proceſſu tamen temporis obtinuit tandem, vt & epiſcopos haberet ſuffraganeos, & Nicomedienſi non eſſet amplius ſubditus. ſic prouinciam & epiſcopos omnemque Bithyniæ exarchiam, cum veteri veroque metropolita partitus eſt. Hinc Nicenus epiſcopus Ἔξαρχος Βιθυνίας in recentioribus Notitiis ſedium Conſtantinopolitano patriarchæ ſubiectarum, æque inſcribitur, vt Nicomedienſis. ſolum ordinis primatum idem Nicomedienſis retinuit. idem omnino accidiſſe deprehendere eſt, & in vniuerſæ Eccleſiæ regimine.

Epiſcopus

Episcopus Romanus, quondam primus fuit totius orbis metropolitanus, ac proinde vniuersæ Ecclesiæ primas siue primæ sedis episcopus; maiora omnia negotia ad sedem eius deferebantur: omnes Christiani orbis episcopos sub Ecclesiastica disciplina continebat; Cōcilia conuocabat œcumenica, congregatis per se vel per legatos suos præsidebat, & alia gerebat iure suo, quæ primum episcopum pro auctoritate ac dignitate sedis cui præest, in Ecclesia gerere & curare æquum fuit. Vt de beati Petri merito nunc nihil dicamus, sola vrbis dignitas cuius erat episcopus, hoc illi priuilegium, hanc προεστασίαν, hunc primatum potuit conferre. Roma quippe tunc erat totius orbis caput, καὶ τῆς Ῥωμανίας μητρόπολις, vt loquitur Athanasius, hoc est imperij Romani metropolis. Hoc itaque principatu tandiu vsus, atque etiam si voluit abusus est, quamdiu vnicum imperium stetit, & huius imperij totius vnicum caput extitit Roma. Sed imperio postmodum in duo imperia diuiso, Orientale & Occidentale, & Orientalis imperij sede facta Byzantinorum vrbe, quæ Constantinopolis dicta est & noua Roma, Roma vetus quæ totius fuerat, cum vnum erat, imperij caput; partis vnius, vbi duæ factæ sunt, hoc est imperij Occidentis, duntaxat caput remansit. Hanc ciuilem imperij gubernandi rationem, statim Ecclesiastici regiminis forma sequuta est. Nam Concilio Constantinopolitano primo, quod sub Theodosio Magno celebratum est, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς episcopo Constantinopolitano post episcopum

Romanum decreta fuere, vt primus esset scilicet omnium episcoporum, & soli Romano secundus, non propter aliam causam quam quod Constantinopolis noua Roma esset ac diceretur. Huic Concilio propterea nulli ex parte Papæ legati interfuere. Nicetas Chartophylax Nicaensis de causis discidij Romanam inter Ecclesiam, & Constantinopolitanam: ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου, τιμηθέντος τοῦ θρόνου τῆς Κωνσταντινουπόλεως παρὰ τῶν ρν' ἐπισκόπων ἐν τῇ δευτέρᾳ συνόδῳ, ἐν ᾗ οὐδὲ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης παρῆσαν, διάστασις καὶ ταραχὴ γέγονε. Hinc prima mali labes, & schismatis origo quod Ecclesias illas postea diuisit, fecitque vt Papæ potestas quæ per vniuersam Ecclesiam sese porrigebat, solis Occidentis finibus coerceretur. Sed Constantinopolitana Synodus τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς duntaxat, & honorem primatus episcopo Constantinopolitano decreuerat, vt post Romanum scilicet primas teneret; nihil enim de ordinatione metropolitarum eidem sedi eius attribuenda constituerat. potestatem ipse sibi manu fecit, & viciniores quasque primum inuadendo Ecclesias, serpente latius ambitione, tres tandem integras diœceses Thracicam, Ponticam & Asianam sub sua ditione inuoluit. Has tres diœceses Concilij Chalcedonensis decretis vt sibi subiicerentur curauit, cum antea sola vsurpatione metropolitas earum consecrandi consuetudinem haberet. Huic inuasioni, & latius euaganti patriarchæ Constantinopolitani cupiditati frena iniicere tentauerunt Romani Papæ, sed nihil profecerunt. Leo inter alios

nascenti malo obuiam ire voluit, & vehementer huic vsurpationi restitit, sed irritus recessit. Nicetas Nicaensis: ἐπὶ Μαρκιανοῦ, ὑπομνησθέντος τοῦ Πάπα Λέοντος ὅτι περ ὁ Κωνσταντινουπόλεως κατ᾽ ὀλίγον ἐφαρπάζει ἀλλοτρίους θρόνους, καὶ τῇ ἰδίᾳ συνάπτει ἀρχῇ, ἐφ᾽ ᾧ καὶ γράμματα ἐγχαράττει ὁ Πάπας τῷ Ἀνατολίῳ, ἀλλ᾽ οὐδὲν ὠφέλησεν, ἔκτοτε γὰρ οὐ διέλειπον οἱ Κωνσταντινουπόλεως ἀρχιερεῖς αὔξειν τὴν τοιαύτην ἐφαρπαγὴν, σχίσμα γέγονε. præuidebat autem Leo quousque processurus esset ambitiosus ille flatus fastusque Constantinopolitani episcopi, cui vires dabat & alimenta regiæ vrbis dignitas, & imperatorum sedes. nec eum fefellit euentus. nam quod præuiderat, euenit. Concilio Chalcedonensi non tres illi tantum suprascriptæ subiectæ sunt patriarchiæ, sed æquatum Pontificium eius in omnibus Summi Pontificis potestati. canon. XXVIII. καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίναντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασιν. Hinc & canone XVII. eiusdem Synodi, & IX. episcoporum appellationes Constantinopolitanæ sedi decreuerunt, quas Romanæ detulerat Synodus Sardicensis. verba canonis noni sunt hæc quæ superius explicauimus: Εἰ δὲ τις ἀδικοῖτο παρὰ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ἢ μητροπολίτου, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως ἢ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω. vetus versio nondum edita: *si quis autem a metropolitano suo aut*

episcopo male tractetur, apud primam sedem suæ diœceseos, vel apud Constantinopolitanam causam dicat. ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, est πατριάρχης τῆς διοικήσεως, & prima sedes diœcesis est sedes patriarchæ: nam primam sedem habet in diœcesi. sic per omnia par factus est Papæ patriarcha Constantinopolitanus, & in omnibus paria cum eo fecit. Vniuersalis Ecclesiæ Papa vocabatur episcopus vrbis Romæ: vocatus & ille est patriarcha œcumenicus. metropolis orbis Romani dicebatur vetus Roma: ita etiam dicta est & noua. Nam Constantinopolim ὅλου τοῦ κόσμου μητρόπολιν vocauit Iohannes Chrysostomus. *omnium ciuitatum caput* vocatur leg. vlt. Cod. *de satisdat.* Quemadmodum igitur Nicenus episcopus prouinciæ Bithyniæ, qui honorarius primo fuerat metropolita, verus & ipse tandem metropolitanus extitit, & prouinciam cum germano & antiquo metropolitano diuisit, & similiter, vt ille, ἔξαρχος τῆς Βιθυνίας nuncupatus est: ita omnino & Constantinopolitanus patriarcha τὴν τῆς οἰκουμένης προστασίαν cum Papa partitus est, & Orientem sibi sumpsit, Occidentem illi reliquit. πατριάρχης οἰκουμενικὸς dictus est, vt ille dicebatur vniuersalis Papa. Primatum tantum ordinis Romano, vt antiquiori concessit, & antiquioris Romæ episcopo. & id quamdiu Roma vetus regnauit: prostrato vero Occidentis imperio primam ipse sedem, quasi regiæ vrbis, & sine riuali aut æmula iam imperantis episcopus, sibi vindicauit. Sic Oriens non solum ab Occidente ἐν τοῖς κοσμικοῖς diuisus est, sed etiam diuisa Ecclesia. quo iure, qua-

que iniuria hoc factum sit, non disputo, factum esse dico tantum. Ex illo tempore potestas Papæ quæ per vniuersum orbem sese diffundebat, Occidentis intra cancellos sese retraxit, & quasi specialem diœcesim Occidentem regere cœpit, quem tanquam partem vniuersalis olim rexerat. atque ita vbi vniuersalem amisit, hanc partem vniuersalis, quasi specialem retinuit. Ita sane Græci volebant videri, qui vniuersalem Papæ diœcesim quod negarent, Occidentem non vt partem vniuersalis, sed vt specialem ab eo regi dixerunt. Hinc Occidentem illi Ρωμαϊκὴν διοίκησιν, quæ sub patriarcha Romano esset, sic vocabant, vt ἀνατολικὴν quæ sub Antiocheno erat, & Αἰγυπτιακὴν διοίκησιν quæ suberat Alexandrino patriarchæ. Notitia vetus sedium patriarchæ Constantinopolitano subiectarum: Εἰσὶ δὲ καὶ οἱ ἀποσπασθέντες ἐκ τῆς Ρωμαϊκῆς διοικήσεως, νῦν δὲ τελοῦντες ὑπὸ τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως μητροπολῖται, καὶ οἱ ὑφ' ἑαυτοὺς ὄντες ἐπίσκοποι. & paulo post: ὡσαύτως καὶ ἀπὸ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως ἀποσπασθεὶς ὁ Σελευκείας Ἰσαυρίας καὶ αὐτὸς τελεῖ ὑπὸ τὸν Κωνσταντινουπόλεως μετὰ τῶν ὑπ' αὐτὸν ὄντων. vbi Ρωμαϊκὴν διοίκησιν totum Occidentem vocat illius auctor Notitiæ. iidem sunt Græci qui sextum Nicenum canonem de hac diœcesi sunt interpretati. illi ipsi inquam Græci qui Summi Pontificis omne Pontificium vniuersitatemque eius diœcesis, solis Occidentis partibus definiuerunt ac circumscripserunt. Hos auctores habes solos, quos sequaris in asserenda particulari Papæ diœcesi. qui vniuersam habere debebat, cui totum debebatur,

pars hæc illi relicta est ab iis qui partem alteram subtraxerunt. Ipsi vero Papæ, cum reipsa non possent, animo semper retinuere vniuersitatis possessionem, nec Occidentem a se velut specialem diœcesim teneri, sed tanquam partem vniuersalis intenderunt. hinc Nicolaus primus Papa cum *primatem diœceseos* in canone Chalcedonensi de Summo Pontifice interpretaretur, *diœcesim* ibi non de Occidente exposuit, quod licebat, si Papam Occidentis patriarcham esse cum Græcis sensisset, sed *diœceseos* positum pro *diœceseon* affirmauit: quia reuera Papa non vnius diœceseos primas est, cum sit omnium. & sane specialis huius Papæ diœceseos intra Occidentem redactæ mentio facta primum est post diuisionem imperij & Græcæ Ecclesiæ discidium, cum ante id temporis nusquam audita esset: & penes solos quidem Græcos audita est, & lecta, quorum intererat hanc solam Papæ agnoscere ac confiteri diœcesim qui vniuersalem negabant. Beatus Petrus successori suo Clementi omnem regendam commisit Ecclesiam, vt in vita eius legere est, non partem eius, nec Occidentalem tantum, sed totam. Hinc frequenter in priorum Paparum vitis occurrit: *hic constitutum fecit de omni Ecclesia.* constituta igitur illa Ecclesiastica non ad solas Occidentis Ecclesias pertinebant. Eirenæus lib. III. cap. III. contra Valent. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam.* non igitur Occidentales tantum ad eam conueniebant. Sozomenus lib. III. cap. VIII. τῆς πάντων κηδεμονίας.

αὐτῷ προσηκούσης, διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου, ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε. Valentinianus in Epiſtola quæ Concilij Chalcedonenſis actis præfixa eſt de Papa Romano: ᾧ ἱερωσύνην κατὰ πάντων ἡ ἀρχαιότης παρέσχε. & paulo poſt: τούτου γὰρ χάριν κατὰ τὸ ἔθος τῶν συνόδων καὶ ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος αὐτὸν ἐπεκαλέσατο διὰ λιβέλλου. Idem Valentinianus cum Theodoſio in Nouella *de epiſcoporum ordinatione*, ſtatuit pro lege omnibus epiſcopis eſſe quidquid ſanxiſſet Apoſtolicæ ſedis auctoritas. Hoc decreuerunt illi duo imperatores in cauſa Hilarij Arelatenſis, & hæc Nouellæ verba ſunt: *Verum ne leuis ſaltim inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam epiſcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare. Sed illis omnibus pro lege ſit, quidquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis auctoritas: ita vt quiſquis epiſcoporum ad iudicium Romani antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur, per omnia ſeruatis quæ diui parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* an ad ſolos hæc conſtitutio pertinet Occidentis epiſcopos? immo ad omnes: nec ſoli Occidentales, ſed vniuerſæ Eccleſiæ epiſcopi per hanc ſanctionem epiſcopo vrbis Romæ dicto eſſe audientes iubentur. Leo primus Papa qui illo tempore vixit, & cuius in gratiam, reſcriptum illud aduerſus Hilarium emiſſum eſt, in Epiſtola ad Anatolium Theſſalonicenſem non Occidentis ſpecialem curam, ſed vniuerſalis

ſibi Eccleſiæ incumbere aperte teſtatur his verbis: *de qua forma epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio; & ex magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent, ſed eſſent in ſingulis prouinciis, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: & rurſum quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vſquam a capite ſuo diſſideret.* locus hic vnus pro centum millibus eſſe poteſt. nam & vnice probat Papam vrbis Romæ, non ſpecialem Occidentis, ſed vniuerſalem fuiſſe Eccleſiæ patriarcham; & omnino euincit non quattuor, vt infrunite cenſebas, ſed tres tantum præcipuos in Eccleſia gradus epiſcoporum tunc numeratos & cognitos eſſe. Epiſcopi illi quorum in ſingulis prouinciis dicit Leo inter fratres primam haberi ſententiam, metropolitani ſunt, qui primi erant epiſcopi ſingularum prouinciarum, & epiſcoporum quaſi maiores fratres. Canones ex Arabico verſi cap. xxxix. *& quamuis ſit archiepiſcopus inter epiſcopos tanquam frater maior, qui curam habeat fratrum ſuorum, & ei debeant obedientiam quia præeſt; eſt tamen patriarcha iis omnibus qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut ille qui tenet ſedem Romæ, caput eſt & princeps omnium patriarcharum.* at quos idem Leo ſcribit in maioribus vrbibus conſtitutos ſollicitudinem ſuſcipere ampliorem, patriarchæ ſunt, per quos ait ad vnam Petri ſedem, vniuerſalem Eccleſiæ curam confluere. non immediate igitur Occidentem regebat Papa, ſed eodem nempe iure quo & Orientem, vniuerſamque Eccleſiam,

Ecclesiam, per medios metropolitas & patriarchas. & profecto Romana Ecclesia, quatenus omnium Ecclesiarum caput, non totum Occidentem comprehendebat, sed solas prouinciæ Romanæ Ecclesias; monstrosum enim ac prodigiosum illud caput esset, quod dimidiam corporis partem occuparet. proportio debet esse inter caput & membra. caput membris imperat, non omnibus adunatis maius est vnum. ceteræ Ecclesiæ membra sunt, Romana sola caput est; sed quatenus caput, non specialiter Occidentales omnes Ecclesias occupauit & absorbuit, verum illis vt & ceteris, tanquam suis membris, ipsa veluti caput imperauit. Innocentius tertius ad patriarcham Constantinopolitanum: *si vt membrum ad caput, & ad matrem filia reuertaris Ecclesiæ Romanæ, reuerentiam & obedientiam debitam impensurus, te sicut fratrem nostrum, & præcipuum membrum Ecclesiæ, benigne & hilariter admittemus.* sic Constantinopolitana Ecclesia membrum & ipsa fuit Ecclesiæ Romanæ, haud minus quam Gallicana, Africana ceteræque Occidentales, licet præcipuum fuerit. Romana igitur Ecclesia quatenus caput & mater ceterarum Ecclesiarum, non Occidentem totum comprehendit, sed solam Romanam prouinciam. Quare nec Romanæ Ecclesiæ nomine totus Occidens vnquam appellatus est, nec Occidentis patriarcha extitit vnquam Papa Romanus nisi apud solos Græcos, qui solius Occidentis eum patriarcham constituunt.

Cum his testibus solis probatum tibi sit, patriar-

cham Occidentis esse Romanum Pontificem, quæris quid habeam quo criminari possim, non satis id a te probatum in Censura fuisse? Profecto, vt rem video, bene te iuuit Deus, quod ludimagister quam causidicus esse malueris. causa nulla delata vnquam ad te esset, quin eam aut male agendo perderes, aut præuaricando proderes. semper vtique perdidisses. melior sane partis aduersæ patronus quam tuæ fuisses. tu Græcos non solum in sua lite testes, sed etiam iudices facis. & dubitas an illi testimonium pro se dicturi sint, & sententiam laturi? & quæris adhuc an hoc crimen sit? ita me Deus amet, si crimen non est, maxima stultitia est. quis non hoc diceret? quis tam patiens & misericors, qui ferre istud possit, aut tibi ignoscere? tu schismaticos in ea ipsa re propter quam schismatici sunt, audiendos putabis, & ipse petes audiri? *nempe*, inquis, *schismatici non erant Nilus & Barlaamus quos tu longe deterioris notæ testes laudasti?* sed quomodo eos laudaui dic tu? an eo modo quo tu? ita eos laudaui vt ne laudarem, sed vt sententiam eorum improbarem & impugnarem: vt schismaticos omnes esse qui ita sentirent, ostenderem. tu vt probares, tuereris, defenderes, citasti. hoc inter tuam meamque illorum testium laudationem interest. & addis: *verum hoc etiam interest, quod huiusmodi homines cum aduersus sedem Apostolicam blatterant, audiendi non sunt, quia schismatici: cum pro illa consentiunt, repudiari veritas non debet, quæ ab aduersariis etiam ipsis expressa atque extorta dominetur.* quid Sirmonde? an Græcos cum Romana

ſede conſentire tibi perſuades? vnde igitur illi aut qua in re ſchiſmatici? an dices in aliis multis diſſidere illos a ſede Apoſtolica, ſed in hoc conuenire & concinere quod Occidentis patriarcham faciant epiſcopum Romanum? atqui prima hæc & ſchiſmatis eorum cauſa & origo. nulla in re illos χισμαζικωτέρους vnquam fuiſſe conſtat. Poteſtatem Papæ vbique diffuſam, in Oriente & Occidente parem, vt ab Oriente excluderent, intra Occidentem incluſerunt. Hinc patriarcham eum Occidentis duntaxat eſſe contendunt, ne totius orbis vniuerſalem epiſcopum concedant. & tamen conuenire illos & conſentire cum ſede Romana audes aſſerere, veritatem hanc eſſe, repudiari non debere. o dementem hominem, vel ſtupidum, ſi demens non eſt? quid enim aliud dicerem? Hanc veritatem ab inuito exprimis & extorques. ſanus profecto ipſe non eſſem ſi pro ſano te haberem. In eodem ſtupore vel dementia potius pergis, atque ita fabularis: *ac pudere te profecto, tuique ſimiles par erat: cum Occidentem vniuerſum patriarchæ Romani diœceſim fuiſſe ſchiſmatici quoque ipſi adſtipulentur; tam peruerſi animi ac iudicij vos eſſe, vt ſpecialem hanc diœceſim centeſimum ab vrbe lapidem non exceſſiſſe contendatis.* Immo voces vt tuas meliori iure tibi reddam, pudere te par fuit, cum Occidentem ſoli Græci ſchiſmatici ſpecialem diœceſim eſſe Romani Pōtificis ea de cauſa adſtruāt, vt deſtruāt vniuerſalem, tam parui prauique iudicij, nulliuſque te mentis eſſe, vt ſpecialem hanc diœceſim, quæ pars erat vniuerſalis, fuiſſe contendas.

Sed tanta vis veritatis eſt, aut tua potius tanta leuitas, vt cum hucuſque ſchiſmaticos Græcos defendiſſes, eorumque opinionem propugnaſſes, repente mutata velificatione, verſoriam capere, & curſum penitus priori contrarium tenere non dubitaris. tam ſubitam in te mutationem, deſultoriamque vertiginem quis non miretur? Dixeram, Græcos Occidentem Papæ ita concedere, vt in Oriente nullam illi poteſtatem tribuerint, & hos Græcos ſchiſmaticos eſſe. Ad hæc ita reſpondes: *quid ad nos ergo in ſchiſmate ſuo quid ſentiant, cum aliter ante ſchiſma ſenſiſſe Græcos exploratum habeamus?* quis diceret eiuſdem hominis hæc eſſe, cuius ſuperiora fuerunt quæ ante retulimus? Græcos ſchiſmaticos ibi ſequebatur, heic damnat. ibi protegebat, heic confodit. quid ergo ad te modo pertinere putabas, o deſertor ipſe tui, quid Græci in ſchiſmate ſenſerint? cur eorum ſentẽtiam probabas? Si exploratum habebas Græcos ante ſchiſma vniuerſæ Eccleſiæ patriarcham agnouiſſe Pontificem Romanum, cur quam in ſchiſmate opinionem defendunt, qua eum ſolius Occidentis patriarcham agnoſcunt, tantopere propugnandam ſuſcepiſti? Sed quo mentis errore rurſus, quo turbine raptatum iactatumque te dicam, vt qui paulo ante Græcorum ſchiſmaticorum cauſam ageres, nunc noſtram agas, & ſummis viribus defendas? Nam omnia quæ ſubiecisti exempla, id plane quod volebamus euincunt, idem iuris in Oriente fuiſſe Papæ ante ſchiſma quod in Occidente: toti illum præfuiſſe Eccleſiæ: non

Occidentis tantum Ecclesiis episcopi Romani potestatem olim definiuisse Græcos antequam schisma facerent. Quæ nobis exempla nunc opponis, & veterum Orientalium præiudicia & sententias, cum Romanum Pontificem vniuersæ Ecclesiæ Papam agnoscebant, ea nos omnia tibi opposuimus hodiernorum & schismaticorum sententiam defendenti. an non hæc stupenda leuitas est, aut merus stupor potius? iisdem prorsus armis quibus ego te alia omnia sentientem impugnaui, nunc idem quod ego sentiens aduersus me pugnas. *ab his*, inquis, *Græcis te de Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam potestate quis recte iudicantium sensus olim fuerit, discere oportebat, ab his te doceri, hos sequi, non Græculos schismaticos.* immo hæc ipse tibi occinito Sirmonde, qui nuper aliam cantilenam cantabas, cum patriarcham Occidentis esse Papam diceres, & Græculis schismaticis concineres. sic modo ab his, modo ab illis stans, parum ipse stabilis es, nec satis tibi constas, —— *vt ille*

Traijcit alterno qui leue pondus equo.

Dixi in Epistola multisque verbis contendi, non solius Occidentis primatem siue patriarcham fuisse episcopum Romanum, cum totius fuerit orbis. Hæreticum me propter id vocas. Nunc tu in eadem sententia es, nunc tu igitur hæreticus es. at paulo ante pene in eadem pagina eumdem episcopum Romanum Occidentis patriarcham specialem esse asserebas. hæc Græcorum schismaticorum sententia est. tum tu igitur cum Græcis schismaticus eras.

vt res est, alterutrum effugere non potes, quin aut hæreticus aut schismaticus sis. Ex his porro mecum collige vter nostrum fuerit αἱρετικώτερος, ego in Epistola, an tu in Censura. Si Censura tua Romæ edita esset, non citius donata luce, quam tenebris damnata per publicos censores fuisset. immo per illos nunquam ibi potuisset edi. Periculosa hæc enim, & merito damnabilis illic habetur doctrina, specialem attribuere Papæ diœcesim qui habet vniuersalem. Hæc in Gallia vbi non dimidium, sed totum licet, facile editores inuenit, sed & laudatores. At Epistola mea qua tuam Censuram confutaui, adeo nihil non habet Romanum, vt non dubitem quin Romæ videri, legi, haberique potuerit. nunc vide quis nostrum sit Ρωμαϊκώτερος. Hac igitur clausula tandem hoc ἀρχαϊστικὸν ἐπιστόλιον concludamus: episcopum Romanum totius orbis Romani, hoc est vniuersæ Ecclesiæ προεστάτην καὶ προεπιστάτην, primum episcopum primatemque fuisse, non solius tantum Occidentis; nec primatem eum Italiæ specialem, nec Occidentis extitisse patriarcham, sed eamdem omnino & in Oriente potestatem habuisse olim quam in Occidente, eamdem porro & in qualibet Occidentis prouincia, quam in Italia: Solam Romanam prouinciam cuius & metropolita fuit, immediate illi fuisse subiectam; ceteras omnes orbis prouincias pari iure rexisse, per medios scilicet metropolitanos & patriarchas, quorum caput & princeps erat. Quod vero nunc solo in Occidente regnet ac imperet, Græcos id

ſchiſmate ſuo curaſſe, qui iugum Summi Pontificis excuſſerunt, Orientemque ab Occidente abſciderunt, ſeſeque a communione Romanæ ſedis ſegregarunt. Ad *ſuburbicarias* autem quod attinet, quas Ruffinus vocat *Eccleſias*, de Occidentalibus accipi non poſſe, etiamſi Occidentis patriarcha ſpecialis eſſet epiſcopus Romanus; Nicenæ quippe Synodi ſextum canonem de metropolitana prouincia epiſcopi Romani, non de patriarchali diœceſi ſumi debere: *ſuburbicarias* itaque dici *Eccleſias* ſuburbanas, & ſub vrbe vel circa vrbem conſtitutas. Hæc habui, Sirmonde, quæ tibi ſuper Eccleſiis ſuburbicariis reſponderem, quæ tuis calumniis & conuitiis reponerem, quæ Aduentoriæ tuæ denique Euchariſtici nomine rependerem. male acceptum te haud ſcio an queri poteris: dolet mihi certe quod non melius ſis. ſed pro noſtris copiis te tractauimus, non pro tuis virtutibus ornauimus, nec vt merebaris. quod in nobis fuit, fecimus. ſi hoc ſatis non eſt, alias fiet quod nunc minime præſtare quiti ſumus.

Verum e contrario fortaſſe nimium me in reddenda gratia fuiſſe dices. pauci hodie ſic queri poſſunt, adeo vilis eſt annona ingratorum. Hoc itaque nomine magis laudandus ſum. Cum tam prolixe aduerſum me humanus fuiſſes, non potui facere quin prolixe gratus eſſem. Hic mihi ſiue mos ſiue natura eſt, vt beneficiis officiiſque quiſquis mecum certat, ſemper, ſi poſſum, victus diſcedat. Cum iſtoc me prouocaueris, noli mirari quod victus es, ſed noli etiam dolere. venient aliquando

fortaſſe tuæ vincendi vices. nam cum voles iterum certabimus, & quacunque de re voles. campus adhuc hic tibi apertus eſt, & campio paratus. Commodum tantum ad hanc rem tuum ac tempus elige. non ego te vrgebo. immo hoc te vnum oro, otio tuo & arbitratu, ſi quid huic Euchariſtico reſpondere parabis vt reſpondeas: ſi annus cum altero dimidiato integer non ſufficiet, alterum integrum ſumas. ſi duo ſatis non erunt, tertium addas. ſi nec tertius, quartum quoque, & quot libuerit cumque tibi liceat adiicere, ſed ea lege ac conditione, vt quod in Aduentoria feciſſe te ais, poſthac non facias, nec quidquam prætermittas, ruboremque meum minime verearis, ſed ad ſingula ſingillatim reſpondeas, & κατὰ πόδα me ſequaris. in tuis ita me geſſi. nullus apex mihi prætermiſſus quem non examinauerim, nullus angulus omiſſus, quem non excuſſerim. in meis hoc itidem fac. Hoc ſi tibi onus imponere vis & perferre etiam potes, cum pater ſis, ego te virum putabo. Vale.

ERRATA OPERARVM SI QVÆ *grauiora, ita emendanda sunt.*

PAg. 14. verſ. 9. *dele* in. p. 17. verſ. 20. *lege*, accedere. p. 27. v. 24. Aſculo. v. 26. iter populo. p. 28. v. 9. in fragmento. p. 30. v. 14. iuriſdictionem. p. 31. v. 23. æque. p. 33. v. 9. nemo enim. p. 42. v. 12. vt poſſet. p. 47. v. 11. explodendam. p. 61. v. 15. *de omni annonaria*. p. 64. v. 9. regionis ſpatium. p. 67. v. 6. Primum. p. 70. v. 11. *& victos*. p. 94. v. 23. & ipſa taceri. p. 95. v. 7. Perronius. p. 97. v. 7. recte dicetur. p. 98. v. 1. intra centeſimum. p. 120. v. 22. comprehenderetur. p. 122. v. 1. nullum. v. 5. ſimpliciter. p. 127. *verſ. penult.* atqui. p. 164. v. 28. effecit. p. 168. v. *vlt.* muli. p. 179. v. 27. tum. p. 190. v. 2. armillum. p. 198. v. 15. ex ea non illud. p. 214. v. 27. confutati ſunt. p. 216. v. 6. Nunc. & v. 26. diœceſim. p. 224. v. 1. continerentur Eccleſiæ? p. 227. v. 1. æque bene. p. 240. v. 4. cum a Libye. p. 242. v. 21. Italia. p. 247. v. 13. totius orbis. p. 251. v. 19. quippe in eo. p. 256. v. 21. τῆς ὑπ' αὐτὴν χώρας. p. 257. v. 23. canon Nicenus. p. 259. v. *penult.* clarius etiam. p. 261. v. 1. Alexandrino. p. ead. v. 27. ab omnibus Italicis. p. 268. v. 11. Romanus. Præter, &c. v. 13. dicebatur, Sirmondus. p. 269. v. vlt. Maximæ. p. 274 v. 4. vlli. p. 283. v. 8. ea quæ. p. 299. v. 13. dixerit. p. 301. v. 18. quidlibet. pag. 332. v. 19 quam ex eo quod. p. 335. v. 16. ſcribe & verte. p. 340. v. 14. accuſatur. p. 346. v. 6. in qualibet diœceſi prouinciæ primas. p. 350. v. 3. ſub Lugdunenſi. p. 358. v. 7. quæ ſuperius diximus. p. 361. v. 13. illis. verſ. vlt. perperos. p. 365. v. 17. aut hæc. p. 373. v. 16. oportet. p. 374. v. 10. competijt. p. 378. v. 18. attributum legere eſt. p. 392. v. 15. quibus nulli. p. 396. v. 26. numquid non. p. 413. v. vlt. Hoc itaque Thracenſium thema. p. 423. v. 18. conſecratio eius. p. 434. v. 7. diſceptare. p. 440. v. 11. *tua beatitudo*. p. 451. v. 17. quam patriarcham. p. 456. v. 19. habeo. p. 459. v. 23. in ordine tertio. p. 480. v. 3. non eſt. p. 481. v. 23. perpetuo. p. 482. v. 27. de patriarchatu. p. 494. v. 1. *dele*, non. p. 504. v. 4. & Phœbo. p. 511. v. 27. *lege & repone*, Catholicus Perſidis, & Catholicus Babyloniæ: & ſub Alexandrino Catholicus Æthiopiæ. p. 525. v. 7. catum. p. 531. v. 20. enuntiant. p. 548. v. 11. quum aliud & aliud. v. ſic continuus. p. 554. v. 4. vt multa. p. 558. v. 15. prope Diuionem effoſſa. p. 572. v. 1. Epiſcopi hoc eſt metropolitæ. v. 17. nam vt. p. 576. v. 24. nihili eſt. p. 583. v. 3. Ἐπάρχων Σπάνων. p. 588. v. 2. *dele*, καλῆ. v. 4. Hæc inter. v. 10. prouinciarum primates. p. 589. v. 21. tum facile. p. 599. v. 18. imperatore. p. 603. v. vlt. *ſeruiat*. p. 608. v. 9. At

Yyyy

ſi. p. 610. v. 25. Galliarum prouinciæ. p. 616. v. 6. *dele*, in. p. 623. v. 27. ad aliorum. p. 630. v. 24. ſi pariemus. p. 634. v. 22. Non latiores. p. 636. v. 1. *& ſaxis*. p. 641. v. 9. ἀνῆπι. p. 651. v. 27. eodem quo tu. p. 657. v. 18. quam habent in Eccleſia. ead. p. v. 29. ſedi. p. 658. v. 17. quiſque. p. 662. v. 17. ac cenſum. p. 664. v. 29. *gubernanti*. p. 673. v. 5. τῇ ὀρθοδόξῳ συμβαίνοντι πίστει. v. 24. in epiſtola docuimus. p. 675. v. vlt. ſed etiam ſi prima fuiſſet. p. 679. v. 18. eoque hæc ſola eius. p. 680. v. 17. competijt. p. 682. v. 5. mitto licuiſſe, nec enim licuit ſemper; an non vt liceret, ſemper vindicauit? p. 694. v. 7. ſummus. p. 700. v. 11. dedignaris. pag. 141. v. 16. diſpulſos. Reliqua, per te Lector, videbis & emendabis quæ leuiora occurrent.





Digitized by Google